Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS V. PARS I.

LIPSIAE, MDCCLVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

QH
7
C66
v.5
SCNHRB

I.

Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar, foer Aor 1753. Vol. XIV. Med. Kongl. Academiens Tilſtaend. Tryckte i Stockholm hos Lars Salvius pao deſs egen koſtnad. 8. pl. 20. tab. aen. 8.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae. Annus 1753. Vol. XIV.

Trimeſtre primum:

1) Cl. SCHEFFERVS *artis metallorum a ſe inui-* p. 1.
cem ſeparandorum hiſtoriam continuat, iam in primis de caementatione agens, quod artificium ait antiquum eſſe et obſoletum, ex quo commodiores et parabiliores methodi, eidem fini obtinendo inſeruientes innotuere, ita, ut errent, qui velut nouum illud tradunt.

2) *De partibus corporis humani ſenſibilibus et irri-* p. 12.
tabilibus Ill. ALBERTI DE HALLER diſſertatio legitur eadem, quae reperitur in Comment. Societ. Reg. Scient. Gotting. Tom. II. pag. 114. ad 134. Sectio ſcilicet prima, in Suecicum ſermonem translata *.

A 2 3) *Nouas*

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 695. ſeqq.

p. 37. 3) *Nouas duas Tabaci ſpecies* edit Cl. CAROL. LINNAEVS. Sunt vero in eius Speciebus plantarum, Homiae 1753 editis, *Nicotianae* ſpecies 3 et 4, pag. 180. 181, ipſi *paniculata* et *glutinoſa* appellatae. Vtriusque figuram exhibet; Prioris iconem Cl. FEVILLEE in itinere Peruuiano dederat, quam mediocrem eſſe ait Noſter, et talem, ex qua planta agnoſci non poſſit. Simillima eſt *paniculata* turcicae, (ita Cl. LINNAEVS ſecundam Nicotianae ſpeciem in ſpec. plant. p. 180. appellat, ibi *ruſticam* vocatam). Folia ſcilicet aeque ad rotunditatem accedunt, florum color idem eſt, illi aeque obtuſi ſunt; caulis vero et pediculi florum ac foliorum, flores etiam ipſi duplo longiores et anguſtiores ſunt in paniculata, quam in turcica, ut varietatem quis exiſtimare poſſit ex loci conditione natam, niſi fructus in primis aliter eſſet comparatus, coni ad modum in acumen deſinens, ut in vulgari nicotiana americana. Huius quidem nicotianae, ut et alterius, ſemina Noſter accepit a Cl. IVSSIEV, et haec quidem paniculata liberum aerem egregie tulit, laete adoleuit, et ſemina innumera produxit. Ex odore et ſapore iudicat leniorem hanc nicotianae ſpeciem fere reliquis omnibus, ut vel ſexui ſequiori commendari poſſit, ſi hunc fumandi cupido occupet. Tum hanc ob cauſam, tum etiam ob habitum eius gracilem, in vernacula *Tabacum virginum* appellari vult. *Altera* ſpecies, de qua iam agit, nulli adhuc botanico deſcripta eſt. *Foliis* gaudet cordatis, *flores* in racemum ſecundum, quem vocat, diſpoſiti ſunt, ſeu omnes ad idem latus conuerſi. *Calix* quinquifidus, ſed ſuperiore lacinia duplo maiore reliquis, quo charactere facile haec ſpecies ab aliis diſtinguitur. *Corollae* color obſcurior eſt, quam in americana, neque regularis eſt; ſed galeae ad modum verſus latus ringit; *fructus* acuminatus. Plantae caulis, pediculi et folia filis tenuibus teguntur, liquorem glutinoſum exſudantibus, qui

digitis

digitis prehendentis adhaeret. Ex odore, ſapore, glutine et floris colore triſtiore colligit Noſter fortiorem hanc ſpeciem eſſe reliquis huc uſque notis, inſigni tabacopolarum uſui, quo guſtibus omnibus accommodare ſe poſſint. Igitur et ob flores galeae ſimiles, et quia credit nicotianae huius vires eas futuras, quae ſunt opii, dum a Turcis praelium orſuris adhibetur, *tabacum militum* vernacula lingua appellari vult. Maiori vero cura haec ſpecies indiget, ut matureſcat, ſaltem in Suecia, ſperat tamen et huic climati eam adſueſieri poſſe, dum modo veris tempore terrae fimo ſubſtrato inſeratur, poſt terrae bonae implantetur. Ceterum de tabaci uſu, niſi quatenus medicina eſt, minus bene ſentire Noſtrum, iam aliunde conſtat.

4) *De Gypſo.* Obſeruationes exhibet Cl. ALEX. FRID. CRONSTEDT eo potiſſimum tendentes, ut via monſtretur inueſtigandi, num eodem modo gypſum natura condat, quo arte ex lapide efficitur. p. 44.

5) Cl. POLHEMII inuentum *contignationes, quae fluctibus obſiſtant, nullo adhibito ferro conſtruendi*, filius eius explicat. p. 48.

6) Cl. KALMIVS in edendis obſeruatis ſuis *de ſerpente crotalophoro* pergit. Egregie natat ſerpens hic per mare et per fluuios velocius fere, quam ſuper terra progreditur. Ad modum veſicae inflatae natare videtur. Natantem e nauicula adgredi tutum non eſt, quia facile in eam ſe proiicit. Odor eius ingratus eſt, in primis quando apricatur, aut valde iratus eſt. Hoc odore, ſaepius non viſus vel auditus, detegitur. Aiunt eo veluti veneno hominem interdum in mortis periculum deduci. Equi et boues praeſentiam ſerpentis plerumque ex odore agnoſcunt, niſi cum ventus a loco, in quo conſtituti ſunt, p. 52.

verſus ſerpentes tendit: tali enim caſu ipſius auctoris equus proxime ad ſerpentem acceſſit. Raro hominibus nocet, niſi defendendi ſui gratia. Paſſus eſt hominum pedes ſibi imponi, neſciorum quid eſſet; dormientibus obrepſit, nullo illorum damno. Neque tamen manſuetudini huic fidere fas eſt, qua in primis ſatur utitur, atrox dum eſurit, item tempeſtate pluuia. Iulio menſe rarius mordere aiunt barbari. Non mordet, niſi ante in circulum conuolutus. In rectam lineam extenſus damnum dare non poteſt, ſed hunc ſitum cum altero illo velociſſime permutat, tardus alioquin in progrediendo. Is eſt inter ſerpentes Americae orientalis, qui morſus quam longiſſime ſe proiiciat, neque tamen ultra dimidiam longitudinem corporis ſui. Proiecturus ſe parti poſteriori corporis ſui innititur, non faciens hoc, niſi certus fere ſit, attingere ſe poſſe, ad quod collineat.

Quae accidant iis, quos momordit, alii iam explicarunt. Huc pertinet, quod dolor inde natus ſub initium non maior ſit, quam ſi membrum ſpina laeſum fuiſſet, donec anxietas, virium proſtratio et intumeſcentia mali magnitudinem oſtendant. Locus, in quo laeſio contigit, nihil monſtrat praeter quam foramina duo, velut acu facta. Sequitur ſitis immenſa et dolor vehementiſſimus circa cor. Sitienti potum praebere eſt mortem praeſentem exhibere. Lingua intumeſcit eo uſque, ut os totum occupet; praeter ea nigreſcit. Haec quam longiſſime vim veneni progreſſam eſſe oſtendunt, quidam tamen et ex eo ſtatu ſanitati reſtituti ſunt. Corpus totum maculis variis notatur, creduntque laeſum coloribus ſerpentis, qui momordit, variegari. Tandem ſi auxilium nullum adhibeatur, ſenſum omnem perdit aegrotus et moritur. Saepius etiam, qui poſt morſum ſanitati reſtituti ſunt, colore tamen flaueſcente et facie ingrate maculoſa per omne reſiduum vitae tempus notantur. Alii quantumuis bene valere ſibi videan-

deantur, quotannis eo tempore, quo morſus contigit, dolorem ſingularem in corpore ſentiunt, ſimul intumeſcentibus partibus, quae mala decocto ariſtolochiae lenienda ſunt. Retulit quidam Noſtro, territum ſe improuiſa ſerpentis vicinia, ceterum nihil laeſum, proſtrationem virium tantam ſenſiſſe, ut aliorum auxilio, domum iturus, indiguerit. Integris quatuordecim diebus poſt ea illa diei hora, qua territus fuerat, lecto decumbendum ipſi erat, ob dolorem vehementem in tergo et capite, reliquam totam diem ante et poſt illam horam bene valebat. Idem veneni effectus eſt in bruta; a viro fide digno accepit Noſter, canem a ſerpente laeſum, decocto ariſtolochiae ſanatum, ſequenti anno, eo tempore, quo laeſus fuerat, rurſus aegrotaſſe, eodem remedio denuo cum fructu adhibito; ſecunda vice laeſum et ſanatum eſſe, ſed anno, qui hanc alteram laeſionem ſequebatur, circa laeſionis tempus rurſus aegrotaſſe et in rabiem incidiſſe, ut occidendus fuerit. Vaccae, equi, cet. plerumque ſtatim a morſu obeunt. Canes diutius perdurant, et ſaepius conualeſcunt. Vidit canes quinquies laeſos et ſemper reſtitutos, licet valde aegrotaſſent et intumuiſſent: alii tamen canes ſtatim ut laeſi conciderunt. Ocreas interdum pertundit ſerpens longis ſuis et acutis dentibus, et tunc, ſi ocreae pedem accurate includant, ut difficulter exui poſſint, inſigni laeſi malo id contingit. Tutiores ſunt amplae illae caligae, quibus nautae utuntur, ad talos uſque demiſſae, quae tum quia cedunt, tum quia corrugantur, ictus vim eludunt. Tutiſſimum eſt, adhuc ſub his caligis ocreas geſtare. Quidam ocreis indutus, in quibus ſerpentis morſus euanuerat, cum aliquo tempore poſt illis denuo uti vellet, et manum per ſuperficiem earum inuncturus duceret, a dente in areis reſidua adeo vulneratus eſſe fertur, vt diem obierit. Periculi plenum aiunt, ocreis uti, quae morſum ſerpentis pertulerunt, ob dentes ple-

 rumque

rumque in illis relictos. Cl. KALMIVS tamen in patriam redux, ſelem vulnerauit dentibus, quos in America ex ore ſerpentis ſecuerat, nullo felis damno. Americani dentibus his ad venae ſectionem utuntur, a veneno prius purgatis.

Nutritur ſerpens auiculis, ranis, ſciuris et leporibus illis paruis, qui in America ſeptentrionali reperiuntur, inter leporem et cuniculum mediis, item animali quodam *Minck* dicto, lutrarum ad modum aquas inhabitante, figura, magnitudine, colore ad martem accedente. Vbi ſerpens maioris animalis, ut leporis, ſciuri potitus eſt, dimidium eius deglutit, poſt quietus iacet, dimidium hoc ore tenens, donec abſumtum, deinde reſiduum deglutit.

Aiunt ſerpenti huic vim eſſe auiculas et animalcula faſcinandi, ita quidem, ut, dum ad radicem arboris v. g. procumbit, animalculo vel in ſumma arbore conſtituto, oculis in illud defixis efficiat, ut continuo magis magisque ad ſe animal adpropinquet, interdum quidem adſcendens rurſus arborem, ſed rediens rurſus verſus ſerpentem, hosque itus reditusque alternatim tam diu continuans, donec in os hians ſerpentis proſiliat, inter ea gemitum edens. Noſter plures modos propoſuit faſcinandi hanc vim explicandi. Vel enim laeſum eſt animal a ſerpente, ut longe progredi non poſſit, vel ad fulgentes ignis ad modum ſerpentis oculos obſtupeſcit, vel odore ſerpentis ſenſus eius velut perturbantur *. Loquuntur de hac ſerpentis vi faſcinatrice, americae incolae omnes, docti et indocti, ſed qui oculis ſuis eam vidiſſe adſeruiſſent, KALMIVS vix decem vel duodecim reperit. Captum ſerpentem, et in carcere velut

* Primam in primis cauſarum, quas Cl. KALMIVS recenſet, faſcinationi huic explicandae adhibuit HANS SLOANE Transact. philoſ. n. 439. art. I. Cogitata eius germanice exhibentur *im Hamburg. Magazin.* Vol. IIII. Part. IV. art. 7.

ut adſeruatum, nihil amplius comedere, fide digni teſtes adſeruerunt Noſtro, etſi dimidium annum famem perferre poſſit. Alii, propria experientia nixi, captum etiam ſerpentem hac faſcinandi vi uti teſtantur.

In ſanando vulnere, quod ſerpens inflixit, ſatis felices ſunt Americani barbari, ſi remedia debito tempore adhibentur. Fruſtra tamen omnia, ſi venenum immiſſum ſit ictu vehementiore a ſerpente valde irritato, ut diſſectae ſint venae quaedam maiores, cordi proximae, aut etiam vaſa, quibus cum multis corporis partibus communicatio eſt. Tunc certa mors et intra minutum fere temporis exſpectanda. Id barbaro contigit, qui Anglis quibusdam peritiam ſuam ſanandi haec vulnera comprobaturus, aliquot ſerpentis morſus pertulit, remediis ſuis, quae non edebat, ſtatim reſtitutus; tandem caudae extremo ſerpentem prehendit, quo omnium maxime irritantur; tunc conuerſus ſerpens brachium viri vulnerauit. Is vero remedia ſua et hic adhibuit, ſed fruſtra, paucis minutis exanimatus. Quae eius remedia fuerint, de hoc certi nihil conſtat: ſed quoniam ex regione *Senega* oriundus erat, coniectare licet, eum uſum fuiſſe *Polygala* ſeu herba, aduerſus morſus ſerpentis crotalophori faciente, Senegenſi.

Alius caſus, quo inſanabile vulnus ſerpentis crotalophori creditur, eſt, cum feminae praegnanti infligitur. Barbari certe, uxoribus ſuis, quibus hoc fatum contigit, ne auxilium quidem afferunt. Hic vero ſerpens, hominibus et brutis omnis generis adeo infeſtus, porcos inimicos habet, qui auide ipſum quaeritant, adeo, ut culturam loco cuidam, ſerpentibus his habitato, adlaturus, grege porcorum ſaltem ad purgandum illum opus habeat. Prehenſum ſerpentem ore quatiunt, deinde deuorant, caput tamen non attingunt. Morſus ſerpentis plerum-

que nihil ipſis nocet. Haec iam eduntur a Cl. KALMIO, reliqua trimeſtri proximo ſeruantur.

p. 67. 7) *Terrae quosdam motus in Norrlandia Occidentali* (Vaeſter Norrland) 1752 *animaduerſos*, deſcribit NIC. GISLER. Tres potiſſimum recenſentur, quibus communes obſeruatae fuerunt leges quaedam notatu dignae, velut: viam quaſi terrae motus conſtantem, et antea obſeruatam a regione media inter auſtrum et occidentem (S. W.) ad mediam inter boream et orientem (N. O.) fuiſſe. Superficiei terreſtris partem, milliarium Suecicorum quadratorum circiter quadraginta eodem fere tempore fuiſſe ſuccuſſam; impetum vero aeque vehementem fuiſſe in inſulis profundo mari circumdatis, ac in continente. Tremitus terrae comites ſemper habuiſſe ſonitus vehementes in aere editos, ſplendorem quoque coelum, lunae ad modum illuſtrantem, et iuxta directionem tremitus terreſtris protenſum. Quae omnia cum aliis multis eo conſpirant, ut terrae motus multum ſimilitudinis habere cum fulmine coeleſti euincant, utriusque vero originem ex vi electrica, tandem in maiori luce collocatum iri Noſter ſperat. Ceterum annos illos inde ab 1739 ad 1744, qui ſteriles regionibus borealibus fuerunt, vacuos fere fuiſſe tonitrubus, obſeruatum eſt, inſequentes autem tum terrae motus frequentes, tum fulgura frequentia habuiſſe; haec ſcilicet ita grata eſſe ob annorum, quibus contingunt, fertilitatem colonis borealibus ait Noſter, ut propius verſus auſtrum habitantibus timentur.

p. 74. 8) *Modum, quo lucius piſcis genus propagat*, deſcribit Cl. ABRAHAM ARILLANDER, Inſpector cocturae nitri. Vnicus eſt in regione, quam Noſter incolit, *Sauolax* ei nomen eſt; lucius piſcis, qui quo modo genus propaget, obſeruari poteſt; reliqui vel gregatim ei rei operam dant, vel profundius

aquae

aquae immerguntur, ut diſtincte ſpectari non poſſint. Haec autem vidit: Sub finem aprilis et integro maio ad ripas fluminum profundiores, gramine aut ſalicibus laetas, negotium id lucius exſequitur. Sub initium veris minores ordiuntur; cum magis verſus aeſtatem annus vergit, maiores adueniunt, idque ſeptimanas plures durat; interdum tamen maxima pars operis ſub glacie peragitur. Feminam ripae adpropinquantem mas ſequitur, unicus ſi parua ſit, maiorem mares plures comitantur. Mares autem plerumque feminis minores ſunt, numquam certe maiores Noſter vidit. Femina progreditur, donec in aquam parum profundam perueniat, ut tergum, caput quoque interdum et oculi emineant, ſapienti procul dubio naturae conſilio, quo ipſum corporis pondus ouis eiiciendis auxilietur. Mas a latere ſequitur, ſimul cum femina ſubſiſtit, laterique eius ſe applicat, ut aperturae in abdomine piſcium, (*genitalia* vocat Noſter) proximae ſibi ſint; Ita ſe mutuo per aliquod tempus fricant lateribus, interdum inferiori corporis dimidio cedentes, ita tamen, ut ſemper accurate ſibi mutuo applicent caudasque, iudicauit obſeruator, capitibus magis propinquas. Sic ubi per aliquod tempus ſubſtiterunt, femina ſubito corpus verſus marem vertit, ut abdomen utriusque iuxta ſe inuicem poſitum ſit, tuncque caudis aquam vehementer feriunt, ſicque in aqua progrediuntur, paululum a ſe inuicem ſeparati, congrediuntur vero rurſus eundemque luſum ſaepius repetunt, decem aut duodecim vicibus pro piſcis magnitudine. Referunt vero piſcatores periti, non omnia oua uno eodemque tempore eiici, ſed feminam ſaepius ad ripam redire, hocque opus repetere. Noſter ipſe id non vidit. Ex piſcibus, qui hoc tempore capiuntur, oua et ſemen maſculinum libere effluunt, ad magnam diſtantiam proſilientia, ſi abdomen digito prematur. Si plures

plures mares eamdem feminam comitantur, duo quidem utrumque eius latus obſident, reliqui ad eorum latera ponuntur, ut ſeries quatuor aut quinque iuxta ſe poſitorum conſpiciatur. Femina vero mox ad hoc latus, mox ad illud conuertitur, mares motus eius ſequuntur, interdum caudam feminae ſubeunt, quod fabulae originem dediſſe videtur, feminam marem ſequi et ſperma eius deglutire, quo oua fecundentur. Sed Noſter ferro, quo piſces figuntur, ſaepius in ipſo opere eos cepit, ſemper reperiens feminas eſſe, quae praecedunt, cum ſexus ouorum aut ſpermatis profluxu facile et certo diſtinguatur.

p. 77. 9) *Effectus fulminis, in templum parochiae Alſva in Gothlandia delapſi,* deſcribuntur. Contigit id iulii decimo nono die, anni 1752, hora circiter undecima, ante meridiana, dum cultui diuino populus in templo operam daret. Nos ea ſaltem, quae hominibus acciderunt, percenſebimus. Cum portam quandam templi fulmen tetigiſſet, qui proximi ei ſederant, per octiduum dolorem pedum ſenſere; alius, remotior tamen paulo a porta, ſenſu omni priuatus concidit, elatus ex templo; is aliquot dies inſignes pedum dolores ſenſit. Femina quaedam ſimiliter ſenſatione orba concidit, ſeptimanis quinque aut ſex de doloribus multo vehementioribus conqueſta, quam ante nominati, in exterioribus corporis laeſio nulla apparuit. Paſtor loci SALS MALMSTEN, e ſuggeſtu verba ad populum faciens, concidit. Capillamentum eius arſiſſe viderunt. Elatus, poſt tres horae quadrantes conſcius ſui rurſum factus eſt. Crines tum capillamenti, tum proprii ſupra verticem, et ante occiput dextrum, combuſti erant aut conglomerati; in dextra colli parte cutis ambuſta et caro denudata uſque ad axillam, a qua tres ſtriae rubrae, duos digitos latae, progrediebantur, una ſuper ſcapulam ſiniſtram, altera in ſuperiore brachii parte uſque

vſque ad cubitum, tertia a ſuperiore brachii articulo verſus foueam ſubaxillarem. In medio ſuperficiei exterioris femoris dextri ſtria naſcebatur, producta ſuper femur et genu uſque ad tibiam, immo ad digitum maiorem pedis. Hae ſtriae poſt aliquod tempus euaneſcebant, nulla cutis ſeceſſione facta. Crines e cute nati, in locis laeſis partim combuſti erant, partim conglomerati. Quatuor ſeptimanas inſomnes transegit, inſignem dolorem in brachiis et pedibus ſentiens, maxime et diutiſſime in brachio dextro et pede ſiniſtro, ubi venae ipſi ſectae ſunt. In illis partibus, in quibus veſtigia ſui fulmen reliquerat, dolorem nullum ſenſit. In ſubſelliis virorum plures calorem vehementem circa pedes ſenſerunt. Cum detonuiſſet, plenum erat templum fumo et odore ſulphureo, in primis circa ſuggeſtum, adeo, ut remotiores ab eo, diſcernere non poſſent, vacuusne eſſet, an a parocho occuparetur. Vir, qui auxilium parocho adlaturus, ad ſuggeſtum feſtinabat, retulit ſellam ſuggeſtus adeo calidam fuiſſe, tantumque ſulphuris odorem, ut fere reſpirationem ſibi ademerit.

Trimeſtre ſecundum:

1) *Hiſtoriam* eorum, quae *de aurora boreali* ſcimus, continuat Cl VARGENTIN, exorſus eam trimeſtri tertio anni praecedentis. Iam in primis hypotheſes recenſet, quibus ad explicandum phaenomenon phyſici uſi ſunt. Cum vero incertum adhuc ſit, ad quam diſtantiam a ſuperficie telluris attollatur, ad parallaxin eius diligentius obſeruandam hortatur curioſos, in primis Suecos. p. 81.

2) *De irritabilibus corporis humani partibus* agit Cl. ALB. DE HALLER. Sunt haec ea, quae latine habet Sectio II. diſſertationis in Commentariis Societ. Reg. Scient. Gotting. Tom. II. citatae nobis trimeſtri primo, art. 2. p. 93.

3) *Lanas*

p. 123. 3) *Lanas nigro, quod caſtoreum vocatur, tingere* docet *ſolis materiis, quas Suecia profert, adhibitis*, Cl. HARALDVS VRLANDER. Vtitur autem *arbuto*, quam vulgarem Sueciae plantam, ab Anglis ſub nomine *Iackas Hapuck*, tabaci condimentum adhiberi, narrauit Cl. LINNAEVS, in Comment. Acad. Scient. Suecicae ann. 1743. Trim. 4. art. 6. Modum procedendi diſtincte deſcribit, et, quantum praeſtet methodo hucuſque uſitatae, nigrore caſtoreo lanas imbuendi, oſtendit.

p. 126. 4) *De aberrationibus geometricis* diſſerit Cl. A. G. KAESTNER, qui error in diſtantiae quaeſitae magnitudine definienda naſcatur, ex errore paruo in angulo capiendo admiſſo, formula analytica docens, et alia eo pertinentia tradens.

p. 137. 5) Cl. IO. LINDHVLT *diarium aegrorum vi electrica ſanatorum continuat.* Sunt autem mala, quae vel omnino ſuſtulit vel leuauit vis electrica; ſurditas etiam a natiuitate; dolores in artubus et muſculis; paralyſis; febris; membra contracta; membra frigore peruſta; ſermonis uſus tantum non ademtus; epilepſia. Caſus omnes recenſere longum eſſet, et parum ad ſcopum noſtrum conducens, plerumque enim morbi non ita, ut medicus poſtulare poſſet, ſed ut aegri forte retulerunt, narrantur, modus vero, quo electricitas adplicata eſt, numquam docetur, generatim electricitate aegros uſos eſſe narratur, tempore, per quod hoc continuarunt, obiter indicato. Pauca igitur ſaltem ſpecimina ſeligemus.

Iuuenis inde a natiuitate ſurdus, hincque voces proferre neſcius, aetatis trium et viginti annorum, ingenii ceteroquin viuidi, poſtquam electricitate uti decembris decimo quarto die anni 1752 coeperat, ſtatim ſonitus fortiores, currus v. g. per plateas vectos, aut clamorem vehementiorem in aurem eius

directum,

directum, audiuit; uſu electricitatis aſſidue continuato, ianuario anni ſequentis canem exiguum poſt tergum latrantem audiuit; februario ſonitum ex ſuccuſſibus machinae electricae natum percepit, quae omnia ſignis indicauit; martio menſe auditus in aure ſiniſtra fere reſtitutus eſt, adeo, ut mox referre voces quasdam auditas inciperet: uſuque electricitatis continuo id conſequutus eſt, ut ſatis bene aure ſiniſtra valeat, minus dextra. Nomen etiam et voces quasdam faciliores pronunciat non male, litteras item plures alphabeti. Auditam primo vocem diſſyllabam referre ſtudet, alia voce, plus vel minus auditae ſimili imitatur. Experimenta haec facta ſunt poſt tergum eius, ne videre labiorum motum poſſet.

Febris electricitate fugatae unicum captum eſt experimentum, in hortulano, aetatis trium et triginta annorum, quartana per longum tempus, dimidium ſcilicet fere annum, vexato. Electricitate adhibita, primum ianuarii viceſimo octauo anni 1753, diebus, quibus a febri liber erat, meliorem appetitum ciborum conſequutus eſt, noctes vero plures, immediate ſe ſequentes, multum ſudauit, morbi paroxyſmus quilibet lenior factus eſt, et februarii quinto febris omnino ceſſit, ut ſexto domum redierit. p. 143.

Inter *contracta membra* ſanata exemplum eſt feminae, quae cultro articulum indicis medium ad eam profunditatem vulnerauerat, ut os per vulnus conſpici poſſet. Vulneri quidem auxilium chirurgus attulit, ſed digitus curuatus manſit, articulus vero motu deſtitutus. Hoc ſeſquiannum pertulit, electricitate vero unica vice adhibita extendere et flectere digitum aeque bene, ut reliquos, potuit. p. 146.

Vir annorum quadraginta, nouembri anni 1740 tantam frigoris vim in pedibus ambobus perpeſſus fuerat, ut chirurgi amputationem ſiniſtri conſulerent. Felicius tamen ſanatus, debilitatem perpetuam lateris ſiniſtri ſenſit, inde a femore ad pedem p. 147.

uſque

uſque, ut iter pedeſtre paulo longius conficere difficulter poſſet, ſed ſaepius ei eſſet quieſcendum, etſi a frigore omni diligenter caueret. Anno 1743 in loco, aeri perſpiranti nimium expoſito, dormiens, difficilius audire coepit, et tinnitum aurium ſenſit, dolores etiam brachii ſiniſtri et lateris ſiniſtri, tempeſtatum mutationibus ingruentibus. Fontibus medicatis uſu auditum recuperauit, et reliquorum malorum leuamina quaedam ſenſit. Electricitate uti incipiens ianuarii quarto die, id per aliquot dies continuauit, nulla mutatione animaduerſa. Sed octauo eius menſis, incaleſcere pedes ſenſit et prurire plane, ut cum frigus illos ante duodecim annos percuſſerat. Maxime dolebat pes ſiniſter, adeo etiam intumeſcens, ut per aliquot dies calceis uti nequiuerit. Ceſſauerat tumor die undecimo, nihilque incommodi amplius in pedibus ſentiebat; electricitatem adhibere deſinit viceſimo primo, cum tinnitum auris ſiniſtrae nullum amplius perciperet, latere etiam aegro plus virium haberet, dolorisque parte maxima eſſet liberatus.

p. 148. Infans annorum nouem, qui recte huc uſque valuerat, variolis grauiter decumbens anno 1748, ſed conualeſcens ſatis bene ab illis, multum taciturnior ſolito obſeruatus eſt, numquam poſtulauit quidpiam, et pauca ſolum verba repetere auſus eſt. Tandem linguae uſum ad ſermonem omnem amiſit, manente auditu, nam iuſſa perfecit, et ſuum nomen percepit, etſi ſubmiſſius ſolito appellaretur. Simul obſtructione capitis vexatus eſt, ut nec nares emungeret, nec per eas reſpiraret. Fontem medicum, *Norr-malms Brunn* appellatum, anno 1751 adhibuit, qui illam, de qua diximus, obſtructionem leuauit, poſt ea infans paucula verba audita repetere didicit. Aeſtate 1752, eodem fonte rurſus uſus, nouembri menſe electricas operationes perpeſſus eſt. Ante quam illis ſubiiceretur, pauciſſimas voces, in-

fanti-

ſantibus perquam familiares, et ſere tantum monoſyllabas pronunciare poterat, cum vero interdum electricitate uteretur, plures voces bene ſatis edere didicit.

Subiiciuntur phaenomena quaedam, quae praeter exſpectationem inter experimenta electrica contigerunt. Vir, cui dentium dolores electricitate leuabantur, poſtridie tumore ſub mento deformabatur; Forte ipſe manum globo applicauit, ut alios electricos redderet, hoc cum per horam continuaſſet, tumor ceſſauit. Vir honeſtus, annorum quinquaginta quatuor, qui bene ſemper valuerat, in itineribus ſuis a Cl. BOERHAAVIO didicit, conſpicillis interdum utendum eſſe, ut oculi conſeruentur. Sequi hoc conſilium coepit, ante annos aliquot ultra viginti, nihilo minus viſus eius adeo eſt debilitatus, ut proximos decem vel duodecim annos carere illis non potuerit: cum enim minutas litteras oculis nudis legere vellet aut ſcribere, fumum veluti oculis ſe obducere ſenſit, litteras autem euaneſcere; cum haec ad candelam fierent, doluere etiam oculi. Ianuario menſe, nihil de mali ſui remedio cogitans, manum globo electrico applicuit, iamque motum inſolitum in corpore ſentiens, alteram manum oculis admouit; Cum veſperi domum rediret, noua ſingula hebdomade prodeuntia ad candelam legere potens, nulla plane difficultate, poſt ea vero conſpicillis neque legens neque ſcribens indiguit. Alius vir, aetatis annorum quadraginta unius, operationibus electricis ſe ſubiecit ob dolorem axillarum, quem etiam illis depulit, ſimul quoque ab alio malo liberatus, quod, nullum contra illud auxilium ſperans, ne quidem indicauerat. Erat id tumor induratus, in teſticulo dextro, dolens cum tempeſtas mutaretur, a male curato teſticulo venereo reſiduus. p.150.

p. 151. 6) *Machinam, palis data quauis obliquitate terrae infigendis idoneam* deſcribit Cl. ELIANDER.

p. 155. 7) *Ex diario Academiae quaedam eduntur:* ut 1) Cl. RETZII, prouinciae Sconienſis medici, obſeruata in cadauere militis, cereuiſia, vino, in primis ſpiritu frumenti immoderatius uſi; aetatem annorum quadraginta is attigerat et mane quadam in platea mortuus reperiebatur. Pulmo dexter coſtis et ſpinae dorſi accreuerat, ſiniſter ſemi putrefactus erat, coloris praeternaturalis, vaſis omnibus ſanguine coagulato plenis. In ventriculo cordis dextro reperiebatur polypus duos digitos longus, latus unum, pellucidus medullae calidae ad modum, membrana ſimplici tenui incluſus, cuius ſubſtantia interior pinguedini aut oleoſo cuidam ſimillima erat. Vicini illi erant tres alii, longi digitos quatuor, lati quartam digiti partem, quorum duo, ſuperius arteriarum ad modum, in ramos binos abibant, inferius figurae conicae, liberi undique, tunicae craſſiori incluſi, ſubſtantiae interioris carneae et fibroſae. Sani ventriculi pars inferior inflammata et ſemiputrefacta. In capite exterius laeſio nulla, detracta vero cute, in ſiniſtro latere reperiebatur liuor, ſanguinem coagulatum indicans, paullulum ultra muſculum temporalem. Praeter ea nihil ſingularis in capite, exceptis duabus hydatidibus, pellucidis, aqua clara turgidis, in ſepto lucido, et aquae copia ſatis inſigni in ventriculis cerebri, cum medulla oblongata moueretur. Macilentus homo fuerat, abdomen tamen et thoracem pinguedine, digitos duos craſſa, obductos habebat, qua caro tegebatur. Coſtae verae et ſpuriae pinguedine plenae, pericardium cum membranis pingue, minus tamen meſenterio. Ex ſterno et cartilaginibus fere oſſeis iudicari potuiſſet, hominem annos quinquaginta attigiſſe.

2) Cl.

2) Cl. HOLTHVSENIVS, centurio, *modum* tradit *feces cereuiſiae, peracta eius coctione, uſui futuro ſeruandi.* Summa methodi huc redit, ut feces linteo puro incluſae, cineribus immittantur, qui humidum omne ex illis extrahant, et in maſſam conſiſtentem illas mutent. p. 157

3) Solana tuberoſa, (Potatoes) ex ſeminibus, quae in Suecia maturuerant, propagata egregie ſucceſſiſſe obſeruauit Cl. KYLANDER, paſtor noſocomii Linciopongienſis. Idem refert, id, cuius flores albi ſunt, albas habere etiam radices, rubris minores, ceterum interiore colore et ſapore, reliquis nihil diſſimiles. p. 158.

4) Vermiculos, frumenti in primis ſecalis granula excauantes, pelli, ſi tabulata loci, in quo frumentum ſeruatur, ſolutione vitrioli obducantur, docet Cl. RISBERG, paſtor Aſumi in Scania. p. 159.

Trimeſtre tertium:

1) *Phaenomena aeſtus marini* breuiter et generatim recenſet Secretarius Cl. VARGENTIN. p. 161.

2) Cl. HELLANT, quo modo aeſtus marinus ſe habeat in regionibus quibusdam, intra circulum polarem arcticum ſitis, ſcilicet prope *Vordhus* inſulam et promontorium boreum (*Nordcap*), propriis ex obſeruationibus enarrat. p. 170.

3) Relationem *de ſerpente crotalophoro* finit PETRVS KALM, hic in primis agens *de remediis contra morſum eius.* Facilius occiditur hic ſerpens alio quouis; virgula ſuper dorſum caeſus fere periit; praeterea tardiſſime mouetur. Horae ſpatio poſt quam caeſus eſt, aut citius etiam, vitae ſigna omnia perierunt, licet nec caput laeſum ſit, nec locus quidam laeſionis notari poſſit. Sonitu, quem edit, ſe ipſum p. 185.

 prodit,

prodit, ſicque facile occiditur, iam etiam a barbaris Americae indigenis, qui ante Europaeorum aduentum ſuperſtitioſe illi parcebant. Editur a quibusdam tum medicamenti loco, tum ab aliis ob carnis et pinguedinis ſaporem illis probatum. Cauent, qui illo veſci volunt, ne ſe ipſum mordeat, quod valde irritatum facere aiunt, aeque cito ita perientes, ut aliud quoduis animal morſu eius periiſſet, tuncque non ſine vitae periculo comedendum. Ex pinguedine oleum paratur hoc modo: Occiditur, cautione adhibita, ne ſe ipſum mordeat; pinguedo exemta in orbe ſoli exponitur, ut liqueſcat et in oleum abeat, vaſe vitreo ſeruandum. Huic incomparabiles vires adſcribuntur, aduerſus dolores varios, in primis a violentis tendinoſarum partium extenſionibus inductos, locum adfectum, in quo dolor ſentitur, oleo hoc ungendo. Quibus manus tremebant, cor et iecur ſerpentis crudum et calidum adhuc comederunt, a tremore liberati; aliis tamen remedium hoc nihil profuit, ſed additur, tremorem hic ab ebrioſitate natum. Balteos ex cute ſerpentis cum crotalis barbari gerunt, Europaeorum quidam his geſtis contra varios morbos praeſeruari ſe credunt, et ſimili ſuperſtitione alias ſerpentis partes appendent. Ceterum vaginae gladiorum cute hac obducuntur.

Plantas, quarum vires contra morſum ſerpentis praedicant, has nominat.

p. 188 *Collinſonia* LINN. Spec. plant. Tom. I. pag. 28. Huius decocto barbarus ſanatus eſt, cui fruſtra remedia reliqua omnia adhibebantur: lingua adeo intumuerat, ut in ore contineri non poſſet.

Sanicula floſculis maſculis pedunculatis, hermaphroditis ſeſſilibus LINN. Spec. plant. T. I. p. 235. Radix contuſa loco laeſo, cultro ante leuiter vulnerato impoſita, extrahere venenum dicitur.

Actaea racemo ouato fructibusque baccatis. LINN. Spec. pl. T. I. p. 504. *Aconitum baccis niueis* COR-

NVT.

ɴᴠᴛ. Canad. p. 76. Hanc vel ſerpentes ipſi extimeſcere aiunt, ut qui manu plantam teneat, tuto eum prehendere poſſit; quod, qui retuleruntNoſtro, propria experientia dixerunt ſe didiciſſe.

Sanguinaria ʟɪɴɴ. Spec. plant. T. I. p. 505. Maſticatur radix et loco laeſo imponitur.

Ranunculus hirſutus, foliis ternatis multifidis, calyce reflexo, fructu oblongo. In locis umbroſis et humidis, in ſyluis Americae creſcit. Radix maſticata vel comminuta vulneri imponitur, cultri ope paullulum refricato, ita venenum extrahitur.

Thymus foliis ouatis, acuminatis, ſerratis, corymbis lateralibus terminatricibusque pedunculatis. ɢʀᴏɴᴏᴠ. Fl. Virgin. p. 64. Succus, ex foliis expreſſus, in lacte aut alio vehiculo bibitur.

Polygala caule ſimplici erecto, foliis ouato-lanceolatis, alternis, integerrimis, racemo terminatrice erecto. ɢʀᴏɴᴏᴠ. Fl. Virgin. p. 80. Potiſſimum in regione *Senega* reperitur. De ea vid. ʟɪɴɴᴀᴇɪ diſſertatio: *Radix Senega.*

Serratula foliis linearibus ſparſis. Radix laudatur.

Solidago paniculato corymboſa, racemis reflexis, floribus confertis adſcendentibus, foliis trineruiis ſubſerrato ſcabris. ʟɪɴɴ. Hort. Vpſal. p. 259. Varietas eius foliis glabris, *Rattle Snake herb, herba ſerpentis crotalophori* appellata, in primis laudatur. Barbari vario modo illa utuntur; maſticatam in os aegri exſpuunt, inter lapides binos contuſam deglutiendam praebent aut decoctum eius, eodemque vulnus obligant, ſemper tamen eius quidpiam deglutiendum eſt.

Ariſtolochia caulibus infirmis anguloſis flexuoſis, foliis cordato-oblongis planis, floribus recuruis ſolitariis. ɢʀᴏɴᴏᴠ. Fl. Virgin. p. 112. Decoctum bibitur, ut diximus trimeſtris primi articulo quinto.

Fagus foliis lanceolatis acuminate ſerratis ʟɪɴɴ. H. Vpſal. p. 287. *Caſtanea ſatiua* ᴄ. ʙ. Surculo-

culorum caſtaneae decocto vulnus obligatur, idem bibitur.

Iam ad alia remedia pergit. Celebratur autem *pinguedo omnis*, oleum oliuarum, adeps porcinus, butyrum; vulneri ſtatim impoſita et intra corpus adſumta. Serpentem, qui laeſit, occidere ſtatim, et pinguedine eius uti ſuadet Cl. COLDEN. De oleo ſerpentis ante diximus. *Sal culinare* in ore madefactum et comminutum, deinde vulneri impoſitum prodeſt. Quidam locum laeſum antea cultro vulnerant. *Theriacam* aliqui laudarunt. Interdum profuit foueae in terra factae indere partem laeſam et humum circa eam accumulare: Venenum extrahi ſic credunt. *Tabacus* et *puluis pyrius* maſticata et commixta vulneri imponuntur, ſimul ſaliua tabaco feta deglutitur. Fuit, qui venenum *ex filii vulnere exſugeret*, cautionibus notis adhibitis, ſicque nullo ſui damno. Alius Noſtro retulit vulneri filii laeſi impoſuiſſe ſe partem poſteriorem gallinae plane denudatam, paullo poſt mortuae, ita quinque gallinas periiſſe veneno, in eas ex vulnere transmigrante, ſextam et ultimam ſaltim paululum aegrotaſſe, filium vero fuiſſe ſeruatum.

p. 195. 4) *Coregoni piſcaturam in fluuiis Norrlandicis* deſcribit Cl. GISLER. Suecis *Sik* appellatur piſcis, qui eſt ARTEDI *ſpecies* 37 *et* 40. Varietates eius Noſter deſcribit: Fluuios adſcendit, ouorum deponendorum cauſa, aduerſum nitentibus flumine et vento gaudens. Generis propagandi haec ratio eſt: Mas morſu et ſuctione feminae adhaeret, ſub operculo branchiae; deinde abdomen oſcillatione velut ludentes ſibi alternatim applicant, hocque opus continuant, donec ſperma et ouula effluxerint. Si minor maſculus feminam maiorem adſecutus ſit, illi poſt branchiam prope pinnam pectoralem adhaeret. Sed reliqua, quae ad capturam et ſalituram piſcis pertinent,

tinent, oeconomica magis ſunt, et ad regiones illas, ubi hoc negotio occupantur, ſpectantia, quam ut hic longi de illis eſſe debeamus.

5) *Mercurii*, maii ſexto die 1753 *ſub ſole trans-euntis* obſeruationes, Holmiae habitas, edit Cl. VARGENTIN, nubibus quidem interruptas, ut exitum planetae obſeruare non potuerit, quas tamen ingeniose ad mercurii theoriam emendandam adhibet. p. 210.

6) *Quid ſit materia illa, porcellanae parandae a Sinenſibus adhiberi ſolita, Petuntſe* dicta, inquirit Cl. SCHEFFER. Cl. SAVARY in dictionario rei mercatoriae gallico narrat quidem Sinenſibus ad porcellanam lapidem quendam *Petuntſe* adhiberi, ſed eius characteres nullos exhibet. Noſtro materies quaedam, velut ex Sina adlata, obuenit, ſplendens, ſemipellucida, lamelloſa, glaciei mariae ad modum, coloris viridis diluti, ad griſeum vergentis, ponderoſa, ut, qui illam Cl. SCHEFFERO tradebat, metallo, in primis ſtanno, fetam exiſtimauerit. Nihil tamen metalli continebat, ferro excepto, neque mineris ſtanni notis ſimilis erat, lapidi Bononienſi ſimilior: Non efferueſcebat cum acidis, neque ab iis ſoluebatur, in igne in particulas minutas diſſiliebat et uſtione colorem album conſequebatur, ſed calce rubra ferri permixtum, cuius color *Colcothari* aut *croco martis* erat ſimillimus. Cum phlogiſto uſta odorem ſulphureum edebat gypſi ad modum. Ferri quantitas, quam continebat, circiter quinquageſima ponderis erat. Ex Cl. MARGGRAFII experimentis ſtatim collegit Noſter, ob ferrum admixtum phoſphoro inutilem fore. Tamen, tum veritatem adſertorum Cl. MARGGRAFII examinaturus, tum inueſtigaturus, cui uſui lapis hic ex Sina adlatus ſit, MARGGRAFII modo eum tractauit, nihil vero phoſphoreſcentis reperit, ruber color euanuit et maſ- p. 220.

 ſa

ſa alba, ſatis compacta, cohaerens et ſemipellucida euaſit. Hoc occaſionem dedit ſuſpicioni, materiam hanc forte a Sinenſibus porcellanae adhiberi. Igitur comminutam argillae, ex qua tubuli tabaco ſugendo parantur, apyrae, commiſcuit obtinuitque poſt uſtionem quidpiam porcellanae plane ſimile, niſi quod minus album erat, ob argillam, quae fortiter uſta albedinem non ſeruat: fiſtulae enim minore ignis vi parantur. Pertinet autem haec materies ad POTTII *marmor metallicum;* nam poſt uſtionem aliquo modo efferueſcit cum acidis, ſatisque vero ſimile erit ex adductis nomen *Petuntſe* illi conuenire.

p. 224. 7) Cl. EKSTROEM *machinas* deſcribit, *quibus bonitas fructuum cerealium a grauitate ſpecifica illorum plenius poſſit examinari.* Obſeruat enim de frumentorum bonitate iudicari non poſſe, niſi ſimul grauitas illorum ſpecifica, ad aquam relata, item inuolucrorum, nucleo ipſi comparata cognoſcatur. Experimentis vero obiter inſtitutis reperit, ſecalis pondus ſpecificum ad aquam eſſe circiter in ratione 4:3, nuclei vero pondus ad inuolucrum in ratione 2:1. Hinc aliqua non contemnenda oeconomica ſequuntur. Quodſi enim data menſura ſecalis ponderis ſui libram dimidiam ob humidum, quod imbibit, amiſit, non ſaltem dimidia libra deterior eſt, ſed libris duabus. Eadem enim menſura iam aquae ſeſquilibram continet, quae menſuram ſimul implet ponderisque partem efficit. Similiter ſi ſumatur vera ratio ponderis inuolucri ad nucleum ut 2:1, id exinde efficitur, ſi data menſura ſecalis ſicci, ſed nuclei minus denſi, libra una deficiat a pondere menſurae aequalis, ſecalis aeque ſicci, ſed nuclei ditioris, ut illo menſura non una tantum libra deterior ſit altera, ſed libram unam praeter ea, inuolucrorum plus habere, quibus panis ſaporis deterioris minusque nutriens efficitur.

8) *Ex*

8) *Ex diario academiae* haec referuntur: 1) REGINA *Sueciae* Academiae monſtrari iuſſit ſericum a bombycibus, manu eius, cum aeſtatem *Drottningholmii* ageret, curatis et mororum Suecicorum foliis nutritis. Centum bombyces unciam ſemis ſerici dedere, bonitate nihil ulli extraneorum cedentis. p. 241.

2) *Piſcibus ſapor putridus* ex aqua, in qua commorati ſunt, natus, adimi docetur, ſi ſal iniiciatur, aquae et piſces in ea rudicula probe agitentur, opere hoc bis vel ter repetito. Inde colligere licet ſaporem hunc putridum cuti ſaltem piſcium inhaerere, dum viuunt, ſed coctione in carnem penetrare. Nam *Cyprinus* LINN. Faun. Suecic. p. 322, nobis *Karauſche*, ſaporem hunc in lingua ſua ſeruat, quae rudicula tangi nequit.

3) Opilio quidam, experimento proprio comprobatum Academiae edidit, oues aliaque animalia, ſtercore lupi aqua diluto commaculata, tuta a lupis eſſe, qui ea fugiant. Maculae vero hae firmiter pellibus adhaerent, ut ſub initium veris, cum primo in campum educuntur pecora, notari illa hoc modo ſufficiat.

Trimeſtre quartum:

1) *Philoſophorum ſententias de cauſſis aeſtus marini* recenſet Cl. VARGENTIN. p. 245.

2) Cll. HIORTERI et STROEMERI *obſeruationes meteorologicas Vpſalienſes* 1750, in compendium miſſas edit Cl. FERNER. p. 253.

3) *Gaſteroſteum* LINN. Faun. Suecic. 276. 277. Suecis *Skott Spigg*, *capere et ex eo oleum*, uſibus oeconomicis, quibus alias oleum adhibetur, *excoquere* docet ZACH. WESTBECK. Magna adeſt copia piſcium horum, quos nec alii piſces, nec aues adgrediun- p. 261.

grediuntur, aculeis illorum territi. Oleum ex iis obtinetur, ſi aqua adfuſa coquantur, optimum ex viuis. Reſiduum poſt oleum excoctum agris ſtercorandis egregie ſeruit. Suadet praeter ea Auctor, ut ſimiliter tentetur, an oleum coqui poſſit ex extis *clupeae* LINN. Faun. Suec. 315. quae alias vel plane abiiciuntur, vel porcis eſcae loco dantur.

p. 266. 4) *Situm geographicum urbis Abo* ex propriis obſeruationibus determinat Cl. GADOLIN, eclipſibus circum iouialium uſus. Latitudinem ſtatuit graduum 60 minut. 27. Longitudinis differentiam ab *Vpſalia* gradus 4. minut. 30.

p. 272. 5) *Sepes piſcibus capiendis* ſtruere docet IO. BRAVNER.

p. 278. 6) *Papilionem populi tremulae* (*Eſpen*) deſcribit CAROL. CLERK. Equidem de eo egerunt Cl. ROESEL. App. I. p. 204. Tab. 33. fig. 1. 2. et Cl. VDDMAN in diſſ. ſub Cl. LECHII praeſidio habita Aboae, *de nouis quibusdam inſectorum ſpeciebus;* p. 27. n. 54. tab. 2. fig. 15. ſed Cl. CLERK in primis metamorphoſes accarate obſeruauit.

p. 281. 7) *Mori in Gallia quo modo colantur,* docet Excell. Baro, CAROL. FRID. SCHEFFER, Regni Conſiliarius. Nactus eſt deſcriptionem hanc in Gallia ab experto quodam mororum cultore, e *Prouincia* Galliae (*Provence*) aduocato, ut Normannos et Inſulanos artem ſuam doceret.

p. 287. 8) Aſſeſſor, litteris C. G. B. ſaltim indicatus, *equis* auenae loco praeberi ſuadet *panes*, ex ſecalis et auenae faragine aequis partibus commixtis paratos, oſtendens multo minoribus impenſis id fieri, alias etiam ob cauſas prodeſſe. Auenae crudae multum

ab

ab equis iuutiliter conſumi, grana integra docent, quae egerunt. Vel hinc igitur patet prodeſſe, ut comminuta praebeantur.

9) *Obſeruationes de Sterna rectricibus maximis nigris* LINN. Faun. Suec. 129. edit NIC. GISSLER. p. 291.

10) *Eclipſin ſolarem* oct. 26. anni 1753 obſeruauit NIC. GISSLER. p. 293.

11) *Experimenta quaedam, ad acidum ſalis communis* pertinentia edit Cl. G. BRANDT. Diſcedit ab iis, qui expulſionem acidi ſalis deberi aiunt acido vitrioli, utpote fortiori, in terris bolaribus et aliis materiis, quae ad hanc operationem adhibentur, reperiundo. Dato enim pauxillum acidi vitriolici, quod percipi alias nequeat, in his materiis reperiri, ab eo tamen tantus effectus proficiſci nequit; deinde vitra, ignem vehementem absque fuſione tolerantia, et materies vitri, eodem modo ſali addita, ſpiritum ſimiliter educunt, cum tamen nihil vitriolici contineant. Quo plus eiusmodi materiarum difficulter liqueſcentium additur, eo magis fuſio ſalis impeditur, ut deſtillatio ſpiritus ſalis fiat, a fuſione ſalis impedita. Sed hic multo plus ignis opus, quam acidum vitrioli adhibendo. p. 295.

Paratur etiam acidum ſalis nulla alia re addita, praeterquam illo ſalis lixiuio, quod cryſtalliſatione peracta ſupereſt, neque in ſalem abit. Flaueſcens color, quo plerumque gaudet ſpiritus ſalis, rectificatione ipſi adimitur, adeoque eſt a peregrino quopiam admixto. A ferro non eſſe ita reperit Noſter. Libras plurimas ſpiritus ſalis Lunaeburgici, argilla alba gallica admixta parati, flaueſcentis, deinde filtrati, ad olei conſiſtentiam deſtillauit, pauxillum qualibet vice retortae paruae infundendo, et reſiduo poſt deſtillationem nouum ſemper adfundendo. Ita oleum

oleum ſalis rubrum obtinuit, quod frigori expoſitum, pellicula obductum eſt, et ſal pulcrum rubro colore depoſuit. A ferro autem nihil coloris rubini, quantum huc uſque conſtat, proficiſcitur, neque nouit Noſter ferrum calcinatum, in acido ſalis ſolutum, in cryſtallos ſalis coagulari. Ex ſpiritu ſalis Hiſpanici, addita argilla eadem gallica, etiam ſpiritum luteolum obtinuit, quo ſimiliter tractato, neque oleum ſalis rubrum, neque ſal cryſtallinum rubrum obtinuit, ſed maſſam quandam humidam, quae ad conſiſtentiam ſalis reduci nullo modo poterat. Retortae concentrationi ſpiritus ſalis adhibendae ſunt; nam, quod propter conſiſtentiam ſic appellatur oleum ſalis, aeque ac oleum vitrioli, lutum penetrat, quo capitella cucurbitis iunguntur, et per earum ſuperficiem exteriorem defluit. Deſtillato acido a ſale, addita argilla, tandem ſal ammoniacum obtinetur, partim collo retortae adhaerens, partim in recipiens vas decidens, a quo ſpiritus filtratione purgandus eſt. Non vero eſt hoc ſal ammoniacum ab urinoſo quopiam ſalis communis, ſed ab alcali volatili, in argilla reperiundo, et cum acido ſalis in ſal ammoniacum coeunte. Talcum etiam acido deſtillando commode adhibetur ob difficillimam ſuam in igne fuſionem; praeter ea cum non efferueſcat cum acidis, nihil eorum mutat vel abſorbet, habet tamen pinguedinis quidpiam, unde luteus fit ſpiritus ſalis; minimis vero impenſis, minimoque labore ſpiritus ſalis oleo vitrioli adhibito paratur, eo etiam commodo, quod tunc vaſa vitrea adhiberi poſſint, ſpiritum nec abſorbentia, nec transmittentia.

In igne acidum ſalis omnium maxime volatile eſt ut, ſole radios in filtrum eo madidum mittente, conclaue frigidum etiam, nebula alba ab eo repleatur. Ex aere humidum attrahit; aqua ſali ſuperinfuſa et ad ſiccitatem deſtillata, magna eius pars ſimul educi poteſt. Ex terra pinguedinem attrahit magis, quam

quam acida alia omnia, unde ſpiritus ſalis antea clarus, flauus fit; cum materiis calcariis efferueſcit. Calces metallorum et ſemimetallorum ſoluit; phlogiſton flamma coerulea ſalis igniti prodit, ſimilem flammam et fortiorem adhuc ſolutiones mercurii ſublimati et cupri in hoc menſtruo exhibent, non vero ſolutiones argenti et plumbi. Aurum purum ab acido ſalis non ſoluitur, bene tamen in terrae ſpeciem redactum; unde ſoluuntur ab eo aurum fulminans et aurum ſolo alcali fixo praecipitatum, reducitur tamen aurum deſtillatione menſtrui.

Auri puri partem unam, partibus undecim ſtanni puri, fuſione commiſcuit, calcinauit, ita, ut particulae metallicae nullae in calce apparerent, calcis pondus, incrementum $14\frac{3}{4}$ *pro cent* nactum eſſe reperit, alio tempore una parte auri viginti partibus ſtanni mixta, calcis pondus $17\frac{1}{2}$ in ſingula centena auctum eſt, auri ſcilicet pondus erat *aſſium* (*as*) 40, ſtanni 200, calcis 988. His calcibus ſuperfudit ſpiritum ſalis clarum, qui inde flaueſcebat, poſtquam paululum incaluiſſet; a ſtanni puri vero ſolutione colorem non mutat. Cum vero non omnis calx ſoluta eſſet, deſtillauit menſtruum ad ſiccitatem in retorta, et alium clarum ſpiritum ſalis reſiduo ſuperfudit, deſtillatione repetita, quod cum quinta vice fieret, (omnia autem igne non vehementi fiebant), liquorem crocei coloris in retorta reperit; acidum ſalis vero auri et ſtanni ſoluiſſe aliquid et ſecum duxiſſe tentaminibus docimaſticis didicit. Similiter, auro cum bismutho calcinato ſuperinfuſus ſpiritus ſalis et deſtillatus aliquid metalli ſecum duxit. Argentum in acido ſalis non ſoluitur, ad volatilitatem tamen diſponitur, quod luna cornea oſtendit. Stannum difficulter ſoluitur, facilius calx ſtanni, ſtannum ipſum vero libenter iungitur acido ſalis concentrato, quod mercurius ſublimatus continet, aeque, ac argento, eiusque ope deſtillationibus mediantibus volatile fit. Cuprum

prum difficulter ab acido ſalis ſoluitur, facile vero calx veneris, flammam coeruleam deinde edens, quam cum non edat cuprum nitri aut vitrioli ſpiritu ſolutum, nouum id indicium eſt phlogiſti acido ſalis contenti. Cuprum cum auro fuſione commixtum, et ſi cupri quantitas 12, 13 et pluribus vicibus maior ſit, granulatum et mercurio ſublimato mixtum, ignis ope non accurate miſcetur, ſed aurum metallica forma ad fundum decidit, cuprum in maſſam rubram, quem colorem habet, etiam nullo auro addito, coit. Plumbi parum ab acido ſoluitur, ſiue metallica forma adſit, ſiue calcinatum, calx tamen plumbi aut vitrum, eo adfuſo, ſalis ad modum albeſcit, et ad ignitionem incaleſcens maximam partem in fumum abit. Quod inſeruit auro, ab exiguo plumbi admiſto depurando. Calx vero plumbi aeque ac argenti acido mercurii ſublimati unitur, et in plumbum corneum abit, a quo mercurius viuus deſtillatione ſeparatur. Ferrum ſoluitur a ſpiritu ſalis, clareſcente, dum ſolutio peragitur, ſi antea flauus magis fuerit, ſed flaueſcente rurſus ſolutione, in loco frigido poſita. Ferrum combuſtum acido ſalis rubrum colorem conciliat, ſi ſolutio ſaturata ſit et adhuc calida, flaueſcentem, cum refriguit. Gallae in ſolutione ferri, hoc acido facta, nihil mutant, etiam maxime ſatura. Mercurius cum acido hoc in ſal illud ſiccum, mercurii ſublimatis nomine notum, coit. Obſeruat Noſter, errare illos, qui mercurium ſublimatum in aqua regis ſolui negant. Biſmuthum ab hoc acido difficulter ſoluitur, niſi calcinatum. Haec iam edit Auctor, reliqua proxime daturus.

p. 312. 12) *De calore aquae in regionibus borealibus* agit Cl. ANDREAS HELLANT. Cum conſtet, puteos profundiores et non nimis amplos, calorem toto anno parum mutare, ex his obſeruationibus rectius de

de regionis cuiusdam temperie iudicari poteſt, quam ex calore aeris, adeo variabili. Reperit vero Noſter, ut exemplum adducamus, puteos *Tornenſes* in Laponia non profundiores ſexpedis 4. Suecicis, calidos hieme ad gradum 1 aut 1½ thermometri Reaumuriani, ſupra punctum congelationis, ſeptembri vero, quo menſe aqua plerumque calidiſſima fuit, ad 3 vel 3½. In profundiſſimis et optime clauſis puteis numquam infra gradus 2, numquam ſupra 4 conſtitit. Ex ſimilibus obſeruationibus infert calores medios Pariſiis, Holmiae, Torneae et ad promontorium boreale (*Nordcap*) eſſe graduum 13, 7½, 3, 2¼, thermometri Celſiani, cuius limites cum Reaumuriani limitibus iidem ſunt, quatuor vero gradus Reaumuriani reſpondent quinque Celſianis, quoniam ſpatium intra punctum congelationis et aquae ebullientis REAVMVRIVS diuidit in partes 80, Cl. CELSIVS vero in 100. Similiter Noſter oceani calorem examinauit, quem ceteris paribus, in aqua minus profunda, maiorem reperit, ſiue ad terram magis nauis accedat, ſiue refluxu maris, in dato loco profunditas minor fiat.

13) *Ex diario Academiae* quaedam eduntur. Cl. DALMANNVS foeniculi ſemina matura in Suecia obtineri docet radicibus plantae per hiemem in arena ſicca ſeruatis. Cl. LIDBECKIO Lundini Suecorum egregie ſucceſſerunt conatus plantas educandi tum Americae borealis, quarum ſemina Cl. KALMIVS attulerat, tum officinales varias et ad rem tinctoriam pertinentes. Cl. BOSIVS Vitebergae Profeſſor, Academiae membrum, de contextu illo vegetabili poſt inundationes anni 1752 in locis, Vnſtrutae adiacentibus, Academiae quaedam ſcripſit. p. 320.

II

Memoires de Phyſique pure, ſans Mathematiques, de toutes les Academies des Sciences, raſſemblés en un ſeul corps et rangés ſelon l'ordre de leur publication. Tome premier pour les Années 1665. 1666. 1667. à Lauſanne, chez Antoine Chapuis 1754. 4. mai. alph. 1. pl. 10. tab. aen. 25.

i. e.

Commentarii, Phyſicam puram illuſtrantes absque Mathematis, ex actis Academiarum omnium ſcientiarum in unum collecti opus, et ad temporis, quo prodierunt, diſpoſiti ordinem. Tomus I. annos 1665. 1666. 1667 complectens.

Geneuae eruditam conueniſſe ſocietatem, quae editos huc usque omnium fere, ſcientiis amplificandis dicatarum, academiarum commentarios, uno comprehenſos opere conſtituerit edere, inter alia noua phyſico-medica retulimus *, neque exiguam inde a plerisque eruditorum exſpectari poſſe iudicauimus utilitatem. Cuius igitur operis primus quum breui poſt prodierit in publicum tomus, optimaque inde perlegentibus perſpecta inſtituti ratio ſpem noſtram non modo expleuerit, verum etiam fere ſuperauerit, noſtris iam decet inſerere accuratiorem eius recenſionem commentariis, praemiſſis, quae inſtitutum ipſum ſpectant, pauciſſimis. Quamuis enim de eodem non nulla citato loco expoſuimus, ſuperſunt tamen adhuc, quae, quum in praefamine hunc in finem addiderint Cll. Editores, huc referri omnino merentur.

Scopum

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. II. p. 354. ſeq.

Scopum nimirum totius huius operis primo loco quod attinet, eum potiſſimum ipſi Cll. Editores profitentur habuiſſe ſibi praefixum, ut quae in tot tam vaſtisque, quae iam ediderit quaeque Academia, commentariorum voluminibus occurrit, rerum pertractatarum varietatem remouerent atque miſcelam, facto ſcriptorum ex ordine ſcientiarum, quas quaeque illuſtrant, ~~delectu~~: quo quidem euenit, ut eruditi quisque ſuae, quam prae ceteris excolit, ſcientiae capita, optimis obſeruationibus et experimentis illuſtrata, uno quaſi intuitu perluſtrare poſſit atque recolere, miſſis, quae alias ſpectant diſciplinas, commentariis. Quasnam in primis ſcientias ſibi propoſuerint Noſtri illuſtrare hoc opere, ex data alio tempore relatione lectoribus iam cognitum erit atque perſpectum, in primo hocce tomo ad phyſicam generalem ipſos monemus reſpexiſſe ſolam, ſequentibus reliquas ex facto ordine pertractaturos diſciplinas. Fontes autem, unde hauriant ipſi ſuas, quas colligunt in unum opus, commentationes, ipſa quidem ſtatim indicat operis inſcriptio, atque nunc etiam intelleximus in primis ex Transactionibus Societatis Londinenſis philoſophicis, ex commentariis Academiae Pariſinae, ex Actis Academiae Florentinae, quae del Cimento appellatur, primi tomi deſumtas fuiſſe diſſertationes; appendicem vero cuilibet tomo ſe addituros eſſe pollicentur Cll. Editores, atque eidem ex optimis noſtri aeui Italorum Germanorumque diariis notatu digniores inſerturos obſeruationes et experimenta. Ordinem, quem in colligendis his ſcriptis obſeruarunt, tempus exhibuit, quo nimirum ſingula in publicum fuerunt edita, facto ab academiarum fundatione ad noſtra uſque tempora progreſſu, ita tamen, ut etiam, ſi argumenti id poſtulet ſimilitudo, ex recentioribus iungantur illis ſuperioris ſaeculi. Porro delectum rerum quod attinet atque reliquam diſſertationum harum diſpoſitionem, ex ſcientiarum, quas illuſtrant,

differentia nunc ſimilis argumenti diſſertationes ſibi iunxerunt, nunc alias diuerſi argumenti ſepararunt inuicem, mancas autem et inutiles viſas, nec non fuſiores praefationes aliaque, ad argumenti tractationem non pertinentia, prorſus praetermiſerunt, alias iam melius cognitas emendarunt, ſuasque interſeruerunt animaduerſiones, ubique tamen, ſi quid omiſerint vel correxerint, fideliter ipſi profeſſi fuerunt. Tandem lingua equidem gallica aeque ac latina ſe uti velle promiſerant Cll. Collectores, ſuaſu tamen amicorum metuque ducti, ut, ſi latinam eligerent, minor ſubſcribentium foret numerus, gallicam inuiti praetulerunt. Haec adeo eſſent, quae moneri adhuc poterant de inſtituti huius ratione atque ordine, ſupereſt, ut ipſius primi tomi exhibeatur recenſio, verum quum illud et inſignis ſcriptorum varietas ac copia, et noſtri inſtituti vetent leges, pauca tantum ſpeciminis loco iuuabit inde delibare breuiſſimis.

p. 3. *No.* I. *Obſeruationes et experimenta cum rore maiali facta a* Cl. THOM. HENSHAW, ſtabuli praefecto, deſumta ex Philoſ. Tranſact. ann. 1665. exhibentur. Roris huius aliqua copia, in vaſis clauſis, calori vaporum et balnei maris per duos menſes expoſita, nihil mutata fuit, clara adhuc et dulcis Simili ratione ſoli per aeſtatem expoſitam roris quantitatem reperit Cl. Auctor immutatam, praeter materiem viridem in ſuperficie natantem, mucori ſimilem. Ligneo beneque tecto vaſi immiſſa roris copia, umbroſo loco per menſem relicta, poſt putrida valde inuenta fuit, ſedimento nigro, limi inſtar, depoſito. Atque ita oriri illud obſeruatum fuit, ut primum in ſuperficie roris enata pellicula ſplendens, glutinoſa, fundum peteret, pluresque eam ſequerentur. Materia haec vitro immiſſa, per noctem maximam partem auolauit, relicta tenaciori, pellucida, albidiori materia.

materia. Clauſo vaſi haec iniecta, in balneo maris, multum per vapores amiſit, exſiccata prorſus, fungo tamen in vitro formato. In alio vaſe, cui infuderat roris copiam, millepedes inuenit; in alio vero pelliculam ſimilem nactus viridem, eam bene tecto immiſit vitro, ſed aliquot dies poſt innumeras vidit in vitro muſcas paruas. In camera clauſa ad feneſtram ſoli meridiano expoſuit putridi viſi roris copiam, multaque aliquot ſeptimanas poſt obſeruauit inſecta minima. Ex putrido rore per euaporationem ſiccato, terram obtinuit griſeam, quae lota et cum rore denuo mixta, poſt euaporationem terram foliatam friabilem dedit. Terra haec igne fixa manſit, lapidi porphyrio ſubiecta, aquae adfuſae ruffum tribuit colorem; ſaepius calcinata tandem exhibuit ſal albidum, ſubtile, lentis ope ſali petrae ſimile viſum. Cui tractationi deinde ſubiungunt Cll. Editores monitum, vehementer optantes, ut haec quis repetat experimenta, noua addat microſcopiis in primis armatus melioribus, quibus tum adhuc caruit Cl HENSHAW; factasque ita obſeruationes cum ipſis communicet, ut accuratior inde de roris natura, origine et uſu erudito orbi offerri queat expoſitio. Cui voto noſtrum quoque addimus, illud monentes, aliquam de rore melleo iam exhibitam in Promtuarii Hamburgenſis Vol. XIII. nos etiam indicaſſe alio tempore commentationem *.

Haec ſufficiant in praeſens adduxiſſe, plura in poſterum ex ſequenti, quod medicinam nobis cariorem pertractabit, volumine adlaturi, unicum adhuc addimus, appendicem complecti tres diſſertationes, quarum prima effectus ſpeculi cauſtici metallici exponit, ex Promtuarii Hamburgenſis Vol. V. P. III. n 5. pag. 269. depromta; altera obſeruationes phyſicas circa petrificatorum originem; et tertia denique epiſtolam de dente argenteo cerui exhibent, utraque

* Comment. noſtr. Vol. IV. Pars III. p. 474.

vero auctorem habet Cl. HOPPE, Geranum, atque exſtant in Deliciis phyſicis, Berolini editis, quarum ipſi dedimus alio loco expoſitionem *.

In fine additus eſt copioſus rerum index, tabulaeque aeneae ad illuſtrandas accuratius, quae exponuntur, res, ſuis archetypis exacte reſpondentes.

III.

Recueil de Memoires, ou Collection de Piéces Academiques, concernant la Médecine, l'Anatomie et la Chirurgie, la Chymie, la Phyſique experimentale, la Botanique et l'Hiſtoire Naturelle, tirées des meilleures ſources, et mis en ordre par feu M. I. BERRYAT, Conſeiller Médecin ordinaire du Roi, Intendant de ſes Eaux minérales, Correſpondant de l'Academie Royale des Sciences de Paris et Membre de la Société des Sciences et Belles Lettres d'Auxerre. Tome I et II. à Dijon chez Franc. Deſventer; à Auxerre chez Franç. Fournier, 1754 4. mai. Tom. I. alph. 4. pl. 14. tab. aen. 6. Tom. II. alph. 4. pl. 11. tab. aen. 15.

i. e.

Collectio diſſertationum academicarum, medicinam, anatomen, chirurgiam, chymiam, phyſicam experimentalem, botanicam, hiſtoriamque naturalem ſpectantium, ex optimis hauſtarum fontibus, et in ordinem redactarum a Cl. B. I. BERRYAT. Tomus I. et II.

Diſperſas nimium in tot tamque vaſtis actorum, quae florentiſſimae in Europa ſcientiarum academiae

* l. c. Part. II. p. 298.

demiae hoc ſaeculo publicarunt, voluminibus obſeruationes et experimenta phyſico-medica ſimili modo ſimilesque in uſus, ac praecedentis collectionis Lauſanienſis Editores, in unum opus complexus eſt ill. BERRYAT, quod vero poſt eius fata demum edere in publicum coeperunt nominati in inſcriptione bibliopolae. Hinc, quae fuſius de hoc ipſo exponamus, non habemus. Iisdem enim, atque prioris, ex fontibus, ex celeberrimarum nimirum academiarum commentariis hauſtum fuit illud atque collectum, additis vero etiam ex aliis eruditis diariis paruaequae molis ſcriptis, quae ſaepe cito euaneſcunt, obſeruationibus notatu dignioribus. Scientiae quoque ferme eaedem, veluti docet inſcriptio, hoc opere illuſtrantur. In binis, quos iam ediderunt, tomis prioribus monemus tantum nos inueniſſe translatas ex actis, quae ab origine ſui ad annum 1709 publicauit Academia Regia Scientiarum Pariſina, commentationes, unicam vero ex diario illo, quod vocant *Iournal des Scavans*, interſertam, annis et fontibus, unde deſumtae ſint, ubique in margine indicatis.

IV.

Traité d'Oſteologie. Par M. BERTIN, Docteur Régent de la Faculté de Médecine en l'Vniuerſité de Paris, de l'Academie Royale des Sciences, ci-devant premier Médecin du Prince des Valaquies et de Moldavie, ancien Profeſſeur de Chirurgie, et prémier Médecin d'une des Armées du Roi. à Paris, chez Vincent 1751. 12. Tom. I. 15½ pl. tab. aen. 1. Tom. II. 1 alph. tab. aen. 1. Tom. III. 22½ pl. tab. aen. 1. Tom. IV. 17 pl. tab. aen. 1.

i. e.

Tractatus de Oſteologia. Auctore Cl. BERTIN.

Ampla admodum corporis humani oſſium pertractatio, a Cl. Auctore, cuius merita in uniuerſam anatomen nemo neſcit, ſollicite propoſita, omnibus quidem commendanda eſt: ſiquidem in generali aeque ac ſpeciali eius expoſitione, in quas duas partes ſuam diſtinxit oſteologiam, ſtudii exquiſitioris dederit luculenta documenta: noſtro tamen fini accommodatum viſum eſt, data generali totius operis delineatione, quaedam tantum hic adducere, quae ſingularia ſunt, quum in doctrinae uniuerſae cuiuscunque explicatione non poſſint non communia etiam ſimul referri.

Quatuor quidem tomis totum conſtat opus, ex quibus tamen primum tantum generali oſſium contemplationi deſtinatum eſt. Naturae conueniens oſſium coagmentatio, quae ſceleton ſiſtit, varias admittit diuiſiones, quae *primo capite* diſquiruntur, ſigillatim vero conſiderata oſſa tum longitudine, tum figura differunt: hinc varie denominantur, et corpus atque extremitates offerunt perſpiciendas, quae epiphyſes atque apophyſes ſiſtunt. Eorum compoſitio cauta-

cauitates efficit, et ipſa per articulationes cohaerent, quarum varia conſtituuntur genera, et ad ligamentorum, cartilaginum, glandularumque articularium conſiderationem ducunt. His abſolutis Cl. Auctor medullam oſſium indagat et ad illam accedentia vaſa, porro perioſtium, nec non vaſa, quae mediante hoc oſſibus traduntur, quo facto ultimo tandem loco ſubſtantia ipſa oſſium eorumque elementa explicantur in capitibus octodecim.

In ſequentibus deinde tomis ſpecialis oſſium pertractatio proponitur. *Secundus* de capite agit fuſe quidem, ſed exacte, ſingulorum ſcilicet oſſium momenta declarantur. Occaſione deſcriptionis dentium primae et ſecundae dentitionis phaenomena dilucidantur, atque utilitates recenſentur, quae per oſſium capitis compoſitionem praeſtantur. Fiunt nempe, praeter eminentias et apophyſes, tum interne, tum externe conſpicuas, foſſae itidem aliae extus, aliae intus detegendae, in quibus vel organorum, vel vaſorum aliarumque partium ſedes eſt, quae ſingulae ſtudioſe indicantur. Sciſſurarum, orificiorum, canalium ſuturarumque uſus poſt haec depinguntur, ſinuum ſplenoidalium, oſſium ſupernumerariorum, epiphyſium oſſium cranii hiſtoria ſuppeditatur: et poſt contemplationem configurationis ſingularis oſſium, quae caput conſtituunt, non vanam, ſed utiliſſimam hanc diſquiſitionem eſſe docetur, facta ſcilicet applicatione ad praxin. Proponuntur haec in capitibus quadraginta et tribus.

Tertio tomo, eadem ſeruata norma, ſpina vertebrarum, pectoris peluisque oſſa atque illa extremitatis ſuperioris explicantur, ſingulorum etiam additis utilitatibus, nec non variis in praxi medico-chirurgica neceſſariis, conſectariis, quae cuncta capitibus ſeptuaginta recenſentur.

Quarto tandem tomo, quicquid ex oſſibus ſupereſt, adnimaduerſis etiam eorum ſpecialibus aegritu-

 dinibus,

dinibus, adducitur, omniſque inferioris extremitatis compages declaratur. Oſſis praeter ea hyoidis hic occurrit deſcriptio, nec non cartilaginum laryngis, narium, auris, interarticularium, palpebrarum et quae extremitatibus oſſium ſuperinducuntur, expoſitio. Huc deinde relata eſt hiſtoria oſſiculorum auris, et generalis aliqua epiphyſium hiſtoria. Quae cuncta capita quinquaginta quinque complent.

Ipſi operi praemiſſa praefatio amplam inſtituti rationis et pertractatarum partium recenſionem continet, additis ſimul rationibus, quae methodum deſcriptionis datae defendunt. Sic enim multis probatur argumentis, quare in oſſis cuiuscunque expoſitione tendinum adhaeſiones fuerint notatae ſtudioſiſſime, et ſimilia.

T.I. Sed ad ipſum opus progredimur, ex quo non
p.114. nulla notamus. Articulationis cum veteribus duo genera conſtituit Cl. Auctor, *diarthrodiam*, quae cum motu eſt, et *ſynarthrodiam*, quae ſine illo eſſe deprehenditur. Diarthroſeos tres dantur ſpecies, *enarthroſis* nempe, quae liberrima eſt et reſpondentem capiti cauitatem requirit, ut in articulatione ſcapulae et humeri, *ginglymus*, et *arthrodia*, in qua poſteriori oſſa iuncta ſupra ſe leuiter tantum mouentur, ut in carpi oſſibus, vertebrarumque compoſitione. In ſynarthroſi pariter tria ſunt genera *ſutura*, *harmonia*, *gomphoſis*, concreſcentia inter ſe oſſa ſymphyſi iunguntur. Vtriusque generis articulatio mixta quaedam habet, quae in corporibus vertebrarum et pri-
p.163. mae coſtae cum ſterno eſt. Ex cartilaginibus illae, quae interarticulares ſunt, ligamentoſam naturam obtinent, et diſtinctas in iis fibras ſe perſpexiſſe aſſerit Cl. Auctor, nec non primarum ſpuriarum coſtarum cartilagines haud raro inter ſe confluxiſſe vnicamque conſtituiſſe obſeruauit idem. Cartilago primae et ſecundae, huius etiam et tertiae coſtae non
p.176. nunquam articulo inter ſe committuntur. Praeter

glandu-

glandulas articulares, ab HAVERSIO dictas, aliae occurrunt, *externae* Noſtro dictae, quae molles ſunt, in pinguedine ſepultae, rubicundo tamen colore, ſpongioſoque ſuo habitu diſtinguuntur, quorum liquorem ligamentorum fibris ſecedentibus ſeſe inſinuare coniicit Cl. Auctor. Aliae porro in vicinis articulorum locis occurrunt, vagae et externam tantum ligamentorum tendinumque ſuperficiem humectantes, prout v. c. circa trochanterem maiorem. Non ſemper tamen manifeſtae ſunt et capſae tendinum iis deſtitutae inueniuntur. Summa autem eſt copioſi huius ſucci ſecreti ad motum continuandum neceſſitas, quare ad articulos vaſa etiam plura abeunt, vel per ligamentorum fibras vel per ſingularia orificia, ex quibus eam ob rationem ſuccus articularis elabi nequit, quod membranoſo contextu et tenerrimis pelliculis eadem clauduntur. Harum exiſtentia p. 185. comprobatur motu facto oſſis, v. c. femoris, in articulo, tunc minora tubercula ſiſtunt, vel diſſecto etiam ligamento et flatu immiſſo apparent. Quae internas porro ſedes occupat, in primis cauorum oſſium, medulla partim ex cellulari opere oſſium huc deſtillat, partim ex ipſis inuoluentibus medullam membranis ſecernitur. Has autem membranas p. 195. non ſolum, ut quidam putant, eſſe organum, ex eius in quibusdam locis defectu manifeſtum eſt. Vbicunque autem illa praeſens eſt, ibi ſimul perioſtii interni fungitur officio, quale in uniuerſum in oſſibus non eſſe multis comprobare annititur Noſter. Tertia p. 203. quoque datur medullae ſpecies, quae lamellas oſſis intercedit, et per oſſa perpetuo tranſſudat, ex qua tamen ſine omni fundamento concluditur, eſſe medullam ſuccum oſſium nutritium, ſiquidem illa qualitatibus ſucci nutritii deſtituatur. Inſeruit illa potius p. 212. fibrarum flexilitati, forte terreſtres iungit, quibus oſſa conſtant, particulas, quod exinde probabile videtur Cl. Auctori, quoniam, ſi igne expellitur oleum

 ex

ex oſſibus, illa vitri inſtar fragilia redduntur, cohaeſionemque recuperant, ſi oleo iterum immerguntur. Neruoſa tamen filamenta, quae cylindri medullae longorum oſſium membranam adeunt, quum ipſa oſſa non ſentiant, ſedes doloris habenda ſunt, quem non nulli interno perioſtio, quod negare Cl. Aucto-
p. 219. rem diximus, tribuunt. Confirmat vero, ſe primum eſſe, qui eius perioſtii abſentiam ſtabiliuerit, quum ipſi Cl. NESBITT cogitata non innotuerint. Mediante perioſtio externo vaſa ad interiora oſſium pergunt, quum ipſum hoc perioſtium quibusdam productionibus ad interiora pergat, et fibras vaſculoſas,
p. 232. tendinoſas ligamentoſasque habeat, immo probare annititur Noſter, ipſum perioſtium externum eiusque interna ſtrata in os permutari, hancque ſuam ſententiam contra Cl. SPIGELIVM defendit. Ea vero eſt conditio conſideranda, non nulla ex oſſibus membranaceo ex ſtatu in oſſeum tranſire, alia cartilaginea
p. 268. antea videri. Oſſa enim longa ab initio cylindrum ſiſtunt gelatinoſum, qui deinde cartilagineus redditur Vix in cartilaginem vertitur ille, tunc in medio iam loco principium oſſificationis comparet, quod ſenſim ad extremitates continuatur. Qua propter autem in medio primum, deinde in extremitatibus os generetur, a vaſis dependere dicitur, quae medio in loco maiora ſunt, quorum actione cartilaginea portio induratur atque mutatur. In reliquis locis vaſa admodum parua ſunt, paullo capaciora in extremitatibus, hinc poſt mediae partis oſſificationem, deinde in his acceſſus et formatio oſſea facilior fit. In longis etiam oſſibus eorumque media parte orificia maiora apparent, quae vaſa admittunt, iis autem aliquantum ampliora ſunt. Haec, dum oſſa indurantur, quod fit, dum introeuntia vaſa magis ſenſilia euadunt, coarctantur, nec non ſimul oſſificationis ſigna adeſſe deprehenduntur. Vaſorum interim ingens fere copia in oſſa abſumitur: arterioſa triplicis

ſunt

ſunt generis. *Vnum* ſubtiliſſimum eſt, ex perioſtio p. 278.
ortum per inſenſibiles fere poros oſſa ſubeuns, in
foetu tantum obuium, *alterum* in cauitatem oſſium in-
feritur, per foramina ad extremitates oſſium depre-
hendenda, quod in cellulas diſtribuitur et ſecretioni
medullae ſimul praeeſt, *tertium* in mediam partem
immittitur, in primis longorum oſſium; hoc oblique
procedit, ſed variata directione, in femore v. c. et
humero ab inferioribus ſurſum, in tibia a ſuperiori-
bus deorſum fertur. Ad interiora quoque penetrat,
multisque ramificationibus ludit. Eadem via et ſub- p. 287.
ordinatio venarum eſt, de tertio tantum genere no-
tat Cl. Auctor, easdem cum arteriis non iungi, ſed
ſeparatim diſtribui, licet per eadem, ac illae, orifi-
cia ingrediantur. Nec cartilagines deſtituuntur vaſis,
quo plus enim a ſtatu oſſeo abſunt, eo copioſiora
continent. De termino ſubtiliorum vaſorum in oſſi- p. 293.
bus, qui ob duram et impenetrabilem eorum ſub-
ſtantiam obſcurus eſt, detegendo ſollicitus Noſter,
diſquiſiuit rhachiticorum oſſa, eaque libera eſſe et in
cellulis fluctuare inuenit, quibusdam ſolum ex his ad
oſſa adhaerentibus. In uniuerſum oſſium ſubſtantia p. 306.
triplex eſſe deprehenditur, alia admodum dura et
denſa eſt, quae a Cl. Auctore dicitur *compacta*, alia,
quae a praecedente interius ſecedit, ex lamellis oſſeis,
tenerrimis conſtat, quae vario ſeſe modo decuſſant;
relinquunt autem areas variae formae, ſed quo ma-
gis ad mediam oſſis partem accedunt, eo pauciores
illae fiunt et conſtituunt ſubſtantiam *cellularem*: his
tandem lamellis interſunt filamenta oſſea innumera,
ſine ordine diſpoſita; quae ſubſtantiam effingunt
reticularem. Huius ſubſtantiae contemplatio ducit
Cl Auctorem ad conſiderationem geneſeos oſſium
uberiorem, in qua declaranda argumenta conquirit
omnia, quibus, cartilagines atque membranas permu-
tari in oſſa, poſſit euinci. Oſſa in primis lata ex p. 319.
membranis varie conformatis naſci aſſerit, quarum
non

non nullae prius indolem cartilagineam aſſumunt, aliae non. Obſeruari hanc mutationem declarat, dum germen incipit oſſeum enaſci, quo nomine prima puncta oſſea, conſpicua denotat. Hoc, quocunque loco in lato oſſe ſit conſtitutum, radios ſpargit, qui ad centrum denſius poſiti ſenſim ſecedunt, intermediam vero eorum diſtantiam ſerius nati noui radii
p. 321. occupant, ex prioribus quaſi dimiſſi. Eſt autem primum illud oſſeum punctum lactis inſtar candidum, ſenſim cum duritie increſcente hunc colorem amittit. Ex his fundamentis oſſium omnis exoritur ſubſtantia, compacta ex ſquamis conſtat, gelatinoſo oleoſoque ſucco iunctis, igne in gelatinam reſoluendis, ex perioſtio, membrana vel cartilagine enaſcentibus. Ha-
p. 325. rum praeſentiam ſtatus naturalis atque morboſus declarat, earum vero ſitus talis eſſe videtur, ut ad eandem lineam quaecunque ſeries poſita ſit, et fibram longitudinalem conſtituat. Etenim has monſtrant fiſſurae oſſium, eorundemque facta diffractio, ex iis formantur ſtrata diuerſa oſſium, et ex his tandem ſubſtantia, quam Noſter compactam vocat. Dum fibrae a ſe ſecedunt cellularem, ex diuerſa etiam fibrarum inclinatione tandem reticularem ſubſtantiam conſtituunt, quae conformationis ratio exemplo femoris oſſis illuſtratur. Addit ad finem Cl. Auctor varias quaeſtiones de utilitate diuerſarum partium in oſſibus, quas ſcite reſoluit, v. c. apophyſium, epiphyſiumque utilitates exponens. Sed iam ad alia tranſeamus.

T. II. In deſcriptione oſſium capitis, frontis os rarius in
p. 6. adulto diuiſum reperiri obſeruat, quamuis nos non infrequenter continuatam per mediam partem ſutu-
p. 10. ram viderimus. Circa foramen tamen coecum, cui ſciſſura vel canalis adſtat, inuenit Noſter foramen,
p. 16. ſtilo immiſſo in foſſam naſalem patulum. Si loco foraminis ſupraorbitalis os tantum, ad neruos et vaſa or-

ſa orbitae transmittendos, ſciſſum eſt, ad margines ſciſſurae transuerſim affixum ligamentum conſtituitur, quod neruum aeque ac arteriam protegit atque a compreſſione defendit. Occaſione ſulci, qui ſinum p. 45.
durae matris lateralem dextrum, in oſſe occipitis ſuſcipit, et qui vix non ſemper ſolet ſiniſtro maior eſſe, monet Noſter, inde poſſe intelligi, quaenam ſit ad deplendum cerebrum, in ſectione iugularis venae dextrae utilitas, et quare ad euacuanda vaſa exteriora eligi potius debeat vena iugularis ſiniſtra. In oſſis occipitis formatione inter inferiores potiſſimum p. 58.
partes et laterales et mediam, quae cum ſphenoideo oſſe iungitur, coaceruantur granula oſſea, quae continentur duplici ſtrato tenero ſubſtantiae compactae, licet inter ſe illa ab initio iuncta non ſint. Os temporum in tres partes diſtinguit, ſquamoſam nempe, petroſam et maſtoideam. In petroſa parte et foramine quidem acuſtico praeter minora, quae mollem nerui acuſtici portionem recipiunt, foramina atque praeter canalis illius, quem portio dura ingreditur, orificium, reliquis maius aliquod foramen primo ab p. 66.
Noſtro animaduertitur, quod ramum duri nerui aliquem ad canales ſemi circulares transmittit, quem ad interiora auris pertinere nemo hucusque conceſſit. Subſtantia porro, quae eſt inter externam laminam p. 71.
compactam oſſis petroſi atque cochleam et canales ſemicirculares, ex minoribus aggregatis, ſabuli inſtar, oſſeis fit moleculis. In baſi oſſis petroſi, eo p. 87.
quidem loco, ex quo in infante ſenſim enaſcitur proceſſus maſtoideus, ſtratum ſubſtantiae partim cartilagineae partim ligamentoſae inueniri docuerunt Noſtrum laminae ſeparatae, quibus cartilaginis quidquam inerat. Sinus etiam ſphenoidales non in cognomine p. 101.
tantum oſſe conſtitui, ſed cochleis, extremitatibus ſummis oſſium palatinorum adhaerentibus, augeri, primus auditoribus ſuis demonſtrauit. Porro a late- p. 113.
re extremitatis anterioris laminae cribroſae oſſis

ethmoi-

ethmoidei utrinque fiſſuram obſeruauit, longam va-
p. 117. riisque foraminibus pertuſam. Nec non oſſium tur-
binatorum varietates varias reperit, praeter enim
minima, a Cl. MORGAGNO deſcripta, quae vel in-
tegra, vel diuiſa erant, alia his inſidentia non nun-
p. 124. quam occurrerunt. Deinde per fiſſuram laminae
cribroſae, iam dictam, duas arterias et totidem ner-
uos intrare cranium, atque ad duram matrem proce-
dere ſerpentino modo vidit, quarum itinera nondum
fuerunt cognita, in tractatu de arteriis, quem edere
p. 138. conſtituerat Cl. Auctor, fuſius deſcribenda. In an-
teriore oſſis unguium parte occurrunt ſaepe varia fo-
ramina, de quibus tamen Noſter dubitat, num natu-
ralia cuncta ſint, nec raro vidit os unguis plane de-
fuiſſe, cuius defectum os planum ſupplebat, vel pro-
p. 178. ductio apophyſeos ſuperioris oſſis maxillaris. In oſſe
maxillari ſuperiore ob duritiem eiusdem neruorum
atque arteriarum, ad dentes accedentium, viae ob-
ſcuriores ſunt et difficulter cognoſcuntur, eas tamen
feliciter inueſtigauit Cl. Auctor in ſubiectis rhachiticis,
in quibus oſſa molleſcunt, et ex canali infraorbitario
duos aut tres ramulos ad dentes protendi, eorumque
radicibus etiam, inciſorum nempe et caninorum, in-
p. 215. ſeri inuenit. Rarioris eſt obſeruationis oſſa maxillaria
ſuperiora cum oſſe ſphenoideo iungi, aliquod tamen
exemplum habuit Cl. Auctor, in quo coniunctio ad
p. 242. apicem fiſſurae orbitariae inferioris facta eſt. Den-
tium marmorea ſubſtantia ad coronam alias tantum
pertinere putatur, eam tamen Noſter ad radicem
continuari uſque credit, per gradus autem debilio-
rem eandem reddi, et in uniuerſum omnia, quae ad
geneſin dentium, dentitionemque pertinent, momen-
ta accurate et ſtudioſe deſcribit, quorum omnium
rationem reddere hic impedimur. Hac etiam occa-
ſione funeſta ſaepe vel doloris plena ſymptomata,
p. 282. quae primae dentitioni accedunt, conſiderat, ſimul
penſitatis, quae opponi ſolent iisdem, remediis, in-
ter

ter quae, quum a truncis neruorum male affectis pleraque efficiantur ſymptomata, inciſio gingiuarum malum quidem paulum leuat, meliorem tamen futuram eſſe iudicat reſectionem gingiuae ab uno ſine ad alterum factam. In enumeratione foraminum et p. 362. ſciſſurarum, per quas nerui ex cranio abeunt, mentionem etiam fieri obſeruamus ſinus cuiusdam, de quo tamen num conſtans ſit dicendus, dubius eſt Cl. Auctor. Deprehenditur nimirum in minori oſſis ſphenoidei ala, quam proceſſum acutum nominant, ad poſteriorem eius apophyſin deuenit, intus cellulis oſſeis diſtinguitur, a latere orbitae minori orificio aperitur, in quod arteriae opticae ramus intrat, a latere vero, quae cranium reſpicit, pluribus minoribus foraminibus pertunditur. Varia deinde ſubtilia p. 369. quidem, notatu tamen digna et utilitatis plena momenta continet expoſitio utilitatum, quas praeſtant decem paria foraminum baſeos cranii, quorum quidem declarationem uberiorem utique lectoribus maxime commendare debemus. Sic per laminam cribroſam oſſis ethmoidei praeter neruum olfactorium, filamenta a quinti paris primo ramo ex orbita per foramen orbitarium internum anteriusque redeuntia deſcribit, quae in duram matrem diſtribuuntur; intrant per laminae cribroſae lateralem fiſſuram, et per eius foraminula quaedam ramis exeunt ad nares ſeſeque in membranam pituitariam immergunt. Vocari hos poſſe putat Noſter acceſſorios anteriores vel recurrentes. Eodem modo arteriae etiam plures per hanc laminam deferuntur, quarum ſingularum deſcriptio accuratiſſima additur. Nec eorum praetermittitur orificiorum deſcriptio, per quae nihil tranſit, quo pertinet, praeter foramen *coecum*, quod certe p. 381. non ſemper apertum eſſe inuenitur, maiora illa foramina, in ſceleto conſpicua, ad extremitates apophyſium petroſarum, inter eas et ſphenoideum atque baſilare os conſtituta, quae in recentibus oſſibus ſub-

ſtantia

ſtantia cartilaginoſo-ligamentoſa replentur, per quae nullius vaſis tranſitus detegitur, ut iure poſſint foramina dici, per quae nihil tranſit. Aegre tamen abſtinemus a recenſione reliquorum foraminum, canalium et ſciſſurarum, tum extus, tum intus in cranio occurrentium, quarum cognitio varie medicum, aliorum ſanitatis curam habentem, inſtruere poſſet; ſed, ne nimis diffuſi videamur, ex iis quaedam ſpeciminis quoque loco proponemus. Poſtquam horum nimirum orificiorum originem et ſitum deſcripſit, utilitatem, quam praeſtant, uberius declarat Cl. Auctor, vaſorum tranſeuntium ramos, quae ſingularem, qua pollebat, angiologiae peritiam produnt,
p. 410. exponit. Vſum v. c. foraminis orbitarii interni et anterioris ſic explicat, ut neruum et arteriam in foſſam ethmoidalem per illud transmitti doceat: neruus ſcilicet ramus eſt primi rami paris quinti, arteria vero ramus arteriae ophthalmicae. Quandoque ſola arteria per illud foramen exit, et tunc neruus, qui per poſterius foramen tranſit, ſolito craſſior eſt, quandoque contrarium accidit, ut neruus ſolus per anterius,
p. 14. arteria ſola per poſterius foramen tranſeat. Eodem ſtudio Noſter deprehendit, per fiſſuram ſpheno maxillarem, quae arteriarum tranſitui pateat, in orbitam aeque diſtribuendarum, ac in duram matrem transmittendarum, nullam ferri, ut inde in curandis oculorum duraeque matris morbis argumentum
p. 417. deſumi nequeat. Per canales zygomaticos neruoſos vidit tertii paris ramos egredi, et per foramen palatinum, ſaepiſſime clauſum, non nunquam arteriae palatinae ramum. Mirabilem ſuturarum cranii ſtructuram ex HVNALTO* ita repetiit, ut omnem eius com-
p. 465. mentationem ſuo inſereret libro *corniculorum ſphenoidalium* (cornets ſphenoidaux) quoque fabricam et uſum

* vid. Memoir. d' Acad. Roy. de Scienc. à Paris 1730. pag. 777. ed. Amſterd.

uſum, alibi expoſitum,*) confirmauit. Ad oſſium Wormianorum diuerſos ſitus adnotamus, quaedam etiam a nobis obſeruata fuiſſe in ſuturae ſagittalis continuatione, quae per os frontis fiebat, aeque ac in ipſa parietalium atque frontis oſſis coniunctione, quo loco *fontanella* in iuniori homine conſtituitur, quale p. 473. exemplum etiam occurrit Cl. Auctori, qui praeter ea oſſa talia, intus tantum diſtinguenda, inuenit, nulla exteriore nota praeſente. Formationem vero horum oſſiculorum ſingularem macerando capita foetus et iuniorum hominum, inuenit Noſter, fuiſſe nempe concreta materiae calcareae, membrana inuoluta, a dura matre et pericranio deducta; ſenſim p. 476. magis indurata, quaedam etiam euaneſcebant. Quae ſolitaria naſcuntur, radiatis ex fibris concreſcunt. De epiphyſibus oſſium cranii notat Noſter, oſſicula p. 488. auditus primo cartilaginea aut mucilaginoſa eſſe, parum oſſea, deinde oſſea iam facta magnitudinis proportione reliquis maiora deprehendi et cum iis adulti hominis accurate conuenire. Quum porro varia oſſium cranii configuratio notatu digna ſit, ſuturarum diuerſitatem a cranii et oſſium reciproco lentiore et auctiore incremento deducendam eſſe opinatur, idque variis exemplis corroborat, in primis ex hydrocephalo quodam, ſeptimo aetatis anno demum defuncto, p. 498. qui ab anteriore parte naturalem ſitum et magnitudinem habebat tantum, reliquis omnibus extenſis, ut inde pateat, in iuniore magis homine partes oſſeas facilius in varias formas poſſe compingi. Immo, haec oſſium conſideratio haud paucas offert in medicina facienda regulas, quarum aliquot ad finem huius tomi Cl. Auctor adducit.

Vertebrae, quarum compoſitione fulcimentum T. III. totius trunci ſtabilitur, in poſteriore corporis facie p. 5. fiſſuras

* Ibid. 1744. p. 412.

fiſſuras duas oſtendunt oblongas, ſepto oſſeo vel ligamentoſo diuiſas, in quas arteriae et venae duae ad vertebrarum ſubſtantiam dimittuntur: quandoque
p. 36. duo tantum adſunt foramina. In ultimae, ſeptimae nempe, vertebrae colli corpore inferius quandoque ſed rarius, polita faciecula, recipiendo primae coſtae capiti accommodata, inuenitur. Subiungit deinde Cl. Auctor conſiderationi ſtructurae vertebrarum varias regulas practicas, veram luxationem earum fieri
p. 80. poſſe negans. Primae tamen et ſecundae vertebrarum colli luxationem mox ſubſequi mortem debere non concedit: ſiquidem inuenit primam vertebram cum occipitis oſſe coalitam illudque ipſum os occipitis magno ſuo foramine orificio primae vertebrae non reſpondiſſe, neque condylos occipitis cum cauitatibus primae vertebrae cohaeſiſſe. Prima etiam vertebra non rotatorium tantum circa ſecundam exercet motum, ſed ſupra ſecundam in flexione et extenſione capitis mouetur. Varias porro in rhachiticis factas, obſeruationes recenſet Noſter, ex quibus compreſſam fuiſſe interiorem vertebrarum cauitatem eluceſcit, ſine notabili in medullam ſpinalem et inde
p. 131. expectandas functiones redundante noxa. Inter coſtas quandoque ſupernumerarias occurrere, rarum non eſt, ſi tamen undecim tantum adeſſe creduntur, duodecima ſaepe inter ſcalenos haeret muſculos, quae minor eſt et ad ſternum non defertur, ſed membranacea potius expanſione cum prima coſta cohaeret. Plerumque ab apophyſi tranſuerſa penultimae colli vertebrae naſcitur, nec non cum prima
p. 134. vertebra coaleſcit. Oſſeas etiam partes coſtarum inter ſe confluendo concreſcere obſeruauit Noſter, et HVNAVLTVS foetus ſceleton adſeruabat, cuius quinque ſuperiores coſtae inter ſe erant perfecte iunctae.
p. 141. Supernumerarias autem coſtas ex ſingulari oſſea conformatione fieri, neque in germine praeexiſtere iudicat Cl. Auctor, cum lumborum tamen vertebra aliquam iunctam fuiſſe nunquam ſe reperiſſe ſcribit

Inter

Inter morbos coſtarum, quas caries facile infeſtat, p. 154.
fractura illarum eſt, num vero ex eo, quod poſt earum fracturam, illaeſo pulmone exoriens emphyſema ſignum exhibeat, ex quo poſſit de aere, pulmones inter et coſtas exiſtente, concludi, alii iudicent. Sic etiam, ubi ſterni momenta anatomica excuſſit omnia, p. 184.
ad eam deuenit quaeſtionem, num illud moueri poſſit, variorum autem reiicit ſententias, B. HAMBERGERO adſtipulatur, et ad motum ſterni non niſi oculorum opus eſſe adiumento credit atque conſideratione coſtarum directionis, quae a vertebris ita deſcendunt, ut earum cartilagines nunquam ad extremitatum poſteriorum altitudinem iterum adſcendant. Num vero hae rationes omnibus ſatisfaciant dubitationibus, iam definire non audemus. Poſt accuratam porro peluis oſſei deſcriptionem, de ea quoque quaeſtione iudicat Cl. BERTIN, an oſſa innomi- p. 247.
nata in grauidis et parturientibus diducantur? quam olim iamiam affirmando conceſſerat, et exemplo feminae, poſt partum laborioſum diſſectae, ſeceſſionem horum oſſium a ſe inuicem omnino poſſibilem confirmat. In radii deinde deſcriptione ad tendinem p. 324.
bicipitis muſculi reſpicit, qui capſula continetur, atque ſtudioſiore opera, quomodo ille in ſupinatione et pronatione manus ſeſe habeat, declarat. Supinationem moderatam ſtatum radii naturalem eſſe aſſumit, in quo caſu biceps ſupinatoris muſculi officio fungitur, qui deinde demum, ſi ſupinatio fuerit completa, brachium flectit. Quoniam vero ad ſupinationis aeque ac pronationis actionem praeſtandam plerumque aliquas quoque cubiti partes eſſe putatur, cui opinioni ſe ſuffragari non poſſe Cl. Auctor ob varias p. 333.
rationes commouebatur, ex natura articulationis et perueſtigatione eius ſollicita tandem concludit, cubi- p. 344.
tum in his actionibus ſeſe non mouere, ſed illum centrum eſſe immobile, circa quod radius per extremitatem ſuam inferiorem motum ſemicircularem de-

D 2 ſcribat,

ſcribat, hinc motum illum, quem nosmet ipſi in extremitate cubitus percipimus, ſupinando vel pronando manum, tantum eſſe apparentem. Subtiliter etiam ad finem huius tomi de mechaniſmo et utilitate variorum motuum, per extremitatem ſuperiorem praeſtanda diſſerit Noſter.

To.IV. p. 58. Nec deſunt in extremitatibus, quas vocant, inferioribus adhuc quaedam notanda: Sic in inferiori extremitate tibiae eiusque externo latere foſſa occurrit polita deorſumque reſpiciens: in hac glandulam articularem ſemilunarem primo ſe inueniſſe gloriatur Cl. Auctor, quae tamen a noſtro olim, nunc Dreſdae anatomen cum laude faciente, PITSCHELIO
p. 86. iam diu deſcripta et delineata fuit *. Eam vero inter glandulas fibulae denuo deſcripſit Cl. BERTIN. In rotulae, quam os ſeſamoides articulationis genu vocat, Noſter, media ſubſtantia humor unctuoſus ſeruatur, quem a medullari quidem non diſtinctum eſſe vult, niſi quod prae reliquis oſſibus, ſi exſudat, fa-
p. 104. cilius in guttas coeat. Inter morbos horum oſſium cariem eſſe nemo dubitat, eos autem recenſens Cl. Auctor, memorat, ſe vidiſſe tibiam integram fere, carie deſtructam, eam vero ſubſtantia oſſea effuſa
p. 232. iterum, ſtupenda ratione reſtitutam. In oſſium ſeſamoideorum deſcriptione, quae effectus ſuſceptorum laborum eſſe autumat, in infantia nulla, in ſene plura, et in uniuerſum in mare quoque plura ac in femina obſeruari aſſerit, ſimulque rarius quidem, non tamen ſine exemplo in iis, qui molliter et otioſe vitam tranſigunt, ad ſenilem etiam aetatem tranſitum fieri iudicat, ſine ſeſamoideorum oſſium inuenienda praeſentia.

Expoſita autem omnium oſſium hiſtoria, tandem de cartilaginibus, oſſiculis auditus et epiphyſibus

* vid. EIVSD. diſſ. de axungia articulorum Lipſ. 1740. 4. §. 16. c. ic.

bus corporis humani additur explicatio. Cartilaginum quidem earum, quae ad laryngem, auriculamque pertinent, et inter articulos conſtituuntur, priorum praecipue mentio videbatur facienda eſſe, quod muſculis aeque ac oſſa, cui adhaereant, fixum praebent punctum. De cartilaginibus auricularum vero dum p. 307.
loquitur Cl. Auctor, praeterire non poſſumus ſingularem aliquam eius opinionem, qua, data hac occaſione, neruorum, in ſuperficie harum cartilaginum diſtributorum, officium aliquod in eo ponit, ut auditui quoque inſeruiant. Adducit nimirum iuuenis exemplum hominis, qui etiamſi abſceſſu in auribus facto oſſicula auditus, membranam tympani, nec non oſſeam cochleam perdidiſſet, nihilo tamen ſecius ſatis diſtincte audiuerit. Quare portionis durae, in facie et ſupra auriculam diſtributae, ramos, quum aliquis eius ramulus in labyrinthum quoque penetret, id eſt, in eum locum, in quo portio mollis diuiditur, ſonorum perceptiones facere poſſe autumat. Cartilagines autem omnes in oſſeam ſubſtantiam p. 315.
haud conuertuntur, ex iis, quae rarius hanc mutationem ſubeunt, triangularis naſi cartilago eſt, quae in ſenibus ſaepe oſſea facta deprehenſa eſt. Sed quum vix non omnia corporis humani oſſa epiphyſes habeant, eorum etiam recenſionem ultimo datam eſſe deprehendimus capite, in quo vertebrarum varias cartilagines declaraturus Cl. Auctor, de phaenomeno illo diſſerit, quare poſt peractum ſomnum longiores videantur homines, ac ante eundem, illud autem ex natura trium cartilagineorum ſtratorum, p. 352.
quae inter vertebras deprehenduntur, explicat, quippe quae ſomni tempore a rore transſudante et penetrante, compreſſione omni deficiente, diſtenduntur. Eandem fere cauſſam in infantibus, febre acuta vel intermittentibus laborantibus, locum habere demonſtrat Noſter, nec non exemplis variis, quam utilis euadere poſſit omnium, quae in oſſium conſideratio-

 ne

ne ſe offerunt, conditionum perueſtigatio confirmat. Promittit etiam, ſe muſculorum daturum eſſe explicationem, quae aeque ac arteriarum, cui ſe inſudare indicauerat, utinam prodire poſſet, utilitate ſua ſe certe commendatura.

V.

Eſſays and Obſervations, Phyſical and Litterary. Read before a Society in Edinburgh, and publiſhed by them. Volume I. Edinburgh: Printed by G. Hamilton and I. Balfour. MDCCLIV. in 8vo majori, 466 pagin. absque praefatione et indice. Tab. aen. 8. *.

i. e.

Tentamina et Obſeruationes medici et litterarii argumenti, coram Societate Edimburgenſi praelecta, ab eademque in lucem edita. Vol. I.

Diu iam exſpectauimus nouae huius ſocietatis elaborationes. Prior enim ſocietas in quinti ultimique voluminis medicorum Tentaminum et Obſeruationum praefatione ** iam anno 1742 indicauerat, ſe

* Prodiit iamiam Altenburgi germanica huius primi voluminis verſio, cuius priores nouem articulos Cl. KAESTNERVS noſter, reliquos vero omnes Zuickauienſium Phyſicus Cl. IOH. ERNEST. GREDING, Med. Licent. transtulit.

** Satis cognita eſſe arbitramur utiliſſima illa, quae prior Edimburgi florens ſocietas ab anno 1733 usque ad annum 1744. in quinque voluminibus edidit, medica Tentamina et obſeruationes, quibus nec medicus nec chirurgus facile carere poterit. In gallicum ſermonem illa vertit Cl. DEMOVRS adiectis adnotationibus

ſe in aliam nouam ſocietatem receptam eſſe, quae totum naturalis ſcientiae et medicinae ambitum diſquirendum ſibi propoſuiſſet. Diſperſio vero membrorum ob bellum, in Scotiae regno ante hos decem annos geſtum, et irreparabilis iactura alterius dictae ſocietatis ſecretarii Cl. quondam, MAC LAVRIN, in cauſa fuerunt, quod primum hocce volumen nunc demum lucem publicam adſpicere potuit. Ex copioſo enim nouiter detectarum Cl. huic viro mortis tempore communicatarum numero, ſocietas poſt mortem eius non niſi paucas, diſtractis reliquis, recuperare potuit. Noua vero haec ſocietas veritatem diſſertationum hic impreſſarum et certitudinem obſeruationum nec adſerit, nec defenſionem earumdem, quam auctoribus prorſus relinquit, in ſe ſuſcipiet. Diſſertationes quoque ſententiae alicuius iam impreſſae contrarias aeque ac illas, quae veritati alicuius confirmandae inſeruiunt, lubente animo inſerendas curabit. Exteri quoque diſſertationes ſuas a ſcopo ſocietatis non abludentes alterutri ſecretariorum aut Cl. ALEXANDRO MONRO Anatomiae Profeſſori, aut Cl. DAVID HVME Facultatis, quam vocant, Aduocatorum, bibliothecario transmittere poſſunt.

Cum vero non omnes hic inſertae diſſertationes ad ſcopum noſtrum pertineant, eas tantum, quae phyſico-medici argumenti ſunt, paulo curatius, re-

tionibus quibusdam Pariſiis 1740, 42, 43, 47. Germanica quoque verſio Altenburgi in totidem voluminibus ab anno 1749 ad annum 1755 prodiit, interprete Cl. KOENIGSDOERFFER, Med. D. quibus ſextum volumen, Cl. DEMOVRS adnotationes, variasque alias verſiones continens, acceſſit. Nec incongruum erit hic loci ſimul enarrare, eorundem Tentaminum nouam proueniſſe editionem Edimburgi anno 1752 ſex voluminibus in forma, quam dicunt octauam minorem, totum illud opus comprehendentem, quam, a nobis nondum quidem viſam, inſigniter tamen multis in locis auctam eſſe legimus.

liquas autem, quoad titulum tantum, more nobis conſueto, lectoribus noſtris ſumus indicaturi.

p. 1. 1) *De legibus motus* ſatis prolixe diſſeruit HENRICVS HOME, cui prolixiores adhuc

2) *Adnotationes de legibus motus et de inertia materiae* oppoſuit Cl. IOHANNES STEWART. Haud parum vero mirati ſumus, ſocietatem hisce binis diſſertationibus imprimendi locum conceſſiſſe; nos certe temporis, quod his legendis impendimus, valde poenituit. Praeter id enim, quod ambae nihil noui et notatu digni contineant, prioris quoque au-
p. 45. ctor, Cl. HOME, diuerſis corporum phaenomenis,
p. 68. explicationis loco, nomina tantum, a phaenomenis deſumta, impoſuit, et ſic, licet id videri non velit, re ipſa tamen qualitates veterum ſcholaſticorum occultas recoxit. Et poſterior, ſcil. Cl. STEWART, qui Cl. HOME fere ubique, ſed itidem parum firmis argumentis, refellere conatur, eo tandem deuenit, ut cogitandi facultatem a materia haud alienam eſſe
p. 109. arbitretur, et tam motus continuationem quamlibet, quam corporum grauitatem cogitanti cuidam enti atque intelligenti adſcribat, et ſic quaſi cuilibet corpuſculo ſpiritum quemdam familiarem praeponat. Nos igitur lectores his ulterius recenſendis non morabimur.

p. 141. 3) PAPPI ALEXANDRINI *collectionum mathematicarum libri quarti propoſitio quarta generalior facta, cui propoſitiones aliquot eodem ſpectantes adiiciuntur; auctore* MATTHEO STEWART, *in Acad. Edinenſi Matheſeos Profeſſore.*

p. 173. 4) *De cauſa variationis obliquitatis Eclipticae*, Cl. COLIN MAC. LAVRIN.

4) EIVSD.

5) EIVSD. *ſubitaneae et ſtupendae variationes in ſuperficie Iouis.* p. 184.

6) *Obſeruationes de tonitru et electricitate Cl.* EBENEZER MAC. FAIT. Cl. FRANKLINI experimentum, quo probatur, fulgur et ignem electricum unum idemque eſſe d. 15. Sept. 1753 in monte *Calton-hill* dicto repetiit. Binas adhibuit acuminatas virgas ferreas, tubis vitreis inſertas, quarum altera ⅝ pollic. diametri et 11 pedes longa, altera tres pedes longa fuit. Licet vero frequens fulgur et copioſus ignis in aere adfuerit, in virgarum tamen extremitatibus ignis antea, quam pluuiae quidpiam decideret aerque humidior fieret, non adparuit. Minor virga e tubo caſu fortuito exemta ignem nihilo minus aluit, id, quod in longiori virga itidem contigit. Ex hoc monte tandem in illum *Caſtle-hill* dictum transmigrans, urbis plateas tranſeundo, nullum obſeruauit ignem; qui vero in longiori virga, quam primum, praetergreſſis domibus, montem attigiſſet, ſtatim rurſus adparuit. Minor virga, cuius tubum perdiderat, nullum oſtendit ignem, quem vero, dum longiorem virgam acuminata ſua parte caſu contingeret, illico concepit. Obtuſa quoque breuioris virgae pars flammae longioris virgae admota ignem cepit, atque ambabus his extremitatibus contiguis, vel trium aut quatuor tantum pollicum ſpatio a ſe inuicem diſtantibus, flamma fortior adparuit, quam in ſingula ſeorſim, ulterius vero a ſe inuicem remotis flamma obtuſae extremitatis euanuit. Fulguris fulmine ſemel aut bis recta verſus acuminatam virgae extremitatem tendente, ignis quidem cum fulgure ſeſe expandendo unire, ſtatim vero ceſſante fulgure iterum lucere videbatur. Et licet durante hoc experimento multum pluuiae decideret, ignis tamen non prius exſtinctus eſt, quam adeo plueret, ac ſi aqua ex plenis amphoris effunderetur, id, quod experimenti quoque p. 189.

 finem

finem fecit. Varias dein ſubiungit adnotationes, v. c. malos turresque forſitan a tonitru praecaueri poſſe, ſi parti eorum ſummae ligni fruſtum planum rotundum pedis circiter vel maioris diametri horizontaliter imponeretur: Hac enim ratione impediri, quo minus flammae illis inſideant atque iſtic accumulentur. Auroram quoque borealem et fulgur eiusdem materiei eſſe, et comparatione inſtituta admodum probabile fieri, tempeſtates, electricitatem, vim magneticam et auroram borealem mirifice inter ſe connexa eſſe.

p. 197. 7) EIVSD. *Phaenomena quaedam nebuloſa tempeſtate obſeruanda.* Nebuloſa tempeſtate durante frigore, quando ſol ad certam altitudinem peruenerat, frequenter arcum in nebula albi coloris obſeruauit; altitudo arcus angulum ſolis ſupra horizontem eleuationi aequalem atque ſemicirculum formare ipſi videbatur. Sic quoque montem ipſi hac tempeſtate adſcendenti atque ſupra nebulam emergenti tota ſubiacens regio magno quaſi diluuio inundata viſa eſt. In eiusmodi quoque vel ſimili tempeſtatis ſtatu iridem circa hominis iſtic ambulantis umbram in nebula obſeruari poſſe, qualem duplici colorum ſerie gaudentem d. 23 Octobr. 1753 iterum obſeruauit Cl. Auctor.

p. 200. 8) *Menſurae Scoticae cum Anglicis comparatae a* IACOBO GRAY.

p. 205. 9) *Diſſertatio de ſexu plantarum* Auctore Cl. CAROLO ALSTON, Med. D. Regio Botanico in Scotia. An puluis antherarum ſit pars ad foecundationem neceſſaria, an excrementitia, eos, qui in ſtructuram florum et ſexum plantarum inde declarandum inquiſiuerunt, dubios reliquit. Noſter itaque hanc rem ulteriori diſquiſitione dignam iudicauit, omnemque tra-

ctationem

ſtationem in quatuor ſectiones diuiſit, in quarum prima veterum, in ſecunda recentiorum ſententias recenſet, in tertio diſquirit, an farina antherarum ad foecundationem requiratur, in quarta demum verum uſum huius pulueris perueſtigat.

In *ſectione prima* oſtendit veteres Phyſicos THEO-PHRASTVM, DIOSCORIDEM et PLINIVM ad ſexum plantarum ſine euidenti partium declaratione prouocaſſe, et palmae dactyliferae praecipuum exemplum attuliſſe, ab eo tempore vero uſque ad CAESALPINVM, qui circa initium ſeculi praecedentis Romae obiit, neminem de ſexu plantarum cogitaſſe. p. 208.

In *ſectione ſecunda* oſtenditur recentiores hanc rem attentius diſquiſiuiſſe. Cl. GREVVIVS ex his primus fuit, qui pulueri antherarum *ſubtilem et viuificam efficaciam* adſcripſit, et ſimul iudicauit THOMAM MILLINGTON idem aſſeruiſſe. RAIVS ſententiam prolatam ſine ulteriori diſquiſitione aſſumſit; R. I. CAMERARIVS vero, qui ſexum plantarum declarare annifus eſt, haud pauca tamen dubia contra eandem adiunxit. MORLANDVS puluerem antherarum congeriem plantularum ſeminalium eſſe dixit. Quae WALDSCHMIDIVS et GACKENHOLZIVS in ſexu plantarum demonſtrando aſſeruerunt, Noſter non vidit, noua tamen argumenta non continere ex recenſione aliorum cognouit. Cll. Virorum GEOFFROY et VAILLANTII aſſerta recenſet et breuiter perſtringit. Tandem reliquis relictis LINNAEVM ſtrenuum ſexus plantarum defenſorem adducit. p. 213.

In *ſectione tertia* praecipue diſquirit, an puluis antherarum ad foecundationem neceſſarius ſit? et negando reſpondet, quoniam per experimenta, quorum non nulla iam anno 1737. inſtituit, conuictus fuerit, plantam foeminam ſine praeſente mare ſemina foecunda produxiſſe, cum vero hoc per experimenta in ſpinachia, cannabi et mercuriali inſtituta cognouerit, obiectionem de puluere antherarum per ventum p. 226.

late

late diſſipando, nec non de ſtaminibus inter ſtylos forte latentibus, nullam eſſe monet, aſſerendo ſe attentionem ſingularem adhibuiſſe. Aſſumit igitur PONTEDERAE aſſertum, *apicum liquorem ad embryonis foecundationem in omnibus plantis non eſſe neceſſarium.* In eo itaque totus eſt, ut argumenta, quae ſexum plantarum confirmant, a LINNAEO in variis ſcriptis propoſita et a GESNERO * et WAHLBOMIO ** magis illuſtrata refutet. Nos, qui ſexum plantarum ſatis probabilem, dubiis tamen non carentem cognoſcimus, primaria tantum indicabimus, cum litem dirimere nequeamus.

p. 232. Modum huius impraegnationis, quem VAILLANTIVS et alii parietariae exemplo declarant, a I. BAVHINO iam indicatum fuiſſe monet, ſed demonſtrare annititur hoc exemplum, cum deſcriptione floris Linnaeana collatum, diſſipationem pulueris magis, quam impraegnationem ouarii declarare. Nec aliis exemplis eundem magis confirmari contendit, quoniam rimas et canales, in ſtylo puluerem ſuſcipientes,
p. 239. non concedit. Ratione proportionis ſtyli et ſtaminum recte nobis monere videtur, unam antheram ad plurima ſemina foecunda reddenda in cannacoro, plurimas vero antheras ad unum ſemen in pruno aliisque congeneribus deprehendi, ea vero, quae circa ſtyli longitudinem in variis plantis ſtaminibus minus proportionatam affert, proportionis leges vix
p. 242. laedere videntur. De ſtylo poſt emiſſionem pulueris antherarum marceſcente et negotium foecundationis finiente, tanquam argumento a tempore deſumto, ideo dubitat, quoniam plantas adducit, quarum antherae puluerem demittunt, ante quam ſtyli conſpiciantur.

* in Diſſ. de vegetabilibus. I. et II. Tiguri 1740. et 41. 4to.

** in Diſſ. de ſponſalibus plantarum ſub Praeſidio LINNAEI habita. Holmiae 1746. 4to. vid. Amoenitates Academicas. Vol. I. a p. 61 ad 109.

tur. Hoc vero in cannabi, mays etc. nunquam perſpeximus. Pluuias tempore florendi farinam foecundantem eluere et ita fructificationem impedire non concedit, cum potius humido nimio vegetationem impedienti illud adſcribat.

Praecipuum argumentum, ex cultura palmae dactyliferae eiusque foecundatione deſumtum, Noſter negat, et praeſtantiſſimis viris, qui illud obſeruationibus factis declararunt, aſſertum LABATII, viri in re herbaria et vegetationis hiſtoria parum inſtructi, opponit, qui etiam in Martinia inſula, ubi vera dactylorum cultura locum non habet, obſeruationes ſuas inſtituit. Nec TOVRNEFORTIVS et PONTEDERA, licet eximii fuerint botanici, teſtes contra plantarum ſexum adduci poſſunt, cum ille in Hiſpania, hic in Italia, palmarum vegetationem non rite obſeruare potuerint. Non negligendum quidem eſt argumentum, quod palmae non niſi poſt definitam annorum ſeriem ad fructus producendos aptae euadunt, non omittendum tamen eſt alterum, quod ſcilicet cultura ad producendos egregios fructus requiratur, inutiles enim, et certe minus foecundi ſunt, qui in ſylueſtribus locis in palmis ſolitariis producuntur fructus. Nos vero, qui in recenſendo auctorum diſſenſu, a Cl. Auctore indicato, non pergere poſſumus, repetitis experientiis rem vere dubiam tantum confici poſſe aſſerimus. p. 247.

In *ſectione quarta*, in qua uſum pulueris antherarum definire ſuſcipit Noſter, eundem excrementitiam partem quidem eſſe iudicat. Cum enim non nulli, commixtionem pulueris genitalis nouis varietatibus plantarum anſam praebere aſſerant, hae vero varietates ab aliis monſtroſae vel morboſae dicantur, ſententiae ſuae robur inde accedere autumat. Ipſe vero Auctor hac in tractatione acquieſcit, et confitetur, ſe tantum dubia contra ſexum plantarum ad rem ulterius declarandam attuliſſe. p. 279.

10) Ad-

p. 284. 10) *Adnotationes de chemicis ſolutionibus et praecipitationibus** Cl. ANDREAE PLVMMER. Ad facilitandam ſolutionum et praecipitationum chemicarum theoriam ex earum phaenomenis inter ſe comparatis laudabili inſtituto propoſitiones quasdam generales deduxit, quas exemplis ubique cognitis illu-
p. 287. ſtrare aut confirmare annifus eſt. v. c. menſtruum dari uniuerſale quam maxime dubitat, et potius probabile eſſe arbitratur, fore, ut ad cuiuslibet naturalis vel artificialis corporis ſolutionem proprium inuenia-
p. 298. tur menſtruum. Item: Quorumdam menſtruorum ſoluentes vires in actu ſolutionis non deſtrui, ſed in aliis corporibus ſoluendis exſeri, menſtruaque a diſſolutis corporibus ſeparata priores qualitates omnes vel retinere vel recuperare poſſe. Ad cuius poſterioris quoque propoſitionis veritatem confirmandam ſequentia potiſſimum experimenta inſtituit.

p. 315. 11) EIVSD. *Experimenta cum ſalibus neutris, ex diuerſis acidis liquoribus et ſalibus alcalinis fixis et volatilibus compoſitis, inſtituta***. Sal alcali fixum variis liquoribus acidis, ſpiritu nitri, ſalis, cryſtallis tartari ſolutis, aceto deſtillato, ſaturauit, ſal hinc obtentum ſiccum retortae vitreae indidit, atque affuſo dein oleo vitrioli, ſpiritu nitri, vel ſalis, unitos antea ſali alcalico acidos liquores deſtillando rurſus ſeparauit, qui in ſoluendis corporibus utplurimum easdem vires
p. 323. ac ante unionem cum ſale alcalico exſeruerunt. Quo vero ſe ipſum conuinceret, ſal alcali volatile acido unitum iterum expelli atque priori qualitati ſuae reſtitui poſſe, uncias octo ſpiritus MINDERERI (qui ex ſale volatili ammoniaci et aceto deſtillato ad ſaturationem addito componitur) ex cucurbita, addita ſalis alcalici fixi uncia dimidia deſtillauit, atque liquorem optimo ſpiritui ſalis ammoniaci ſimillimum ex-

inde

* d. 3 Ianuar. 1738. praelectae.
** d. 7 Iunii 1739.

inde obtinuit. Ex quibus omnibus dein varia corollaria deducere, atque ſolutionum ac praecipitationum phaenomena ex particularum ſeſe plus minus attrahentium vel repellentium viribus explicare annititur.

12) *Tentamina et obſeruationes cum aqua minerali Hartfellenſi prope Moffat* 1750 *inſtituta*, *una cum relatione virium eiusdem medicatarum*, *quatenus adhuc per experientiam innotuerunt.* *Auctore* GVILIELMO HORSEBVRGH. Varia eaque ſatis accurata, licet non in loco ſcaturiginis, diuerſis temporibus cum hocce medicato fonte, qui ex monte *Hartfell*, tria circiter milliaria ſeptemtrionem verſus a *Moffat* ſito, ſcaturit, atque a IOHANNE WILLIAMSON, hunc anno 1748 detegente, publicoque uſui propriis ſumtibus adaptante, *Williamſonianus* dicitur, experimenta inſtituit Cl. Auctor. Poſt tempeſtatem enim valde pluuioſam d. 26. Auguſt. 1750 hauſta, in lagenis ſubere et cera probe munitis ipſi miſſa, clara pellucida, ſaporis acris aluminoſi fortiter chalybeati ſtypticique fuit. Cum ſapone illam coagulari, atque grauitatem eius ſpecificam ad aquam fluuii *Annan* eſſe deprehendit, ut unciarum quatuor granorum quinque ad uncias quatuor grana undecim. Cum lactis aequali quantitate cocta illud non coagulauit. Syrupus violarum debilem ipſi colorem viridem, puluis vero gallarum ſtatim coeruleum, dein obſcure purpureum et tandem nigrum conciliauit. Infuſum theae eadem, minori licet gradu, praeſtitit. Ab oleo vel ſpiritu vitrioli nec efferueſcentia nec coloris mutatio orta eſt. Oleum tartari vero per deliquium nullam quidem efferueſcentiam, ſed tenues virides nubes in medio aquae ſuſpenſas una cum magna bullularum aerearum quantitate ſenſim diſparentium excitauit, quo facto, nubes, ſenſim condenſatae, fundum petierunt. Solutio ſacchari ſaturni aquoſa eandem

p. 341. p. 342. p. 243.

dem

dem parum albicantem, minus vero albicantem,
quam aquam ſimplicem, reddidit, cum pulueris al-
bi praecipitatione. Aeri liberiori die primo ſeptem-
bris in vaſe lapideo charta obtecto expoſita, die ſecun-
do ſeptembris puluerem fuſcum lateritium praecipi-
tauerat, et plures ſplendentes bracteolas cuprei co-
loris in ſuperficie exhibebat, die tertio maior pulue-
ris fuſci quantitas in fundo, et omnes vaſis partes
aqua tectae flauo colore tinctae inueniebantur, loco
bracteolarum vero pellicula aquae ſuperficiem obte-
gerat; die ſexto aluminoſus ille ſapor admodum for-
tis, chalybeatus vero longe debilior fuit; ſubſtantia
flaua lateribus adhaerens craſſior, polita oleoſaque
adparuit, et aqua cum puluere gallarum immediate
coeruleum colorem induit; die decimo tertio alumi-
noſus ſapor adhuc remanſit fortis, chalybeatus vero
vix diſtingui potuit; ſyrupus violarum debilem colo-
rem viridem, et puluis gallarum coeruleum debilius
quam die ſexto produxit; die nono octobris ſaporem
magis aluminoſum quam recens aqua, ſyrupus viola-
rum vero viridiorem quam antea colorem exhibuit.
Menſura (*Chopine*) dein huius aquae in patina ſtan-
nea ad quartae partis remanentiam cocta flauiuſculi
coloris atque lutoſa facta eſt. Praecipitatis floccis
ochreaceis ſapor auſterior aluminoſiorque remanſit,
quam in illa recenti aut quae liberiori aeri expoſita
fuit. Puluis gallarum hanc admodum lente et poſt
undecim demum horas in debile coeruleum mutauit.
Alia menſura eiuſdem aquae in patina ſtannea ad re-
manentiam unciae unius atque dimidiae euaporata,
atque dein filtrata, limpida atque ſaporis fortiter
chalybeati fuit. Haec ulterius euaporata reliquit ſal
dilute fuſci coloris (qui color ab empyreumate pro-
ueniſſe videtur, leniori enim igne euaporata mere al-
bum exhibuit), et ſaporis aluminoſi, fortiter chaly-
p. 346. beati auſteri. Huius ſalis parum, hauſtui aquae in-
ditum, flauum illi conciliauit colorem, orientibus
vero

vero flocculis flauis, ſenſim auctis ſeque praecipitantibus, ſequente die aqua limpida facta ſaporem fontis medicati originarium, ſed fortiorem habuit. Et decantatae huius limpidae aquae pars altera cum ſyrupo violarum debilem viridem tincturam; altera vero cum puluere gallarum colorem violaceum, lente tamen, dein purpureum et altero die obſcure coeruleum in atrum vergentem; remanens vero in fundo vitri aqua turbida cum ſyrupo violarum fortius viridem exhibuit, quam prior limpida. Haeque tres mixturae ſimul ſumtae, unciam unam ſemis non excedentes, menſurae aquae ſimplicis affuſae colorem obſcure violaceum produxere. Si huic ſali, ante diſſolutionem in parua aquae quantitate, oleum tartari per deliquium inſtillatur, obſcure viridem colorem producit. Super candente ferro uſtum eadem phaenomena, ac ſi aquae inditum eſſet, exhibet, ſaporem aluminoſum amittit, humidum fit, bullas gignit, et in crucibulo calcinatum colorem illum purpureum, quem vitrioli martis calx rubra habet, exacte refert; magnes quoque varias particulas manifeſte attrahit. Hocce ſal cum oleo vitrioli nullos emittit fumos, neque ſal neque terra huius fontis cum ſpiritu ſiue oleo vitrioli vel oleo tartari per deliquium efferueſcentiam quandam producunt. Repetita haec experimenta p. 348.
cum eadem aqua, die duodecimo octobris 1750, tempeſtate iam diu valde ſicca, hauſta, eadem quidem phaenomena, ſed longe debiliora, exhibuerunt. Ex p. 350.
quibus tandem colligit, fontem hunc medicatum 1) volatile quoddam et 2) fixum principium martiale continere; praeter ea vero 3) principium quoque alcalinum fixum, 4) admodum paruam, et minorem quidem, quam aqua ſimplex, quantitatem ſalis communis, 5) aluminis, et 6) terrae calcareae, nequaquam vero ochraceae, continere videri: Porro p. 354.
7) quantitatem horum mineralium principiorum poſt tempeſtatem ſiccam ideo forſitan minorem, quam

poſt pluuioſam deprehendi, quia hac, venae, mineralia principia continentes, altius aqua immerſae
p. 356. eſſe poſſint, quam illa: Dein fontem hunc 8) vitriolum martis natiuum continere, quod 9) fixum atque omnibus vitrioli martis proprietatibus praeditum eſſe, per varia experimenta euincere conatur, licet
p. 359. cryſtalli, quas inde obtinuit, iis, quae arte parantur, pallidiore viridi colore praeditae fuerint. Et cum oleum tartari per deliquium huic aquae menſe auguſto 1752 viridem colorem ſtatim communicaſſet, atque ſolito plures et viridiores in illa nubes excitaſſet; ſyrupus vero violarum nullam viridem tincturam, et puluis gallarum debilè tantum coeruleum exhiberet, cauſam horum phaenomenorum eam forſitan eſſe ſuſpicatus eſt Cl. Auctor, quod principio martiali conſueto maior acidi quantitas iuncta ſit. Huius coniecturae autem veritatem inſtillata una vel altera olei tartari per deliquium gutta oſtendit, atque in mixtura cum puluere gallarum illico colorem admodum obſcure coeruleum produxit: quare experimentum cum oleo tartari per deliquium ſemper adhibendum eſſe ſuadet, ſi martiale principium galla-
p. 362. rum puluere ſufficienter detegi nequeat. Diuturnam quoque huius aquae agitationem martiale principium
p. 364. paullulum debilitare experimento cognouit. De reliquo hoc tantum adhuc notamus, ſocietatem in ſubiecta quadam nota ex viginti ipſi inſimul traditis, teſtimonioque munitis variorum hoc fonte curatorum morborum hiſtoriis, duos caſus recenſere, ex quibus ſatis adparet, phthiſin pulmonalem iam confirmatam his aquis unice curatam fuiſſe *.

13) *De*

* Hinc quoque apparet, non omnes aquas minerales ſulphureas et martiales in phthiſi pulmonali perniciosas eſſe, uti Cl. RAVLIN illas pronunciauit. Conf. eiusdem *Obſervations dt Medecine*, cet. et Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. 417.

13) *De diuerſis variarum ex calce viua paratarum aquarum viribus. Auctore* ROBERTO WHYTT. p. 372.
Poſteaquam commentarium ſuum de uſu aquae calcis viuae quinto tentaminum Edinburgenſium volumini iam inſeruerat Cl. Auctor, litteris a Cl. HALES menſe maio 1751 datis monitus fuit, vires aquae calcis viuae multum augeri poſſe, ſi eadem ſecunda vice calci viuae, recens ex igne deſumtae, infunderetur. Ad huius igitur obſeruationis veritatem indagandam quaedam adhuc experimenta inſtituit, eademque paulo poſt in peculiari libello * publicauit. Cum vero Cl. ALSTON, contrariam ſententiam fouens, aquam ad certum tantum gradum a calce viua impraegnari poſſe, atque ideo ſemel impraegnatam, ab exſtinctione recenter factae calcis in eadem, viribus augeri non poſſe, confidentius aſſereret **, Cl. Auctor, ad demonſtrandam veritatem prioris ſui aſſerti, ſequentia inſtituit experimenta, atque inuenit I) cum 100 pollices cubici *a*) aquae fontanae 25320 p. 376.
grana ponderarent, *b*) eandem quantitatem aquae calcis teſtarum oſtrearum ita paratae, ut 90 granis eiusdem, recens ex igne deſumtae, unciae 96 aquae bullientis per horas 92 infuſae eſſent, pendere 25356 grana, et ſic ad aquam fontanam eſſe quam proxime ut 704 ad 703. *c*) eandem quantitatem ita paratae, ut librae uni calcis viuae librae decem aquae bullientis per quindecim horas infuſae manerent, pendere 25397 grana, et ſic ad aquam fontanam eſſe quam proxime ut 329 ad 328; *d*) eandem quantitatem ita paratae, ut librae uni calcis viuae recentis librae 7 aquae calcis (No. c. deſcriptae ſimpl.) per 7 horas affu-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Pars IV. p. 611.

** In Philoſ. Tranſact. Vol. XLVII. Artic 39 p. 265 ſeq. cuius etiam mentionem iniecimus Comment. noſtr. Vol. III. Part. I. p. 29. et in peculiari libello, cui titulus, *Diſſertation on quicklime* etc. ubi idem etiam de calce teſtarum oſtrearum affirmauit.

affuſae eſſent, pendere 25457 grana, et ſic ad aquam fontanam quam proxime eſſe ut 186 ad 185. Atque hae tres aquae b, c, d, tantum ratione ſaporis, quantum ratione grauitatis ſpecificae a ſe inuicem diuerſae fuerunt. Et cum aqua calcis (d) argento paucorum minutorum interuallo cupri colorem indueret, debilis (b) nullam ſenſibilem mutationem
p. 377. produxit. II) Cochlear paruum vini rubelli (*Claret-wine*) quatuor eiusmodi cochlearibus aquae calcis (b); $2\frac{1}{3}$ cochlearibus aquae calcis (c); et $1\frac{1}{2}$ cochleari aquae calcis (d) opus habuit, ut ex hac miſcela
p. 378. color pulueris pyrii oriretur. III) Porro, grana 20 ſalis tartari cum unciis 8 drachmis 2. aquae calcis (b) per quinque dies calci infuſae, commiſta $2\frac{2}{3}$ gran. pulueris albi praecipitarunt. Eadem ſalis tartari quantitas ex eadem quantitate aquae calcis duplicatae, quae per 8 dies calci ſuperaffuſa ſteterat, plus quam 7 grana pulueris albi; et ex eadem quantitate aquae calcis duplicatae (d), quae per 24 horas calci infuſa fuerat, grana 8 pulueris albi praecipitauit ita, ut poſt admiſtionem ſalis tartari hae aquae ſaporem calcis, et quidem tam ante, quam poſt praecipitationem, retinerent. Aquam igitur duplicatam (d) triplo maiorem quantitatem calcis continere poſſe argumentatur,
p. 380. quam illam ſimplicem (b). IV) Denique tres alias, prioribus vero b, c, d, ſimiles calcis aquas per 19 dies aeri liberiori expoſuit, quarum remanentes, poſt iteratam filtrationem, cruſtae, proportionatam quidem, ſed paulo maiorem terrae calcareae quantitatem, exhibuerunt; et hinc euaporationem, optimam cognoſcendi viam eſſe cenſet, quantum terrae calcareae quaelibet aqua calcis contineat. Cum differentia vero inter grauitates ſpecificas diuerſarum calcis aquarum longe maior ſit, quam pondus terrae calcareae in hisce aquis contentae, hinc euidens eſſe arbitratur, praeter hanc terram aliud quidpiam eſſe, quod calx viua aquae ad ponderis augmentum communicat.

municat. Et in ſubiecta nota praeter hanc terram agiliorem quandam atque ſubtiliorem partem adeſſe debere coniicit, cui aqua calcis ſaporem atque virtutes ſuas praecipue debeat. Hanc per ſal tartari fortiter attrahi, atque hac ratione a terra praecipitata, quam ſolutam tenebat, ſeparari exiſtimat *.

14) *Epitome litterarum Cl.* IOHANNIS LINING *medici Carolinopolitani* (*at Charles-town*) *in Carolina meridionali ad Cl.* ROBERT WHYTT *exaratarum de anthelminticis radicis Anthelmiae* (*the Indian Pink* **) *viribus.* Haec radix aut in puluere, aut in infuſo cum aqua bulliente facto, exhibetur. Grana duodecim pulueris, et grana viginti in infuſo, infanti trium annorum, per aliquot dies mane et veſperi repetita, ſufficiunt. Nimia vero pulueris vel infuſi doſis, breui poſt aſſumtionem, infantibus vertiginem et dolorem in oculis vel ſupra eosdem excitat, una cum irregulari muſculorum adductorum et abductorum motu, reliquis oculi muſculis inaffectis manentibus. Haec ſymptomata vero cito tranſeunt, et citius adhuc ope debilis cuiusdam ſpirituoſi liquoris, cui volatilia, ſeu crocus, vel quaedam oleorum eſſentialium calidorum adduntur, remoueri poſſunt. Cl. Auctor vero puluceri, quem efficaciſſime operari arbitratur, in principio ſtatim ad haec praecauenda p. 386.

E 3 parum

* Idem quoque Cl. DV HAMEL per experimenta cum calce viua eiusque aquis inſtituta cognouit. Oſtendit vero aquam calcis viuae acidam eſſe, et acidum hoc terram, per ſal tartari praecipitandam, ſolutam tenere. Vid. *Memoires de l' Acad. Roy. des Sciences l'an.* 1747. et Comment. noſtror. Vol. I. Part. II. pag. 204 ſeq.

** Eſt Spigelia LINNAEI Sp. Pl. p. 149. Ampabaca quadrifolia fructu teſticulato PLVMIERII Gen. II. de eius efficacia diſſerit PATRICK BROWNE Gentleman's Magazine An. 1751. menſ. Decembr. p. 544. ubi et icon plantae.

parum olei rutae, ſabinae vel abſinthii, et ad aluum aperiendam rhabarbari quidpiam, adiecit. Minus nauſeoſa eſt, et in febribus absque eo, ut calorem nimium excitet, tuto exhiberi poteſt: Et licet non ſemper vermes expellat, infantum tamen querelas admodum alleuat. Infanti aethiopico quatuor annorum ſeptimo die febris cuiusdam continuae cum ſucceſſu exhibetur: ℞. Aq. theriacal. drachm. ij. Aq. font. unc. iiß. puluer. rad. Anthelmiae. Tartari regenerati ana ſcrupul. j. puluer. croci anglic. gr. V. ſacch. q. ſ. M. ſumat cochl. j ſecunda quaque hora. Proximo enim die una cum febre triginta teretes, et altero die poſt repetitam mixturam nouem adhuc vermes ſecedunt.

p. 390. 15) *Curationis hiſtoria per largas medicamenti mercurialis alterantis doſes peractae a Cl.* GEORGIO DENNISTOVN, *Chirurgo Falkirkienſi, Cl.* A. PLVM-
p. 391. MER *communicata.* Ingenuum quendam virum a lue venerea ſaliuationis ope, cum ſcrupulis quatuor mercurii dulcis inſtitutae, liberauerat quidem Cl. Auctor, poſt annum vero idem morbus cum tumore, nucis iuglandis magnitudine in eminentiore tibiae parte conſpicuo, reuertitur. Licet iterum altera ſaliuatione lente admodum cum ſcrupulis octo mercurii dulcis inſtituta diuque protracta, depelleretur, tumor tamen in tibia remanſit, quem pilulis aethiopicis et lignorum decocto tollere tentauit. Poſt menſem vero cum dolores totum crus occupantes iterum increſcerent, loco pilularum aethiopicarum pilulas PLVMMERI * cuius maſſae colomelanos loco totidem

* Deſcriptio virium harum pilularum in Vol. I. Artic. 6. tentaminum Edinburgenſium legitur. Compoſitio haec eſt. Rp Sulphur. aurat. Antimon. Calomel. rite pp. ana. Drach. ij. Calomelas laeuigetur ſuper marmor, per vices addendo Sulph. Antim. portionem, et diuturno

dem mercurii dulcis ſubſtituerat, exhibuit. Aeger curationis adeo diuturnae poſt menſem alterum pertaeſus doſin pilularum, quarum tres vel quatuor tantum mane et veſperi aſſumere debebat, proprio auſu ita adauxit, ut earum 24 quolibet die per ſex integras ſeptimanas aſſumeret. Dolores inter haec una cum nodo prorſus euanuere, optimaque ſanitas absque ulla ſaliuatione inſecuta eſt, licet a 1 Dec. 1739 ad 1 Maii 1740, quatuordecim uncias harum pilul. tres uncias mercurii dulcis continentes, et nouem uncias earumdem, ſcrup. quindecim mercurii dulc. continentes, intra ſex ſeptimanas aſſumſiſſet. Cl. Auctor poſtea plurimos morbos cutaneos et illum quoque, qui ſub nomine *Sibbens* cognitus, in locis paludoſis circa Falkirk ſaeuit, atque eadem cum lue venerea ſymptomata habet, huic alteranti medicamento facile cedere ſaepius expertus eſt. p. 393.

16) *Deſcriptio vaſorum ſeminalium, Auctore Cl.* ALEXANDRO MONRO, *Medicinae ſtudioſo.* Adeo felici ipſi eſſe contigit, vt mercurius in vas deferens impulſus vias ſeminales altius permearet, quam unquam adhuc deſcriptum eſſe arbitratur. Comparat hinc ſuas praeparationes cum praeparatione Ill. HALLERI, eiusque perelegantem figuram Philoſ. Transact. Nro. 494. Artic. XII. inſertam ſuis ipſius elegantibus praeparatorum iconibus in Tabula III. ideo appoſuit, vt comparatio eo melior inſtitui poſſit. Cum vero figurarum explicatio absque figuris ipſis vix intelligi queat, ſaltem notamus, Cl Auctorem vas illud, quod Ill. HALLERVS ſub *lymphatici* nomine * deſcripſit, ab utraque parte mercurio per- p. 396. p. 399.

E 4 uium

turno tritu fiat puluis ſubtilis. Dein Rp pulueris praecedent. unc. ß. Gum. Guajac. drach. iij. Reſin. Guajac. drachm. j. Balſam. Copayiui q. ſ. ut F. MP. ex cuius ſingulis drachmis formentur Pilul. XII.

* Conf. Philoſ. Tranſact. No. 494. Artic. 12. p. 340 ſeq. et Commentar. noſtr. Vol. I. P. IV. pag. 684.

uium inueniſſe, ita, ut, ſi re ipſa lymphaticum ſit, valuulis deſtitutum et ſic a reliquis vaſis lymphaticis
p. 400. ſtructura diuerſum eſſe debeat. Et quoniam, ſi inter praeparandum extrauaſatio quaedam in parte quadam epididymidis contingat, vel ſi quaedam ex eius conuolutionibus ligentur, ne gutta quidem iniectionis ultra hanc extrauaſationem vel ligaturam verſus teſticulum antrorſum propelli poſſit: item, ſi epididymis interea, dum mercurius in vas deferens iniicitur, tranſuerſim diſcindatur, hic ex unico tantum huius diſciſſae partis orificio exſiliat; hoc euidentiſſime demonſtrare arbitratur, corpus epididymidis ex unico mirandum in modum conuoluto tubo compoſitum eſſe. Saepius quoque, ſed fruſtra mercurium per arterias ſpermaticas in vaſa ſeminalia impellere tentauit, licet enim per venas ſpermaticas reuerteretur, nunquam tamen in hosce conuolutos tubos penetrauit.

p. 403. 17) *Diſſectio mulieris grauidae, una cum adnotationibus de utero grauido, Auctore Cl.* DONALD MONRO, *Medico Londinenſi.* In diſſecanda hacce femina ſexto menſe grauida anaſtomoſeos diſquiſitionem, ſi qua inter uteri atque ſecundinarum vaſa reperiatur, ſibi
p. 404. potiſſimum propoſuit Cl. Auctor. Aperto igitur abdomine uterum, quem inteſtinis tectum, et dextra parte elatiorem inuenit, per aortam deſcendentem primo ſubtiliore et dein craſſiore iniectione rubra repleuit. Proximo die ſubſtantiam uteri paulo anterius, quam rotunda ligamenta utero adhaerent, cau-
p. 406. te diſſecuit, et cum ſubiacens pars digitis premendo ab uteri ſubſtantia facile diſcederet, forfice capitulo munita uterum linea cum lateribus eiusdem parallela diſcidit. Quo facto, hanc ſubſtantiam villoſam membranam eſſe, fere ſponte ſua ſe a diſciſſis uteri lateribus ſeparantem vidit. Inter haec nulla dilaceratio vaſorum ſeu fibrarum obſeruari potuit, ſi quaedam loca excipias, ubi paruae quaedam conuolutae arteriae,

arteriae, huic villoſae membranae adhaerendi cauſa, ab anteriore uteri parte abſcedebant. Vterus ipſe, p.407.
eandem circiter craſſitiem habens, ac non impraegnatus quiſpiam, compoſitus erat ex firma exteriore membrana, quae ope contextus celluloſi, per quem arteriarum numerus diſcurrebat, ſubſtantiae rubrae, dimidiam circiter uteri craſſitiem aequanti atque muſculoſam faciem habenti, nectebatur; fibras vero vere muſculares in regularibus ſtratis iacentes obſeruare non potuit. Intra hanc albidior ſubſtantia aderat, quam extenſio celluloſam membranam eſſe euidenter demonſtrabat, numeroſis vaſis arterioſis venoſisque ubique per illam diſcurrentibus. In medio diſciſſorum uteri laterum vacuae venae cum diſtentis ab iniectione arteriis comparatae admodum amplae erant. In interna ſuperficie abſciſſae uteri partis arteriae conuolutae, et quaedam venarum orificia in conſpectum veniebant, et exterior chorii lamina ſcabra, ſuccu- p. 408.
lenta quodam modo villoſa, pallidi carnei coloris et non prorſus tranſparens erat. Conuolutae arteriae ipſi adhaerentes forcipe ſeparabantur absque ulla dilaceratione fibrarum diſcernenda. Haec exterior chorii membrana alteri, ſeu tranſparenti propie ſic dicto chorio, ſeſe ab exteriore fere ſponte ſua ſeparanti, per admodum ſubtilem teneramque celluloſam ſubſtantiam iungebatur. Quibus tandem cum amnio diſciſſis, foetus aquis innatans capite deorſum poſitus apparuit. Allantois detegi non potuit. In- p.410.
iectis dein in arterias et venam umbilicales diuerſis liquoribus, iniectionem quoque in venas uterinas, poſteaquam diſciſſas uteri margines conſuerat, impulit. Exemto utero apertaque vagina in parte po- p.411.
ſteriore, inſignis pars ceruicis uteri admodum parum diſtenta, et os tincae ut parua rima, annulo glandulari, craſſo muco repleto, circumcirca obſita, apparuit. Separata dein ſuperiore dimidia placentae parte ab utero, cui per firmiorem celluloſam membra-

nam, quam omnes reliquae oui partes, connexa erat; extrauaſationes omnium quatuor iniectionis generum, illius tamen, quae in aortam deſcendentem iniecta erat, maxima pars inter placentam et uterum inueniebantur. Nullum vero vas placentae iniectione ex utero veniente, nec ullum vas uteri iniectione
p. 412. ſecundinarum repletum erat. Plurimae aperturae *ſinus* dictae, viridi iniectione plenae erant, quaedam vero admodum parum rubrae iniectionis continebant. Interna uteri membrana parti cuiuslibet orificii earum, quarum quaedam minimi digiti, alia vero vix ſtili capacitate erant, ſuperextenſa valuulae genus formabat. Venae exinde continuatae, utut amplae, ipſis tamen ſinubus minoris diametri erant.
p. 413. Venam ſpermaticam monſtroſae magnitudinis et multoties arteria ſpermatica maiorem obſeruauit, quae ambae circa ſe inuicem ita contorquebantur, ut interdum arteria venam intrare videretur. Quae omnia figuris in tab. IV. V. VI. VII. egregie illuſtrauit Auctor, variasque adnotationes ſubiunxit, quas vero, ne nimis longi ſimus, praeterimus, et ſaltem notamus, compreſſionem iliacarum venarum ab utero expanſo ipſi cauſam, tam vaſtae diſtenſionis venarum ſpermaticarum, quam oedematis pedum et labiorum pudendorum maxime probabilem videri.

p. 426. 18) *Obſeruationes de utero grauido ſupplementi loco additae a Cl.* ALEXANDRO MONRO *Medic. Cultore.* Feminae 40 annorum, quatuor infantum matris, quinque menſes grauidae uterus fere aeque magnus, ac antecedens, licet figurae magis oualis et anterius peritonaeo contiguus fuit. Liquor in hypogaſtricas arterias iniectus ſpermaticas et ſat magnam arteriam in ligamento uteri rotundo repleuit; ſpermatica dextra parua, ſiniſtra pennae anſerinae, et hypogaſtricae mediae inter has magnitudinis fuerunt. Aer in venas inflatus totum uterum diſtendit, et venam in ligamen-

ligamento rotundo arteriae ante dictae reſpondentem amplam manifeſtauit. Vteri anterius diſciſſi tres quartae craſſitiei partes manifeſto muſculi faciem habebant, fibris pallide rubris, quae in aqua coctae a carne quacunque cocta diſtingui non poterant; plurimae eius fibrae tunc oblique a ceruice fundum verſus diſcurrere, aliae vero transuerſim poſitae eſſe videbantur *. Liquor amnii dilute fuſci coloris fuit, additum vero oleum vitrioli aut oleum tartari per deliquium nullam mutationem produxit, id quod ipſi probare videtur, illum parum ſeroſi vel urinoſi liquoris continere. Idem in aquae bullientis calore tenuis albicantis ſpumae quidpiam oſtendit, eiusdemque uncia una ad ſiccitatem cocta ſcrupulum ſeroſi coaguli reliquit. Ceruix uteri prope os tincae veſicularum racemis muco obſcure fuſci coloris repletis obſita erat, paruaque orificia idem liquoris genus continentia in earum interſtitiis adparebant. Placenta remota inter hanc et uterum iniectio in hypogaſtricas arterias impulſa extrauaſata reperiebatur, nihil vero eiusdem placentae vaſa intrauerat. Dein multae paruae ſerpentinae arteriae orificiis ſuis in internam uteri membranam hiantes conſpiciebantur; et aliae plerumque ampliores conuolutae arteriae, quarum extremitates nondum obſeruari poterant, in interſtitiis cauitatum cera repletarum, quae in priore diſſertatione *ſinuum* nomine inſigniuntur, prominentes apparebant. Hi vero ſinus, uti Cl. Auctor illos obſeruauit, in interiore uteri parte absque ulla praeuia diſſectione conſpici potuerunt, praecipue eo in loco, ubi placenta adhaeſerat; in omni enim alia uteri parte eorum pauci tantum, iique admodum parui reperiuntur. Eorum latera membranacea fuerunt, quorum

p. 428.

p. 429.

p. 430.

* Confer. Nou. Comment. Acad. Scient. Imper. Petropol. Tom. I. ad annos 1747. 1748. Artic. 2. p. 337. ſeq. et Comment. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 231. ubi idem a Cl. WEITBRECHT aſſeritur.

quorum illud, quod cauitati uteri proximum eſt, in quolibet ſinu admodum tenue cum amplo quodam
p. 431. orificio inſtructum deprehendit. Inflato aere vel iniecto in venas liquore facile diſtendi; ex arteriis autem itidem quidem, ſed longe difficilius repleri potuerunt; extenſi, figurae ſphaeroideae adparent; et cum diameter orificiorum cauitatum diametro minor ſit, ſinuum nomen illas obtinere poſſe cenſet. Diſſectione arterias in quosdam eorum, minimum hiantes obſeruauit; ex omnibus venae magnae exierunt, quae omnes una cum ſinubus largas inter ſe communicationes habuerunt; et licet quidam ſinus duas vel tres tantum paruas ſe in illos aperientes venas habuerint, in genere tamen diameter harum ex ſinubus continuatarum venarum non longe inferior fuit diametro ſinus ipſa. Et cum hinc adparere arbitretur, has cauitates nil niſi dilatatas quodam modo ramorum venoſorum extremitates eſſe, earum formationem ex ſolito difficiliore ſanguinis ex utero grauido regreſſu
p. 432. facile explicari poſſe autumat. Hic enim accumulatus venas omnes valde, earum vero extremitates, laxa interna uteri celluloſa membrana tantum tectas, maxime dilatabit, qui effectus iſtic, ubi maximus humorum affluxus eſt, i. e. ubi placenta adhaeret, maxime quoque conſpicuus erit. Cum igitur hi ſinus nil niſi impraegnationis effectus ſint, nec unquam in utero virgineo inueniantur, menſtruus quoque fluxus vel aliud quoddam phaenomenon ex eiusmodi ſtructura vix explicari poterit. Prope marginem placentae, ubi ſinus non adeo frequentes ſunt, aliquot orificia arteriarum, quarum quaedam notabili diametro praeditae erant, directe in ſinus hiantia inuenit, ea-
p. 434. demque Tab. VII. delineauit, Quin imo arterias cum ſinubus communicantes in cadauere, a fratre diſſecto, adfuiſſe arbitratur. Extrauaſata enim per aortam iniecta rubra materies ipſi antea ſinus repleuiſſe

uiſſe et dein per craſſiorem viridem in venas impulſam iniectonem rurſus extruſa eſſe videtur.

19) *De differentia reſpirationis atque motus cordis inter homines dormientes vigilantesque diſſeruit Cl.* R. WHYTT. Cum tota haec tractatio theoriae Cl. Auctoris iam antea propoſitae * et a nobis etiam fuſius expoſitae ſuperſtructa ſit, nobis in hac recenſenda procul dubio eo breuioribus eſſe licebit. Primo oſtendere allaborat, pulſus tarditatem ſomni tempore partim a tardiore ſanguinis regreſſu ad cor, praecipue vero a minore cordis ipſius ſenſibilitatis ſeu aptitudinis ad motum gradu prouenire. Et poſito dein, cor ſomni tempore minus ſenſibile eſſe, atque ita ſanguinem tardius et in minore quantitate in pulmones proiicere, neceſſitatem quoque reſpirandi hinc paullo imminui; et cum praeterea ſomni tempore pulmonum quoque ſenſibilitas paullulum imminuatur, reſpirationem inde quoque neceſſario paullo tardiorem atque profundiorem fieri debere autumat. p. 436.

20) *Adnotationes de muſculis intercoſtalibus, Auctore Cl.* ALEXANDRO MONRO, *Anatom. Prof.* BAYLII propoſitam demonſtrationem de actione muſculorum intercoſtalium internorum, a Cl. TAUVRY reiectam, ad rationes reddendas adplicauit, cur interni muſculi intercoſtales inter ſpinam et coſtarum angulum deficiant, et cur externi intercoſtales muſculi eo loco deficiant, ubi coſtae ſe verſus ſternum ſurſum conuertere incipiunt. Absque addita figura vero vix intelligi poterunt. p. 447.

21) EIVSD. *Curatio disrupti tendinis Achillis.* Disruptio tendinis Achillis olim aut non adeo frequens, p. 450.

* In libro, cui titulus: *An Eſſay on the vital and other involuntary motions of Animals etc.* et Comment noſtr. Vol. I. Part. IV. pag. 589. ſeq.

quens, aut pro alio quodam morbo habita, fuit. Raro enim eius mentio iniicitur. Ex viginti vero vel triginta retro annis longe frequentior facta, Cl. Auctori ipſi accidit, qui disruptionis tempore eam ſenſationem habuit, ac ſi calcei calx pauimento foramen impreſſiſſet, id quod alii, quibus hoc accidit, itidem factum eſſe putarunt; alii autem de acri ictu ope lapidis vel ſcipionis ipſis inflicto conqueſti ſunt. Adeo vero crepuit, cum tendo disrumperetur, ac ſi nux quaedam ſubito ſub pedis calce frangeretur, id quod praeſentes etiam accidiſſe autumabant. Cl. Auctor vero factum augurans pedem ſiniſtrum ſtatim dextra prehenſum fortiter extendit, atque ſuram ſiniſtra
p. 452. manu deorſum preſſit. Ligatura ex pannis complicatis aſſerulaque conſtans ſuperiori pedis parti adplicata breui longe moleſtior fuit, quam quae diu tolerari potuiſſet; hinc aliam magis compoſitam tab. VIII. fig. 2. 3. 4. delineatam machinam excogitauit, cuius tamen notitiam, cum ſine iconibus intelligi nequeat, ex ipſo libro repetere velit lector. Interim notamus, eius ope, ſeruatis ſimul diaetae regulis, integre reſtitutum fuiſſe Cl. Auctorem.

p. 459. 22) *Relatio morbi a plumbi, minerarum metallicolis Mill-Reek dicti, Auctore Cl.* IACOBO WILSON *Chirurgo Duriſdeerienſi ad* ALEX. MONRO, *Anat. Prof.* Omnes quidem iſtic habitantes, ii tamen praecipue, quorum labor quotidianus in eliquando plumbo conſiſtit, huic morbo ſubiecti deprehenduntur. In leuiori gradu moleſtia ſeu grauitas circa ventriculum et cartilaginem enſiformem adeſt, interdum quoque colicae faciem habet. Saliua aegri dulcis quodam modo coerulei coloris atque illi, quae a ma-
p. 460. ſticato plumbo oritur, ſimilis deprehenditur. Pulſus aliquantum debilis, et cutis per totum corpus frigida eſt, ſudor quoque viſcoſus ſaepe prorumpit. Crura debilia fiunt cum pungente ſtupore, totum-

que

que corpus debile et laſſum eſt. Appetitus immi-nuitur, nec digerunt, quod comedunt. Interdum diarrhoea curationem facit, quodſi vero diutius con-tinuet, admodum nocet. In hoc ſtadio aegri tamen adhuc obambulare muniaque conſueta obire poſſunt. Quodſi vero haec ſymptomata diu continuent, et ſpirituoſi liquores ventriculo vacuo ſeu poſt plumbi operas bibantur, morbus ad ſecundum ſtadium per-uenit, in quo prioribus malis dolor fixus in ventri-culo et inteſtinis ſpeciatim in inferiore abdominis parte ab uno oſſe ilium ad alterum ſe extendens ad-ditur. Aegri aluo admodum adſtricta laborant, ipſis-que videtur, ac ſi inteſtina arroderentur, pulſus ce-lerior fit cum cutis calore. Vertigo cum vehemente dolore caput occupat, cui inſenſibilitas et delirium, maniae peſſimi generis ſimile ſuccedit; adeo ut pro-priam carnem dilacerent, et manus proprias mor-deant. Extremitates tremunt et conuelluntur; tan- p. 461.
dem debiles fiunt, pulſus tertio vel quarto quoque ictu intermittit, et comatoſi vel apoplectici moriun-tur. Fumus ab eliquatione plumbi oriundus ideo pro cauſa huius morbi habetur; quia liquatores ei-dem maxime ſubiecti ſunt. Cl. Auctor paſcua ſae-pe a fumo illis incumbente coerulea facta vidit, quae pecudes illa depaſcentes occiderunt. Animalia ea- p. 462.
dem fere, quae homines experiuntur, et in cane, hoc morbo laborante, Cl. Auctor *Sludge* ſ. ſubtiles plumbi in aqua inter abluendum ſubſidentes parti-culas interiori ventriculi et inteſtinorum tunicae ad-haerentes vidit, quae in quibusdam partibus cru-ſtam efformauerant. Inteſtina quibusdam in locis valde inflammata, in aliis ſphacelo corrupta ac per-forata erant; et faeces admodum durae per tunicas inteſtinorum hinc inde craſſiores factas eo difficilius tranſire poterant. In principio aptam medicinam morbum plerumque tollere, in vertigine ſucceſſum dubium eſſe, et curatione ulterius dilata, morbum

fere

fere ſemper occidere obſeruauit. Itaque quoque iter unius diei ipſis plus nocere, quam bidui laborem aſſeuerat. Curationem, experientia edoctus potiſſimum in purgatione primarum viarum conſiſtere arbitratur. Hinc vomitoria antimonialia larga doſi commendat, in maiori adhuc doſi ſtatim repetenda, ſi prius exhibitum nec vomitus nec alui depoſitiones ciuerit.

VI.

ALBERTI HALLERI, Praeſidis S. Reg. Sc. Götting. Opuſcula pathologica partim recuſa, partim inedita: quibus ſectiones cadauerum morboſorum potiſſimum continentur. Accedunt Experimenta de Reſpiratione quarta parte aucta. Lauſannae ſumpt. Marci-Mic. Bouſquet et Soc. 1755. 8. pl. 19. tabb. aen. 3.

Quo vero ex obſeruationibus et experimentis, quam hypotheſibus, plus cepit medicina incrementi, et quo maior ideo viris, qui illas, quam qui has, tradiderunt, debetur laus atque gloria: eo inſignior etiam vel ex eo accedere videtur Ill. HALLERI de medicina meritis cumulus, quod ea, quae in morboſorum cadauerum ſectionibus in primis obſeruauit, in hiſce opuſculis pathologicis poſteritati conſeruare voluerit. Morbos enim cauſasque eorum rariores, vel nouas, vel praeteruiſas non modo iis ipſis expoſitas, verum ipſam quoque naturalem partium corporis noſtri fabricam et uſum ſaepius vindicatum ſibi illuſtratumque accuratius fuiſſe, perlegendo deprehendimus. Collecta quidem in unum volumen hic nobis offeruntur tum programmata, quae vocant, numero ſeptemdecim, annis 1749 ad 1753 diſputationibus inauguralibus candidatorum

datorum non nullorum praemiſſa; tum alia, quae Philoſophicis Transactionibus, Actis Academiae Suecicae Stockholmienſibus, Commercioque litterario Norico inſerta exſtant, et quorum quaedam ipſi indicauimus; acceſſit etiam experimentorum de reſpiratione recenſio, quae in opuſculis anatomicis ipſius propoſita, nos quoque expoſuimus; * ſcriptorumque tandem, quae hactenus edidit Noſter, quaeque adhuc editurus eſt, catalogus; atque adeo, quae amplo ſermone hic recenſeamus, vix quaedam ſupereſſe videntur. Enim vero inter obſeruata haec alia quum occurrant, quae nondum in publicum edita, e ſchedis ſuis addidit Ill. Auctor; alia etiam ex iis publicata quidem, a nobis tamen nondum indicata quum ſint; quarta denique etiam pars experimentorum de reſpiratione noua nunc quum prodierit; ex iisdem omnino non nulla, eaque grauioris argumenti, noſtris in commentariis exponamus, oportet.

Quando igitur ab ipſis obſeruationibus morborumque hiſtoriis capiendum eſt initium, eas unice ex inciſis cadaueribus morboſis petitas eſſe, opus non eſt, ut praemoneamus; inſcriptio enim idem ipſa loquitur; illud tantum iuuabit de iis generatim addidiſſe, ſincere, ſimpliciter, breuiterque enarrata eſſe phaenomena praecipua, neglectis, quae mere accidentia viſa ſint, omnibus, atque ex illis, quae fluxerint proxime, ſubiuncta pauciſſimis corollaria. Ordinem ad laeſarum partium corporis noſtri viciniam ſibi Noſter delegit, ita, ut a capitis morboſis affectionibus exorſus, ad reliquorum organorum viſcerumque contemplanda vitia progreſſus fuerit.

Obſ. 1. *Scirrhum cerebelli* exhibet, ex *Philoſ. Transact.* n. 474. repetita. p. 9.

Obſ. 2.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 189 ſeq.

p. 11. *Obſ.* 2. *Falcis foramina* cerebrique hemiſphaeriorum inde coalitio uſum falcis declarant, in ſuſtinendis hemiſphaeriis poſitum, ne alterum incumbat alteri, in primis quando in latus decumbimus.

p. 12. *Obſ.* 3. *Capſula lentis cryſtallinae obſcurata* proponitur. in fele quidem viſa fuit capſula haec pellucida et facile ſeparabilis a lente, lens alba et mucoſa, intus nucleus ſolidior, in tres partes fiſſus, iris conuexa, ciliarium filamentorum conuexus circulus. Bis autem in femina lentem flauam et pellucentem, capſulam eius opacam et albam obſeruauit Noſter, eamque adeo poſſe obſcurari, contra negantem illud b. GÜNZIVM, exinde collegit.

p. 13. *Obſ.* 4. *Aneuryſma carotidis* deſcribitur. Tumor albus, ab aure ex maxilla inferiore ad clauiculam extenſus, durus paullum, digitis tamen cedens, non in ſe rediens, obſcuram mouit fluctuantis materiae ſuſpicionem. Operationem praeuertit aegri mors. Atque tunc diſſectus tumor celluloſus, membranaceus, pugno duplo maior occurrit, a ſubclauia ad diuiſionem uſque duorum ramorum carotidis expanſus, cuius membrana amplior valde duriorque facta fuit; in ipſo ſacco multi grumi ſanguinis, quorum exterior pars in celluloſam abiit, fluidi ſanguinis parum adfuit.

p. 14. *Obſ.* 5 *Scirrhum muſculo maſtoideo* medio in celluloſa eius, inhaerentem album oualem, vaſculoſum, muſculo ipſo ceterum ſano, ut nouam obſtipi colli cauſam exhibet; quae ſi fuerit, fruſtra ſuſcipi poſſe muſculi in latere, in quod inclinat caput, ſectionem, et fruſtra etiam oppoſito lateri ex Cl. WINSLOWII conſilio applicari remedia, inde colligit Noſter, in paralyſi hanc concedens curandi methodum.

Obſ 6.

Obſ. 6. *Strumas* conſiderat, quas in planioribus Heluetiae locis, et Gottingae quoque vidit Ill. Auctor aeque frequentes, ac in Alpibus. Glandulae thyroideae vitium eſt. Fuit haec aliquando mollis, ſolito maior, inflata, forte ab aere, ut putat Cl. L'ALOVETTE, per parturitionis conatus in minimos ductus ex arteria aſpera irruente; alio tempore mollis carnoſa, media calloſa, pinguis, lapidea fuit; alio cutis lobi unius craſſa, mollis, caro glanduloſa, partim lardi ſimilis, partim oſſea fragmenta viſa ſunt. Tophi etiam et hydatides, et pus in eadem ſeſe obtulerunt, quin in cane quoque vermes. Fertur diu ſtruma, necat vero interdum comprimendo venas iugulares et arteriam aſperam. Dubia ob vaſorum copiam et amplitudinem amputatio. p. 16.

Obſ. 7 *et* 9. *Suffocationis cauſſas rariores* offert, quarum prior fuit auellana nux, infra glottidem, ſub ligamentis inferioribus, haerens ſuper tracheae oſtium; altera, eaque rarior, in puellae, cetera ſanae, ore et faucibus, detecta lumbricorum copia, et inprimis par vermium teretium, aſperam arteriam, in principio pulmonis, ad cordis ſedem occupantium. p. 19.

Obſ. 8. *Raucitatis vocisque extinctae cauſam* repertam ſiſtit in tumore et ulcere, epiglottidis dimidiam fere partem quod eroſerat, neque vero feminam ſuffocauerat, uteri potius enectam vitio.

Obſ. 10. *Gibbi hiſtoriam* tradit. Antrorſum et extrorſum medium pueruli prominuit ſternum cum cartilagineis appendicibus, coſtarum vero parte oſſea introrſum contracta. Vitium fuit emollita coſtarum nouem ſuperiorum pars, qua cum cartilagine connectitur, quaeque in ſceleto durior iterum facta eſt, reliquis coſtarum corpore et apophyſibus nihil mutatis. Viſcera cetera bona fuerunt et integra. p. 20.

p. 24. *Obſ.* 11. *Curuitatem ſpinae dorſi* deſcribit. In femina, quae dorſo ſuo geſtauit arenae pondera, defuncta ſerpentinas ſpinae huius flexiones, in viua quae non aparuerunt, detexit ſectio. Ita vero contortae viſae ſunt thoracis et lumborum vertebrae, ut ſummae duae thoracis ſanae, tertia, quarta et quinta inferius dextrorſum, ſuperius ſiniſtrorſum flecterentur; ſextae et ſeptimae corpus totum dextrorſum eſſet, lateralis par eius antrorſum directa; binae ultimae dorſi et prima lumborum magno eminerent tubere ſolidiori, duriſſimoque, ex earum corporum ancyloſi facto; ſecundae denique et tertiae lumbaris vertebrae ſiniſtrum latus excauatum inſigniter.

p. 25. *Obſ.* 12. *Hydropem ſaccatum vel in ipſa pleura* quoque naſci poſſe confirmat. In hydropici enim thorace, praeter aquam in pericardio effuſam, totum illius cauum aqua viridi fuit plenum, pulmones nulli viſi. Inter muſculos nimirum intercoſtales et pleuram, quae a coſtis diſceſſit, ſaccum formans cauo pectoris aequalem, aqua illa ſtagnauit; pulmo inde ſiniſter compreſſus fuit, manus craſſitie tenuior; dexter ulcere fere conſumtus.

p. 26. *Obſ.* 13. *Pleuritidis in pulmone ſedem* euincit, e Commercio litterario Norico 1735. repetita. Raro vel numquam ſola pleurae inflammatio!

p. 28. *Obſ.* 14. *Peripneumoniae ex transſudatione ſanguinis* exempla tria adfert. In primo fuit febris acuta mitior, ſenſim aucta, fruſtra vena ſecta, fruſtra adhibito aceti vapore, aeger moritur. Pulſus mollis, paruus et celer. Diſſecti in pulmone non ulcus, nec inflammatio, ſed ſanguinis in cellulas ſeſe obtulit effuſio; magna pars viſceris nigerrima, in aquam miſſa ſubſedit. Alterum exemplum puer erat, cuius pulmo ſiniſter cruore plenus, cor ſiniſtrum inane,

dextrum

dextrum contra cum aure diſtentum ſanguine, aortae oſtium polypo obſeſſum, pleura inflammata, idemque ſudor ſanguinis. Vnde colligit Noſter, ſanguinem non in ſolis vaſis haerere peripneumonicorum, ſed verum omnino fieri errorem loci, ut vaporis loco ille exhalet in cellulas aereas. Porro et pueros immunes ab hoc malo non eſſe inde pateſcit. Tandem vir quinquaginta annorum, febre acuta cum dolore et oppreſſione pectoris, ſingultu perpetuo, pulſu intermittente, periit, accedente deglutitione difficili, delirio et ſudore. Cuius viſcera ſana fuerunt; pulmones leuiter adhaeſerunt, ſcirrhi notati initiis; diaphragma illaeſum; Ventriculus autem inflammatus, ſanguine in celluloſam ſecundam effuſo, circa cardiam atro inde imbutus fuit colore. Singultus adeoque illius ſedes latuit in ventriculo.

Obſ. 15. *Phthiſin* etiam ab infantia minime excludi, variis exemplis confirmat, quibus pulmones ulcere et abſceſſibus conſumtos fuiſſe conſtitit. p. 33.

Obſ. 16. *Adhaeſionem pulmonis* cum pleura innoxiam monſtrat exemplis, quam ipſi recordamur ſaepius obſeruaſſe in ſanis etiam poſt mortem. p. 35.

Obſ. 17. *Vaſa magna thoracis aperta* exhibet. Poſt lapſum languoremque inde diuturnum defuncti in cadauere pulmo ſiniſter totus euanuerat, viſcida foetidaque in thorace relicta aqua; aſpera arteria et vaſa maiora quaſi reſecta hiabant; dexter pulmo olidus eroſus; pericardium adnatum ſterno. Diriſſimos aliquando fert homo morbos, vita ſuperſtite!

Obſ. 18. *et* 19. *Aneuryſma aortae* et *carotidem arteriam venamque iugularem excoecatas* deſcribit et icone illuſtrat, Philoſ. transact. n. 483. et n. 492. olim iam inſerta. p. 36.

p. 42. *Obſ.* 20. *Venam cauam coecam* exhibet inter iliacas et renales concretam, caui loco carnem polyposam fibroſam. Vena ſpermatica dextra ſolito amplior, in uretericam venam ſimili modo dilatatam reduxit ſanguinem. Cauſa compreſſionis in cadauere detecta nulla fuit.

p. 44. *Obſ.* 21 *ad* 24. *Ventriculi mala quaedam grauiora* recenſent. Situs et figura inſolita neglecta ſunt ut vulgaria. Obeſi hominis, ex longo acidorum, forte mineralium etiam, uſu non ſanati, ſed contabefacti, ventriculus ſcirrhoſus erat circa oeſophagum duo pollices craſſus, albus, ex laminis ſibi inſtratis compoſitus. En! noxam abuſus acidorum in corpore! In femina hydropica, praeter mala plura, in ventriculo circa pylorum decem tumores ſeſe obtulerunt hemiſphaerici, papillarum inſtar, quorum apex niger, perforatus, plena pure cauitas, moles varia. An a vermibus, an ab obſtructis cryptis, dubium. Alio in exemplo peritonaeum, ventriculus, colon, duodenum, hepar atque cyſtis fellea in unam maſſam concreta fuerunt, fibris albis undique excurrentibus; coli vacui ulcus in ventriculum apertum; ventriculus ſcirrhis et abſceſſibus plenus. Tandem inedia enecati ventriculum vidit Noſter cum inteſtinis vacuum, absque ullo fecum veſtigio; bilis autem, replebat inteſtina. Omenti, meſenterii, multa adhuc erat pinguedo atque craſſities. Ventriculi glandularum oſcula rara, prope pylorum plura et maiora eadem. Adipem ergo non ſtatim conſumi in inedia; et bilem absque tumore ventriculi poſſe exprimi manifeſtum eſt.

p. 49. *Obſ* 25. *Omentum ſcirrhoſum*, conuolutum, ſeſquipollicem craſſum, ventriculo et hepati adnatum, pure plenum foetidiſſimo deſcribit; Pancreas etiam ſcirrho-

ſcirrhoſum fuit; renes compacti, ſolidi. Cauſa fuit ictus calcis abdomini illatus.

Obſ. 26. *Tympanitidis* legitur deſcriptio. Aer p. 50. nullus in abdomine; inteſtina aere diſtenta enormiter; bullae huius inter muſcularem et externam tunicam in celluloſa multae; foetor teterrimus.

Obſ. 27. *Inteſtinorum introſuſceptionem innoxiam* p. 51. adſerit variis adductis exemplis. Inteſtini ſolius et cum meſenterii portione inuaginationem, in puero aeque, ac in adulto, Noſter vidit absque inflammatione, flatuque facile deletam; quin et geneſin eius idem obſeruauit in viuo cuniculo, itemque in ranis crebrius, qua nimirum inteſtini pars conſtricta, vi longitudinalium fibrarum, in vicinam ſeſe immiſit, tactaque veneno ſponte iterum ſe expediit. Quae quum igitur adeo mobilis atque ſolubilis, absque omni inflammatione et ciborum in adfecto loco collectione a Noſtro obſeruata fuerit frequentius, eam ilei morbi cauſam non eſſe idem inde colligit.

Obſ. 28. 29. 30. *Herniarum* leguntur hiſtoriae. p. 53. Secundam de exomphalo connato ex Commerc. litter. Noric. 1736. repetitam, et tertiam, varias quae deſcribit hernias vulgares, non tangimus, primae modo in praeſens expoſituri argumentum. Herniam enim in ipſo fetu non raro iam natam illa demonſtrat, vacuam quidem, ſed quam ex minimis cauſis inteſtino repleri oporteat. Multum huc facit teſticulorum alius in fetu, ac in adulto ſitus. Bis in ſemeſtri abortu apparuerunt teſtes in ſuprema parte oſſis ilium ſub renibus ita poſiti in oſtio tunicae ſuae vaginalis, cylindricae, vacuae, peritonaeo continuae, ut in cauo peritonaei ipſiusque abdominis continerentur cum inteſtinis. In maturioribus fetubus ſederunt in ſummo inguine teſtes retro perito-

naeum, mox deſcenſuri in vaginam ſuam adhuc inanem. Quando igitur vi reſpirationis et muſculorum abdominalium teſtes in patulum peritonaei proceſſum, vaginalem puta tunicam, deſcendunt, inteſtina quoque ſimul cum ipſis facile huc detrudi poſſunt, eodem peritonaei contenta cauo. Vnde herniae etiam congenitae. Dubius vero adhuc Noſter, morboſus ne hic eſſet teſtium ſitus vaginaeque apertum oſtium, an in omni fetu naturalis haeç ſit partium conditio, duobus tandem exemplis hanc vltimam confirmauit ſententiam. In recens nato enim utroque fuit teſtium in ſuperiori parte inguinis ſedes; tunica vaginalis caua, patula ſuo oſtio adſcendit in abdomen per verum peritonaei foramen; cremaſter cum vaſis ſpermaticis per idem oſtium adſcenderunt, ſcrotum inane fuit.

p. 67. *Obſ.* 31. *Prolapſum ani aliquando funeſtum* viſum tradit, qua inteſtinum rectum ad pedis longitudinem exciderat, villoſa eius tunica exteriore facta ruberrima.

Obſ. 32. *Abſceſſus hepatis erroresque circa eum morbum* refert. In homine pro empyematico curato, poſt operationem defuncto, hepatis ulcus viſum eſt in ſuperficie, diaphragmati vicinius, ut hepar tumidum ſurſum repulerit hoc, medicosque fefellerit in diagnoſi. In alio hepatis abſceſſum dolor et tumor, ſub ſcapula ad decimam fere expanſus coſtam, manibusque cedens, febris lenta et icterica facies indicarunt. Inciſum tumorem haemorrhagia maxima ſequuta eſt et mors. Cauſa mali fuit ſaccus coecus, cruore grumoſo plenus, ex arteriarum intercoſtalium ramo cutaneo natum aneuryſma ſpurium. In puella denique hepatis abſceſſus pure plenus fuit et cum colo ieiunoque inteſtino ope celluloſae concretio, ut diuulſis iisdem inteſtini muſcularis tunica ſequeretur.

Omen-

Omentum euanuerat, abdomen pure plenum. Phthiſica inde perierat.

Obſ. 33. *Calculos felleos* exhibet. Rarior veſicae urinariae calculus Gottingae obſeruatus fuit, frequentior omnino felleus. Hiſtoriae leguntur quatuordecim. E quibus notamus adultis frequentem hunc eſſe morbum, pueris numquam; icterum aliquando comitem habere, ſaepe non; bilem ſemper effetam eſſe, ſaepe nullam; hepatis labem inde crebro nullam; adhaeſionem veſiculae ad peritonaeum raram; raram quoque ductus choledochi dilatationem; figuram denique calculorum incertam eſſe, ut anguloſi, cubici, ſphaerici, irregulares fuerint obſeruati; compoſitionem e radiis vel glebulis quaſi factam; inflammabiles ſemper, numquam calcareos eosdem fuiſſe. Vnicam adhuc iuuat huc transtuliſſe hiſtoriam, rariorem omnino viſam, qua nimirum duo calculi, alter maior veſiculam felleam repleuerat, alter in principio ductus cyſtici haeſerat, qui multa bile flaua amaraque abundabat; colligit inde Ill. Auctor conſtare manifeſto, bilem ex hepate peruenire ad cyſtidem, bilisque amarorem in hepate iam naſci, eſſe vero etiam cyſtidis aliquam vim contractilem, qua ſe et circa calculum conſtringat, et ipſum leuigare valeat. Tandem vermis etiam, taeniarum ex genere, uncias tres longus, ſeſquilineam latus, in muris fellea veſicula obſeruatus fuit, qui adeo non metuerit bilis amarorem. p. 70.

Obſ. 34. *Renum calculi prima ſtamina* detexit, materiem nempe in pueri renum ductibus bellinianis flauam, aurantiam, muco ſimilem; in adultiore eam albam, duriorem, ſtrepentem; denique eamdem ad lapideam fabricam proximam. p. 82.

Obſ. 35. *Incontinentia urinae*, ex ulcere renum, ſcirrho veſicae et proſtatae nata deſcribitur, olim Commercio litter. Noric. ann. 1734. p. 187. inſerta.

p. 84. *Obſ.* 36. *Veſicae urinariae morbos* quosdam tradit. Feminis in primis, quae ſaepe pepererunt, veſica utrinque ad latus inteſtini recti eminet. Inde origo appendicum. Quarum alia etiam cauſa eſt, ſi fibrae muſculares veſicae a ſe inuicem cedant, calculumque eo prementem recipiant; Viri veſica id monſtrauit, flatu diſtenta, in cellulofam abiens, fibrarum muſcularium undique intumefactis interuallis.

p. 85. *Obſ.* 37 *ad* 43. *Morbos naturalium partium in feminis* exponunt. Prolapſum aliquando mentita, vaginae uteri columna ſuperior et media pars rubens, poſt aluum depoſitam euanuit, columella, quam Cl. LINDENIVS dixit, viſa. Sequuntur aliquot hiſtoriae uteri rupturae, quam frequentiorem putat Noſter prae haemorrhagiis fuiſſe cauſam ſubitae mortis puerperarum. Ex quibus iuuabit adduxiſſe praecipua momenta ſequentia: Latus ceruicis uteri aliquoties ruptum viſum cauſam monſtrat obliquum fetus in partu ſitum. Rugae vaginae ſtatim a partu non deletae aut celerrime reparantur, aut non adeo inſeruiunt vaginae extendendae facilius, ut vulgo creditur. Chorii laciniae plures utero innexae, amplumque vas arterioſum, quod detexit iniectio, late ſparſum per amnion, hanc ab utero viam, dubiam adhuc, iam certam demonſtrare videntur. Parui placentae villi, ampla contra uteri venarum oſtia multas placentae arteriolas docent hiare in unam venam uteri. Tubarum in grauiditate parum mutatur ſitus, uterique parum eminet ſumma pars, et ſatis longae adhuc ſunt tubae, ut attingere amplectique ouaria, indeque locum dare ſuperfetationi poſſint. Corpora lutea frequenter quidem vidit Ill. HALLER, num-

numquam vero duo in una femina, neque extra grauiditatem, et puerperium, neque ante pubertatem, neque conſumi ab iis ouula omnia, ſed plura eorum ſupereſſe idem obſeruauit, nulla vero umquam ante pubertatem. Sanguis, in ore puerperarum in primis defunctarum ſaepe inuentus, dedit originem fabulae illius de vampyris. Deſtructio uteri et vaginae in fila et flocculos, aliquoties obſeruata, declarat utriusque fabricam ex tela celluloſa factam. Nulla enim certa filorum iſtorum directio, neque longitudo. Sinus uteri ſunt venae. Venis enim continui, ramoſi ſunt membranaque tenera inueſtiti; magnitudo, extenſilis et inaequalis diameter, oſtiorum amplitudo, tandem iniectio eosdem, licet falſo, demonſtraſſe videntur. Attenuatio orificii uteri interni in partu ita explicanda eſt, ut, quo maior eius tunc fiat hiatus, eo magis plana et foramini in imo utero ſimilis euadat eminens alias in vaginam pars uteri, omnisque tandem euaneſcat huius prominentia ſimul et annularis inter vaginam atque uterum vallis. Muſcularium fibrarum uteri parallelas in primis laminas, varia directione ſibi impoſitas, plurimis interpoſitis interuallis irregularibus, obſeruauit Noſter veſicae urinariae fibris valde ſimiles. Fibras muſculares eas, an muſculum dixeris, perinde ipſi eſt. Quibus tamen committi non poteſt reliquiarum placentae euacuatio, quum liberi etiam ſanguinis grumi temporis tractu adhaeſiſſe, et chorion longo a partu tempore adnatum fuiſſe doceat obſeruatio. Ceterum adhaerentem dubitat Noſter, liberam affirmat eas poſſe expellere placentam. Scirrhi porro rarioris in pelui et ulcerum uteri miſſa hiſtoria, mentio adhuc iniicienda eſt placentae veſicularis, quam Noſter vidit in diſcum congeſtam, ſubrubram, ex eadem exſurgentes plures petiolos unciales, iisque innexas veſiculas albas, aliis in ipſa placenta diſperſis rubris, intus gelatinam viſcidam. Coecas tubas

tandem,

tandem, ut rariorem obſeruationem, breuiſſimis adduxiſſe ſufficiat. Steatomatis ouarii deſcriptio et icon, Philoſ. Transact. n. 472. alias inſerta, hic iterum exhibetur.

p. 109. *Obſ.* 43. *Inflammationis naturam* inueſtigat. Saepius viſa ſunt inteſtina flatu diſtenta, totaque inflammata, cruor vero non in vaſis ſtagnans, ſed in celluloſam telam effuſus, arbuſcularum in modum: id, quod imitatur ſaepius etiam iniectio. In viuo, febre miliari laborante, ſimiles adparuerunt maculae extrauaſati humoris late confluentes. Porro in iuuene, febre acuta internique incendii ſenſu exſtincto, hepar et lien integra; inteſtina tenuia atque colon flatu diſtenta; maculae in iis et ventriculo et meſenterio ſubnigrae gangraenoſae obſeruatae ſunt; ventriculo aperto, cruor in celluloſam eius ſecundam effuſus occurrit. Similis ſaepe in aortae tunica externa ſupra cor ſeſe obtulit quaſi ſugillatio. Simplices tandem inflammationes, in oculis frequentes, non ab errore loci, ſed quod plures globuli ſanguinis in vaſa, unum tantum quae vehant, impellantur, melius explicari poſſe arbitratur Ill. HALLER, fuſiorem phaenomenorum in phyſiologia maiori daturus expoſitionem.

p. 111. *Obſ.* 44. *Hiſtoria conſtitutionis varioloſae anni* 1735, in Commerc. litter. Noric. anni 1736. p. 73. exhibita, hic repetita legitur.

p. 122. *Obſ.* 45. *Glandulas* conglobatas meſenterii, ad aortam, ad arterias iliacas, in inguine, alias, intumefactas ſcirrhoſasque ſaepe obſeruauit Noſter, quin et ipſum thymum ſimili laborantem vitio vidit, ut inde eius cum conglobatis glandulis appareat analogia.

Obſ.

Obſ. 50. *Telam celluloſam duriorem*, 46. *eam non naturalem* deſcribunt. Dura adeo et tendinea haec in crure occurrit, ut illud in flexus ſitu maneret immobile; In vetula chordae tres tendineae abdomen diſtinxerunt, linea alba et ſemilunaris non oſſea, ſed dura valde, arteriae variae in os mutatae, aliquoties obſeruatae fuerunt. Praeter varias autem viſcerum p. 123. concretiones, aliquando viſae ſunt membranulae latae, flauae, pellucidae, omentum cum peritonaeo coniungentes. Similis pleurae et pulmonum occurrit nexus. Spinam magnam, vaginae tendinis unius euerſorum pollicis manus infixam, multa tela celluloſa obuoluit. Tuta ergo vaginarum eius modi perforatio. Vbicumque inflammatio fuerit, tela quoque e ſucco viſcido cellularis!

Obſ. 47. 48. 49. 51. 52. 53. *Praeternaturalem par-* p. 124. *tium variarum corporis noſtri in os mutationem* illuſtrant. Prima modum materiemque diſquirit huic mutationi aptam, in Actis Acad. Scient. Suec. Vol. XI. n. 2. p. 12. exhibita, et a nobis alio iam tempore expoſita uberius.* Ad alia progredimur. In poſteriori thoracis parte callus pleurae ſeſe obtulit, manum latus, undoſus, coriaceus, agarico ſimilis. In menyngibus, dura aeque ac pia, in falce, in plexu choroideo inuentae oſſificationes rarae non ſunt. In aorta et eius valuulis ſquamae oſſeae, margoque aortae calloſus fuit, neque vero clauſa inde coronariarum oſtia. Cartilago in articulo maxillae inferioris interpoſita, perforata fuit et pene conſumta in uno latere; altera integra. Adeps quoque exhibuit globulos duros, lentiformes, pene cartilagineos, ad ignem liqueſcentes. Rara vero et inaudita fere eſt p. 134. lapidis in corde iuuenis obſeruatio. Mater palpitationi fuit obnoxia; eadem periit filius. Cuius cadauer inciſum in omni ſuperficie pericardii detexit ſcirrhos

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. II. p. 196. ſeq.

hos albos, duros, alios ex iis pure plenos, nexos cum corde. Ventriculi dextri pars inferior ſemilapidea, iuncta cum pericardio. Sinus aortae calloſi, valuulaeque eius materie ſabuloſa atque oſſeis refertae ſquamulis. Valuulae venae pulmonalis totae duriſſimae, calculoſaque materie ita plenae, ut inter ſecandum creparent. Sinus pulmonalis caro lapidea. Cor adeoque nec clauſum, nec apertum ſatis, alterna carens requie, perpetuo palpitauit. Similem
p. 136. prae ſe fert lapis in oculo viſus raritatem. Retinae loco ſeſe obtulit membrana concentrica, oſſea, duplex, perforata; ubi neruus alias tranſit; vitreus humor nullus, ſed cylinder albus, cum membrana iſta oſſea aeque ac anterius cum iride, ciliorum proceſſibus corneaque connatus firmiter. Ipſa retina igitur in os mutata. Nulla ergo pars corporis noſtri, quae non ſimili poſſit indurari modo!

p. 137. *Obſ.* 54. *Oſſis emolliti* exemplum dedit crus ob cariem amputatum. Fibula enim carnea pene et cartilagini ſimilis, ſciſſilis, tumens, ulcere eroſa erat; perioſteum adhuc integrum et illaeſum, ut adeoque Cl. DV HAMEL hypotheſis, os induratum eſſe perioſteum, valde dubia reddatur. Id, quod etiam monſtrat a rubiae tinctorum paſtu ruber oſſium color, perſiſtente candore perioſtei.

p. 138. *Obſ.* 55. 56. 57. 58. *Monſtroſas fabricas* exhibent, fetum capite deformi, agnum cyclopem; pullum tripedem, agnum carentem ore, quarum aliquae omnino natiuae fuiſſe viſae ſunt.

p. 146. *Obſ.* 59. *Renes coalitos* bis viſos deſcribit et icone illuſtrat.

Obſ. 60. *Virgo duabus vaginis, rene ſimplici* proponitur. Ren unicus, dexter, ſubrotundus; peluis

eius

eius urina nimium diſtenta; caro ſolida, ſcirrhoſa, ut corticalis diſtingui non potuerit. Viſcera reliqua, et inteſtina in primis, in ſiniſtro latere poſita. Duo uteri duaeque vaginae. Singulo utero unicum ouarium vaſorumque ſpermaticorum faſciculus. Reliquae partes a naturali ſtatu non receſſerunt. Furtim ablatae a chirurgo quum fuiſſent partes iſtae, hymenis natura, quod ille reliquerat in corpore, obſeruari non potuit.

Obſ. 61. *Vuluam falſo monſtroſam* offert. Labia, inſtar duorum collium, ad anum uſque producta erant; nymphae ſolito longiores, maximae; ceterae partes a naturali fabrica non abludebant. p. 155.

Obſ. 62. *De ſubmerſis* agit. Quorum mortis cauſam veteres ſtatuerunt eſſe aquae in pulmones illapſum, aeriſque inde excluſionem ſubitam. Aquam contra Cl. BECKER negat ullam et in pulmones et in ventriculum penetrare poſſe; clauſa fortius ob metum irruentis aquae glottide, in exſpiratione perire homines, inſpirationem non auſos: Si qua forte obſeruata fuerit aquae copia, illam pluribus a morte horis vel diebus demum penetraſſe, relaxato tunc muſculorum tono, atque hiante larynge; ſtatim a morte poſſe intrare omnino nullam. Enim vero Ill. HALLER in femina ſubmerſa regurgitantem e pulmone aeque ac ventriculo aquam; pulmonem nigrum, cor exſangue; vaſa lactea chylo pleniſſima, rubris vaſis parallela; thoracicum ductum lympha plenum obſeruauit. Serius a morte haec ſeſe obtulerunt; hinc noua in canibus felibuſque inſtituit Noſter repetiitque tentamina, experturus certius, adſitne aqua perpetuo, atque an aliqua ſuperſit reſuſcitationis ſpes. Multa in pulmonibus et trachea horum animalium fuit ſpuma; glottis aperta, ſanguis ater craſſus in vena caua et pulmonali in ſiniſtri cordis p. 156.

vaſis

vaſis nullus; aqua multa in ventriculo; mors cita; in iis, quae mortua ſubmerſa ſunt, nec in pulmone, nec in ventriculo ulla aquae copia. Quum adeoque ſpuma illa, inter ultimos animalis nixus ex aqua reſorpta et cum aere mixta, aerem ſua elaſticitate orbauerit, ipſa vero ſe pulmonesque non potuerit expandere, atque hinc cito enecauerit durioris licet vitae animalia, nullaque, qua reiici iterum ea poſſit e pulmonibus, excogitari queat ars; ſpem reſuſcitandi ſubmerſos homines valde inde minui colligit Noſter, et ſi quos umquam ſuſcitatos fuiſſe credat, eos forte aliquibus interuallis, quibus ſuper aquam emerſerint, hauſiſſe aquam ſuſpicatus.

p. 168. Iam ad experimenta de reſpiratione progredimur. Quorum quidem in quatuor partes facta eſt diſtributio; tres priores, opuſculis anatomicis iam inſertae, hic repetuntur; quarta vero addita eſt ab Ill. Auctore, noua comprehendens tentamina, circa co-
p. 271. ſtarum inferiorum interualla in primis facta. Confirmant eadem nullum prorſus eſſe in pectoris cauo aerem; muſculos intercoſtales et externos et internos una agere eleuando coſtas; coſtarum ſuperiorum et inferiorum interualla in inſpiratione valde, illa mediarum parum imminui, idque apparuiſſe in viuis canibus euidentius, obſcurius in ſtrangulatis; diaphragmatis denique carnem tunc totam alterne abbreuiari, conuexam verſus abdomen turgeſcere, non vero palleſieri, viſcera omnia thoracis ſimul deſcendere, quae in exſpiratione iterum adſcendunt. Illud ſimul Noſter adnotauit, ſe vidiſſe oeſophagum carnoſa parte diaphragmatis valde conſtrictum, id, quod in viuo adeoque magis, quam cui thorax et abdomen patent, euenire idem iudicat. Venam cauam quoque in felibus et deprimi et conſtringi a ſepti transuerſi carne, ventriculum autem premendo felleam veſiculam, expreſſiſſe bilem obſeruauit.

Aperto

Aperto licet thorace, clamaſſe adhuc animalia, ut paradoxon idem ipſe profitetur.

Tandem catalogum ſcriptorum Cl. Auctoris ſub finem additum quod ſpectat, nihil omnino occurrit, quod huc referre poſſemus, praeter quam opera eius adfecta. Quae nimirum pollicentur phyſiologiae corporis humani elementa, voluminibus duobus comprehenſa; ſynopſin enumerationis methodicae ſtirpium Helueticarum; bibliothecam anatomicam, botanicam, chirurgicam, practicam et hiſtoriae naturalis; orchidis genus conſtitutum cum iconibus; diſputationum chirurgicarum continuatam, nouamque practicarum collectionem. Quibus vero abſoluendis vires vitamque Ill. Auctoris diuina clementia tueatur, exoptamus ex animo.

VII.

Diſſertatio medico-botanica exhibens plantas officinales. Praeſide CAROLO LINNAEO, Reſpondente *Nicolao Gahn*. Vpſal. 1753. 4. pl. 4.

Inter alia, quae a Sueciae eruditis ad incrementum medicae artis hucdum praeclare acta fuerunt, illi de eo quoque cogitarunt, ut pharmacopolia maiori attentione inſtruerentur, et in iis, omni inutilium medicamentorum farragine reiecta, ea tantum, quibus in medicina facienda medicus neutiquam carere poteſt, aſſeruarentur pharmaca. Solliciti igitur fuerunt de norma quadam, ad quam pharmacopoei et ſimplicia ſibi comparare et compoſita conficere debeant. Quod quidem officium impoſitum fuit Ill. BAECKIO, qui huiusce rei momentum ſat magnum perſpiciens, non ſolum pharmacopoeis iniunxit, ut de emendandis officinis cogitata ſua ingenue indi-

indicent, ſed et omnes rerum pharmaceuticarum
medicarumque gnaros excitauit, ut ad hoc negotium
perficiendum ſymbolam ſuam conferant. Quid in
hac re praeſtiterit eruditorum opera, luculenter ſa-
tis demonſtrant et hic et ſequentes, quorum breuem
recenſionem exhibituri erimus, ad diſputandum pro-
poſiti libelli.

Ab initio iamiam indicatae diſſertationis monet
Cl. Auctor plantas earumque partes a quolibet medi-
co accurate cognoſci debere, ne in praeſcribendis
remediis errorem facile committat, aliaque ex offici-
p. 3. nis accipiat, quam ipſe poſtulat. Exempli loco ad-
fert, ſaepius in Suecia Hypochaerim maculatam pro
Arnica, Centauream ſcabioſam pro vera Scabioſa fuiſ-
p. 4. ſe a pharmacopoeis exhibitam. Amplum poſt ea et
longum earum, quae in officinis aſſeruantur, plan-
tarum indicem exhibet, eo ſeruato ordine, ut no-
mina officinalia primum, nomina vero botanica ex
Praeſidis Ill. plantarum ſpeciebus deſumta ſecun-
dum obtineant locum, et tertio tandem partes plan-
tae, quae in uſum medicum conuertuntur, indicet.
Minutioribus literarum characteribus ea conſignauit
ſimplicia, quibus, ob virium defectum, optime ca-
p. 22. rere poteſt Medicus. Tradit porro regulas, quas in
pharmacis colligendis obſeruandas commendat. Ra-
dices, ut hoc utar, ſub veris initium, herbas, cum
florere incipiant, folia, poſtquam defloruerint, ſed an-
tequam maturuerint plantae, decerpi iubet. Cum
etiam ille noſtrorum temporum mos ſit, ut pharmo-
copoei ipſi officinales plantas colant in hortis, varia
ipſis ſuppeditat, quae ſimplicium culturam concer-
p. 24. nunt. Refert his peractis catalogum earum, quas
Suecia ut indigenas profert, adiecta enarratione culi-
p. 27. narium; quae ab incolis coluntur. Hortum phar-
maceuticum in Scania poſſe inſtrui exiſtimat. Varia
hac de re et de ſitu loci et de iis, quibus, quod de-
p. 28. negauit natura, emendari poſſit, artibus diſputat, et
indi-

indicem plantarum, quae in iſto horto colendae ſint, apponit. Tandem eas recenſet vegetabilium ſpecies, quae vel ob climatis rationem vel aliis de cauſis in patria ali nequeunt, hinc vel ex aliis Europae regionibus, vel ex Aſia, Africa et America ſunt apportandae. p. 30.

VIII.

Cenſura medicamentorum ſimplicium vegetabilium, Praeſide CAROLO LINNAEO, Reſpondente *Guſtauo Iacobo Carlbohm.* Holm. 1753. 4. pl. 3.

In duo diſtribuit ſuam diſſertationem Cl. Auctor capita, in quorum priori breuiſſimis errorum, circa medicaminum cognitionem, ortum ex variis deducit cauſis. Optime iudicat veteres hiſtoriae naturalis ſcriptores non ſatis de eo fuiſſe ſollicitos, ut eſſentiales plantarum aliorumque corporum naturalium adferrent characteres, quo factum eſt, ut nunc eorum mentem vix poſſimus perſpicere. Quamuis enim plures noſtrae aetatis eruditi id egerint, ut ex priſci aeui ſcriptis ſimplicium hiſtoriam eruerent ulteriusque explicarent, ob inſignem tamen obſcuritatem maximam partem fruſtranea fuit opera. Adfert deinde ea, quae ex praeconceptis multorum ridiculis et abſonis opinionibus, v. c. de ſignatura plantarum externa, de ſiderum in vegetabilia influxu, medicae artis incremento hucdum officere atque obſtare videntur. Exigit tandem ab omnibus, qui medicinam exercent, ut, ſpeciebus morborum rite cognitis, ſimplicibus tantum iisque in iuſta doſi utantur: ſic enim fieri poſſe iure coniicit, ut varia, quin imo ipſa, quae ut venenata abhorremus, pharmaca, in hominum commoda cedere poſſint. Addit his peractis catalogum eorum vegetabilium, quae ut ſuperflua et inutilia p. 4. p. 7.

tilia in officinis aſſeruantur, quem tamen, cum breuitatis ſit ratio habenda, adducere hic non licet. In p. 16. poſteriori capite paucis ad ea, quae contra plantas, quas mox in pharmacopolia recipiendas eſſe affirmauit, moneri queant, partim ob difficultatem eas obtinendi, partim ob incertam et experientia nondum ſatis comprobatam earum energiam, reſpondet, et p. 17. indicem medicamentorum vegetabilium, huc usque in officinalium numerum nondum receptorum, ordine, quem vocant, alphabetico apponit, ſimulque quibusnam medeantur morbis, additis virorum in arte medica verſatiſſimorum experientiis, explicat.

IX.

Idea pharmacopoeae reformatae. Praeſide NICOLAO ROSEN, Reſpondente *Ioanne Haartman.* Vpſal. 1754. 4. pl. 5.

Varias, quas in ſimplicium remediorum comparatione obſeruatu neceſſarias putat Cl. Auctor, regulas proponere anniſus eſt, quas ſingulas hic adducere operae erit pretium, omiſſis maximam partem iis, quae in ſubiectis notis ad ulteriorem illuſtrationem et explicationem addere ipſi placuit.

p. 4. Reg. I. *Videndum, ne inter ſimplicia inutilia et ſuperflua adſint, efficacia vero deſint.* Cum iamiam a Cll., quorum aſſerta ſupra recenſuimus, anteceſſoribus ſatis ſuperque eſſe de eo diſputatum perſpiceret, quod ad ſtabiliendam hanc regulam pertinet, breuibus tantum monet ad ſeptem potiſſimum claſſes referri poſſe omnem inutilium pharmacorum copiam. Alia enim ſunt inſipida et inodora, abominanda alia et ſuperſtitioſa, alia obſoleta et inefficacia, alia ſuſpecta nec ſincera; alia exſiccata omnem vim medicam perdunt; extranea quorum ſuccedanea in patria inueniuntur, una cum illis, quorum vires latent, iure exulant.

exulant. Taxat ex hoc capite Edinburgenſium aliorumque diſpenſatoria, cum ita ſint inſtructa, ut tertia fere aut quarta pars ſuperflua retineatur. Londinenſe vero non adeo frequenter contra hanc regulam peccare affirmat.

Reg. II. *Sedulo excutiendum, an vis ſimplicium per praeparationes ſimplices artificiales corrigi, conſeruari, vel etiam in minori doſi et aucta vi obtineri poſſit; ex quibus tum praeparationibus, quae optimae ſunt, eligantur; ſin minus, melius eſt eadem ſimplicia in ſubſtantia propinari.* Varia ex hac regula deducit, quae in pharmacorum uſu prodeſſe, et medicum de remediorum efficacia certum reddere poſſunt. Iure ergo ſine ulla praeparatione ſcillam, moſchum et alia propinanda ſuadet. Cum vero quorundam medicaminum vis in parte tantum quadam haereat, praeparationes ita iubet inſtitui, ut iſti parti extrahendae conueniant. Sic v. c. ſi gummoſae vel reſinoſae partes pharmaci efficiunt energiam, eius infuſo vel aquoſo vel vinoſo eſſe utendum adfirmat. Examinatis, ad ductum huius regulae, ſimplicibus, quae aſſeruantur in Holmenſi pharmacopoea, multa ipſi ineſſe demonſtrat, quibus carere medicus in facienda medicina queat. Adfert eorum catalogum, quae improbanda ipſi viſa ſunt, addito monito, non nulla, quamuis inutilia nominari non poſſint, ſuperfluis tamen eſſe annumeranda. Pauca tantum ex longo illo indice allegaſſe ſufficiat. Reiiciuntur *Conſeruae* Abſinthii et veri et pontici, florum anthos, centaurii minoris, meliſſae, *Succus* cydoniorum, *Syrupi* abſinthii, acetoſellae, cardui benedicti, capilli veneris, *Extracta* abſinthii, caſcarillae, fumariae, *Eſſentiae* et *tincturae* cinnamomi, moſchi, hyperici, *Aquae* aniſi, corticum aurantiorum, calami aromatici, cumini, omnium florum, ſabinae, *Spiritus* angelicae, liliorum conuallium, ſulphuris, *Olea deſtillata* aurantiorum, citri, lauri, meliſſae, roſarum, *Olea cocta* formica-

p. 5.
p. 6.

 rum,

rum, foenu graeci, lumbricorum terreſtrium, *Olea expreſſa*, amygdalorum amarorum, papaueris, *Axungiae* apri, caponis, hominis, *Balſama* caryophyllorum, maioranae, ligni rhodii, cinnamomi, *Salia* Cardui benedicti, centaurii minoris, fabarum, *Praeparata*, cornu cerui philoſophice, cranii humani, lapidum pretioſorum, matris perlarum, et alia plura. Retinenda tunc indicat, ex quibus exempli loco ſequentia nominabimus; *conſeruam* acetoſae, *Syrupos* rhei, ſpinae ceruinae, *Succum* rhamni, *Extracta* centaurii minoris, croci, hellebori nigri aquoſum. *Eſſentias* et *tincturas* ambrae, tartari Harueyanam, opii SYDENHAMII, *Aquas* cinnamomi ſine et cum vino, lauendulae, poeoniae, ranunculi, *Olea deſtillata* origani, petroſelini, ſabinae, baccarum iuniperi, cerae, fuliginis, philoſophorum, *Sal* tartari, *Cineres* iuniperi, cornu cerui uſtum, oculos cancrorum.

His expoſitis monſtrat, quae in Londinenſium et Edinburgenſium pharmacopoeiis huic regulae contrariari putat: reſpuit ideo Londinenſium *praeparationes* chelarum cancrorum, aeruginis, cretae, tutiae, *Conſeruam* maluae, *Extractum* ſabinae, *reſinam* aloës, ſcillam coctam, rheum toſtum, *Aquam* raphani, *tincturas* veratri, rhei et id genus alia. Edinburgenſes vituperat, cum apes et millepedes praeparatas, *aquas* florum foeniculi, cardui benedicti, elixirium vitrioli ex oleis deſtillatis, non ex ſpeciebus paratum, decoctum diaſcordii, aliaque nullius uſus aſſeruent.

Reg. III. *Certe in eo magnum momentum poſitum eſt, ut finem, quem in medicamento compoſito deſideras, ſemper etiam obtineas, et ne per copiam ſimplicium minus ſecura vel minus efficacia compoſita habeas, ſic enim digna merces non ſequitur operam et impenſam.* Cum non ſemper medicus ſimplicia in uſum vocare poſſit, ſed et interdum compoſita adhibere cogatur, opus omnino eſt formulis, officinales quas dicunt, ad

quarum

quarum normam iſtae compoſitiones a pharmacopoeis effici ac praeparari debeant. In conficiendis igitur eiusmodi formulis medicum debere eſſe ſollicitum monet Noſter, ut 1) omnia ſimplicia indicationi p. 13.
reſpondeant, 2) quantitas ingredientium et ad ſe inuicem et ad ſua menſtrua ſit proportionata, 3) id, quod ſimplex debet mutare, vel minuendo vel augendo vim medicam, rite diiudicetur, 4) compoſitiones principiis chemicis ſint accommodatae, 5) attente curet, ut interne ſumta in ventriculo ſoluantur, nec eum grauent. Taxat ex ultimo medicorum conſuetudinem aegris propinandi abſorbentia, imo cremoris tartari, arcani duplicati et tartari vitriolati uſum iudicat noxium. Annectit huic regulae for- p. 22.
mularum copiam, et multa adducit, quae a Londinenſibus et Edinburgenſibus contra hanc regulam committi ſolent.

Reg. IV. *Modus praeparandi quo ſimplicior, quo* p. 28.
magis determinatus, eo ſimul erit perfectior. Iure exigit Cl. Auctor ſpiritus ſalis et nitri dulces ex GLAUBERI ſpiritibus eſſe conficiendos, ad lapidem infernalem puriſſimum argentum eſſe adhibendum etc. Londinenſes tartarum ſolubilem cum tartaro tartariſato confundere dicit, et eos ideo, quod ſpiritum vitrioli dulcem ex ſpiritu vitrioli, non ex eius oleo conficiant, ſal volatile ammoniacum cum creta, non cum calce viua proliciant, et quae ſunt alia, taxat.

Reg. V. *Compoſita gratiora ingratis et nauſeoſis* p. 32.
praeferenda, ſi idem obtineri poſſit finis, et quae plurimis grata, ab omnibus tamen ferre nequeunt, in compoſito omittantur. Hinc ambra, aniſum, camphora, naphtha etc. non ingrediantur formulas officinales, ſed, cognita aegri idioſyncraſia, illico et in magiſtrali formula a medico praeſcribantur.

Reg. VI. *Medicamenta, quae facile per moram cor-* p. 33.
rumpuntur et inefficacia redduntur, eliminantor. Ad horum numerum refert, quae 1) vim exhalando per-

 dunt,

dunt, 2) cito ranceſcunt, 3) mucore obducuntur, 4) fermentationem ſubeunt et 5) deliqueſcunt et formam mutant.

Reg. VII. *Praeparata compoſita minus neceſſaria eliminanda, neque compoſita eiusdem virtutis plus iuſto multiplicanda, ſed magis neceſſaria eis potius ſubſtituenda.* Amplum eorum recenſet catalogum, quae in Holmenſi, Londinenſi et Edinburgenſi abundare videntur pharmacopoeiis, additis eis compoſitionibus, quas ob vim efficacem in officinas recipi poſſe
p. 42. exiſtimat. Sub finem adiicit obſeruationem de hellebori nigri extracto perperam in uſum vocato, ita ut nec purgandi nec diaphoreticam vim exeruerit.

X.

Cenſurae circa praeparationem medicamentorum chemicorum, Praeſide IOANNE GOTTSCHALCK WALLERIO, Reſpondente *Friderico Falck.* Vpſal. 1754. 4. pl. 3.

Quae de comparatione ac aſſeruatione ſimplicium erant monenda, cum iam ab anteceſſoribus praeclare tractata viderit Cl. Auctor, eam ſibi ad diſputandum elegit materiam, quae de mechanica pharmacorum praeparatione in officinis praeſtanda agit.
p. 3. Adfert hac de re primum quaedam de quorundam ſtricte ſic dicta praeparatione, et laeuigationem, utut laborioſam et minus neceſſariam, reiicit, cum ſola pulueriſatione idem obtineatur ſcopus. Si tamen eam reſeruare libuerit; perfici illam iubet ſupra porphyritam, adſperſa aqua tantum ſimplice. Specialiora tunc in medium profert praeparata officinarum ſpectantia, et omnia, exceptis antimonio crudo, coralliis rubris, oculis cancrorum, limatura martis, inutilia ac reiicienda exiſtimat. Progreditur ad aquarum et ſpirituum deſtillationem, et quos in illa committere

mittere ſolent errores pharmacopoei, enumerat. Taxat eos, qui triplum aut quadruplum aquae plantis affundunt, et in aquis eo modo confectis vim medicam deſiderant. Regulas deinde apponit ad aquarum deſtillationem obſeruatu neceſſarias, et, quae de aquis monita fuerunt, quoque in ſpiritibus ſtillatitiis eſſe attendenda ſuadet. Spiritus per fermentationem paratos faciliori negotio, ex plantarum oleis in ſpiritu vini ſolutis parari poſſe aſſerit; ſpiritibus vero abſtractis, cum in iis conficiendis tantum volatile plantarum ſpiritui iunctum alembicum tranſcendat, in quibusdam indicationibus praeferendas eſſe eſſentias cenſet. Olea expreſſa, non ignis vi extorqueri, nec in magna copia confici iubet, ſimulque improbat ac flocci pendet olea, quae dicuntur cocta. In oleorum eſſentialium productione varia monet obſeruanda, et empyreumatica ſine taedioſa rectificatione, cautelis quibusdam obſeruatis, pura prolicere docet. Ad ſalia accedit, et vehementer illos reprehendit, qui ſalium plantarum indolem unam eandemque eſſe ſibi perſuadent. Differre igitur ea, quae TACHENII ad mentem parantur, ab iis, quae conſueta obtinentur incineratione, in eo dicit, quod illa ſaponacea potius, haec vero prorſus ſint alcalina. Methodum recen- p. 12.
ſet, qua plantarum ſalia alba ac in cryſtallis ſiſti poſſent. Duplex dari Sodae genus, quorum unum alcali minerale contineat, et in cryſtallos cogi queat, alterum vero vegetabili gaudeat alcali cryſtallorumque formas reſpuat. Salia volatilia per ſe rectifican- p. 14.
da cenſet, cum iis, quae addi ſolent, plerumque deteriora euadant ac inquinentur. Acidos ſpiritus ſemper GLAVBERI methodo praeparari debere iure perhibet, et acetum frigore concentratum, iſti, quod euaporando conficitur, praeſtare adfirmat. Ex ſalium mediorum numero, ut minus utiles, reiicit tartarum vitriolatum et arcanum duplicatum, cum ſibi perſuadeat, hosce ſales in corporis humoribus ſolui

p. 15. et ſubigi neutiquam poſſe. Nitidam et accuratam poſt haec exhibet naphtham vitrioli et nitri praeparandi modum, et ingenue fatetur ad naphthae ſalis conficiendi methodum adhuc latere. Spiritum nitri dulcem, ſi ſola digeſtione paratur, efficaciorem eſſe eo, qui deſtillando obtinetur, aſſerit, cum exiſtimet naphtham nitri deſtillatione diſſipari, ac mixtionem haud ingredi. Nunc ad ea, quae ex metallicis parantur concretis, examinanda properat, et multa eaque ſolida de iis adfert. In primis mercurialia in cenſum vocat, ex quibus, ne iuſto longiores ſimus, unum illud allegaſſe ſufficiat, quod adfirmet, aethiopem mineralem ex anatica utriusque ingredientis portione, frigide ſola trituratione confectum, longe praeferendum eſſe omnibus aliis, quibus utuntur,
p. 21. compoſitionibus. De antimonio, zinco et ferro tunc egregie diſputat et ſub finem coniecturam addit, qua putat lapidem cauſticum maiori corrodendi vi eſſe inſtructum, ſi ex argento, cupri portione inquinato, conficiatur *.

* Inflammatio quidem a lapidis cauſtici applicatione produci debet, ſed nos, ab eo, cupro inquinato, pejores inflammationes motas fuiſſe, experientia docuit.

XI.

De ſuperfoetatione vera in utero ſimplici. Diſſ. inaug. AVGVSTIN. MEINRAD. LACHAVSSE. Argentorati 1755. 4. pl. 2.

Quam in duplici quidem utero docent obſeruationes, ſuperfoetationem etiam in ſimplici, Cl. LACHAVSSE ſibi perſuaſit rationibus confirmaſſe ac experientia. Praemiſſa igitur breuiſſimis organorum p. 3. et viri et feminae naturalium deſcriptione, expoſitaque tribus modo verbis conceptus naturalis ratione, quae quidem ſunt notiſſima, ipſam propius adgreſſus ſuperfoetationis conſiderationem, diuiſionem eius proponit in *fictam*, qua gemelli aliquot horis vel diebus alter alterum antecedit; in *falſam*, qua duo foetus, unus in utero, alter in tubis concipitur vel ouario; in *impropriam*, quae in duplici utero contingit; tandemque in *veram* et *exquiſitam*, quae eſt in ſimplici utero. Quam iam confirmat hiſtoria ſingularis, p. 10. quam Cl. LERICHE aliquando fecerat, et Cl. EISENMANN in tabulis anatomicis uteri duplicis enarrauerat, a nobis etiam indicata *, ut repetere eam opus non ſit.

Cui

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 27. ſeq. Quam quum ex relatione Cl. EISENMANN, tum expoſuerimus, eam tamquam valde ſingularem obſeruationem admirati, ceterum Cl. Viro fidem non denegauimus. Iam vero fateri non pudet, iuxta illum et nos deceptos fuiſſe veri quadam ſpecie. Sollertior etenim in rem adeo miram inquiſitio detexit fraudem feminae iſtius, quae, ob ſterilitatem mariti ſibi concitato odio, obſtetricem quandam hac in re conſuluit, atque foetum ab hac, quae ex alia femina eum acceperat, traditum domum redux marito ſuo obtulit filium, ipſique ſe eum enixam fuiſſe perſuaſit; inter ea vero ipſa vere grauida facta, alteram ſuo tempore peperit filiam. Ex qua hiſtoria patet, quam

Cui addidit Noſter uterum feminae illius, tribus ab ipſa ſuperfoetatione annis defunctae, in cadauere inuentum omnino ſimplicem, adhuc ſeruari in ſpiritu a Cl. LERICHE. Cur autem poſt primum partum ſanguis et lochia et lac deſiderata fuerint, in altero vero copioſius fluxerint haec, in nutritione foetus alterius tum neceſſaria poſita Noſtro videtur eſſe ratio. Adductis poſt haec, qui ſuperfoetationem vel negarunt, vel affirmarunt, auctoribus praecipuis, ipſe eam adfirmans, C. LITTRIVM in primis
p. 14. refutare adgreditur. Orificium etenim uteri non adeo ſemper claudi a conceptu, ut ſperma non admitteret, quin aperiri illud magis, quo foetus magis increuerit, idemque in menſtruatis fieri demonſtrat Cl. LACHAVSSE, collum vero uteri grauidi verſus inteſtinum rectum reuerti concedit, ex muſculari ſua fabrica, nouo facto coitu, ſeſe relaxare poſſe arbitratus. Tandem placentam tubas claudere poſſe prorſus negat Noſter, quum volumen eius minus ſit et non ſemper etiam fundo adhaereat.
p. 16. Quando itaque orificium uteri non bene clauſum ſit; vel foetus trimeſtris fortior illud dilatauerit pondere; vel femina nouo percita veneris oeſtro; vel menſtruata fuerit, in ſimplici etiam utero fieri poſſe ſuperfoetationem concludit idem.

quam caute verſari quemque deceat in colligendis obſeruationibus. Siquidem et huius diſſertationis mentionem non inieciſſemus, quae nihil noui continet, nec rei dignitati reſpondet, niſi ad veritatem confirmandam, obſeruationis imperfectionem oſtendere conſultum habuiſſemus.

XII.

XII.

Opere poſtume del Conte GIVSEPPE GINANNI Ravennate. Tomo primo nel quale ſi contengono cento quattordici piante che vegetano nel Mare Adriatico da lui oſſervate e deſcritte. in Venezia 1755 dalle Stampe di Giorgio Foſſati. Fol. Alph. 1. Tab. aen. 55.

i. e.

Opera poſthuma Comitis IOSEPHI GINANNI. Tom. I. quo centum et quatuordecim plantae maris Adriatici comprehenduntur.

IOSEPHVS GINANNI anno nonageſimo ſecundo ſeculi praecedentis Rauennae ex illuſtri familia oriundus, in tenera aetate parentibus priuatus a FRANCISCO BARBERINI Purpurato educationi patrum ſocietatis Ieſu traditus fuit, paulo poſt morbo hypochondriaco affectus ab ANTONIO VALISNIERIO conſilia et auxilia recuperandae ſanitatis obtinuit, qui et ſuaſor fuit, ut praeter medicamenta, tales eligeret labores, quibus animus eius reficeretur: mechanicas ideo tractauit artes, paulo poſt vero amore florum captus hortum coluit, in quo ſtudio apte addiſcendo et perficiendo praeter alios IVLIVM PONTEDERAM et PETRVM ANTONIVM MICHELLIVM praeſtantiſſimos botanicos conſiliarios elegit atque amicos. Ipſe tamen et ad alia hiſtoriae naturalis capita pertractanda ſe contulit, cicadas enim, nec non oua et nidos auium collegit, in ordinem redegit et deſcripſit, id, quod libri de his argumentis anno trigeſimo ſeptimo huius ſeculi Venetiis editi et a quibusdam viris eruditis cum applauſu excepti teſtantur. Sub his laboribus muſeum rerum naturalium exquiſitiſſimum collegit, in quo etiam plantae marinae haud paucae deprehenduntur. Quanti vero aeſtima-

aeſtimatus fuerit Noſter, imago eius ab *A. Seluo* ex metallo efficta, nec non moneta in eius memoriam cuſa oſtendunt: ſocietati etiam literariae anno quinquageſimo ſecundo huius ſeculi Rauennae ſtabilitae, et ex duodecim tantum membris conſtanti adſcriptus fuit, et cum praecipuis viris eruditis commercium literarium coluit. Anno quinquageſimo tertio huius ſeculi haemorrhagia narium ſaepius tentatus fuit Noſter, quae, cum ab infarctu viſcerum dependeret, eum in hydropicum ſtatum deduxit, in quo debellando remedia fruſtra tentata fuerunt, die enim vigeſimo tertio octobris dicti anni obiit. Rerum naturalium ab ipſo collectos theſauros, poſt mortem fratris huiusque filiorum in Collegium nobilium, Rauennae florens, reponere iuſſit, ex manuſcriptis vero ſchedis, hunc, quem nunc indicamus, tomum et alterum, quem proxime expectamus de plantis marinis, iunctis quibusdam obſeruationibus de teſtaceis et inſectis tantum prelo dignos iudicauit, eosque *Georgio Foſſato* Architecto tradidit, qui licet ſplendidam curauerit hanc editionem, monet tamen non omnibus numeris abſolutum opus eſſe, neque icones ſemper deſcriptioni reſpondere, cum ad ſiccas illae factae ſint, hae vero ex recentibus plantis deſumtae multas etiam icones ad varietates referendas omiſſas fuiſſe, ne numerus tabularum nimium increſceret.

Poſtquam itaque vitae rationes Ill. Auctoris paucis indicauimus, non nulla ex eius epiſtola ad Marchionem SCIPIONEM MAFFEVM data et operi praefixa repetamus, antequam diſpoſitionem operis ipſius deſcribamus. Monet quidem Ill. GINANNI ſe tantum partem maris Adriatici, Rauennae vicinam, perluſtraſſe, multas tamen plantas in arcto hoc ſpatio inueniſſe alibi quoque prouenientes, quae itaque ſufficiens fundamentum conſtituendis quatuor claſſibus poſtea a nobis recenſendis exhibuerunt, numerum tamen ſe augere potuiſſe aſſerit, niſi a Cl. MONTIO monitus

monitus varietates euitaſſet, quarum tamen plures, ut nunc monuimus, ipſe Editor expunxit. Tangit porro et Noſter recentiorum aſſertum, qui multas ſic dictas plantas marinas non effectus vegetationis ſed opus polyporum, domicilia ſua ſtruentium, dici debere contendunt, et aſſerit domicilia haec longe aliter ſtructa eſſe, quam plantas, quae ex trunco in ramos et porro in ramulos extenduntur et ita vere per *intraſuſceptionem* ſucci nutritii, minime vero per *iuxta poſitionem* creſcunt. In fine tandem circa obſeruationes per microſcopia factas dubium mouet, an non ſaepius ingenium fingat, quae oculi non conſpiciunt, quam dubitationem ad opus VITALIANI DONATI * extendere videtur.

Dum nunc ad plantas ab Ill. Auctore expoſitas accedimus, in genere monemus eum non propoſuiſſe methodum obſeruationibus recentiorum conformem, ſed MARSIGLIVM aliosque ſequutum eſſe, qui in his plantis, quas ex floris et fructus conſideratione definire non poterant, ad ſubſtantiam ipſam reſpexerunt, genera itaque certis limitibus circumſcripta et aptis characteribus definita hic non deprehendimus.

Claſſis prima de plantis ex lapidea vel interdum friabili materia compoſitis agit, *ordo primus* itaque lapideas plantas cortice obductas ſcilicet corallium rubrum continet. Hoc a veteribus ut planta conſideratum, a Cl. BOCCONE inter lapides relatum fuit, donec Ill. MARSIGLIVS non tantum ſuccum lacteum ſub cortice, ſed et veros flores, in planta recenti viſos, deſcriberet: noſtris vero temporibus a Cl. VITALIANO DONATI aliisque ut naturae productum inter plantas et animalia medio loco reponendum, aſſumitur. Huic tamen ſententiae Noſter non ſubſcribit, dubitat enim an accuratae tales obſeruationes ſub undis inſtitui queant, et quomodo corpuſcu- p. 1.

la

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 475.

la illa rubicunda, quibus corallium incrementum ſuum debet, a polypo formari vel ad oua eius referri poſſit: concedit itaque polypos corticem corallii ita inhabitare, uti alia inſecta plantas terreſtres laedunt, et oua ſua, ad incrementum et nutrimentum acquirendum, intra corticem deponunt, et concludit ipſum corallium a ſucco ſub cortice moto creſcere.

p. 8. *Ordo ſecundus* plantas lapidoſas continet cortice carentes, ſubſtantiae tribuloſae, quorſum madreporae, frondiporae et reteporae ſpectant: *ordo tertius* fungum ſiſtit fungo terreſtri ſimilem, praeterea vix deſcriptum: *ordo quartus* lapideis analogas quasdam plantas in non nulllis corallinis proponit: *ordo quintus* plantas continet pori nomine inſignitos, ceruinum ſcilicet et anguinum ab IMPERATO deſcriptum: *ordo ſextus* poris analogas ſiſtit plantas et corallinas quasdam articulatas proponit.

Ex breui hac primae claſſis recenſione patet Ill. Auctorem nec in ordinibus, nec in generibus, nec ſpeciebus diſponendis eas leges obſeruaſſe, quas hiſtoriae naturalis ſcriptoribus praeſcriptas eſſe cognoſcimus: deſcriptiones etiam non ita comparatas eſſe perſpicimus, ut iis inſeruire poſſint, qui in hoc ſtudio perficiendo ulterius progredi cupiunt. Optimum nobis viſum fuit, quod Noſter alios ſcriptores, qui de his plantis ſcripſerunt ALDROVANDVM, MERCATVM, IMPERATVM, MARSIGLIVM aliosque accurate citauerit, ita ut ex iis ſaepius iconum propoſitarum deſcriptiones uberiores repeti queant. Neque icones ita elaboratae ſunt, ut attentioni recentiorum ſatis faciant, nos igitur, quae in reliquis claſſibus continentur, breuiter tantum indicabimus.

p. 14. *Claſſis ſecunda* complectitur plantas ſubſtantiae corneae vel mediae inter corneam et lignoſam annexis lignoſis foliis ornatis, et aliis his deſtitutis, ex quibus ordinum ratio iam patet. Lithophyta, miriophyllum, abies marina, et fuci varii hic recenſentur.

Claſſis

Claſſis tertia coriaceas plantas, inter coriaceas et herbaceas medias, ſpongioſas et veſiculares complectitur, ſcilicet quercum marinam, coralloides, lactucam et opuntiam marinas, algas, ſpongias, fucos varias et fuagines. p. 21.

Claſſis quarta plantas ex filamentis congregatas et glutinoſo humore cinctas, ſcilicet Alcionia ſiſtit, quibus porro ſubiunguntur fungoſae, lichenoſae et membranoſae variae. p. 39.

XIII.

Obſervations d'Hiſtoire Naturelle faites avec le Microſcope, ſur un grand nombre d'Inſectes et ſur les Animalcules, qui ſe trouvent dans les liqueurs préparées, et dans celles, qui ne le ſont pas etc. avec la Deſcription et les uſages des différens microſcopes etc. Partie déjà publiées par feu Mr. IOBLOT, Profeſſeur en Mathématiques de l'Académie de Peinture et de Sculpture: partie rédigées ſur ſes Obſeruations poſtérieures. Avec un grand nombre de Figures. To. I. à Paris. Chez Briaſſon. 1754. 4. maj. pl. 22½. Tab. aen. 29. To. II. 1755. pl. 14½. Tab. aen. 24.

i. e.

Obſeruationes, ad hiſtoriam naturalem pertinentes, cum microſcopiis factae in magno inſectorum numero et in iis animalculis, quae infuſis variorum corporum aliisque liquidis ineſſe deprehenduntur, cum deſcriptione et utilitate variorum microſcopiorum etc. Pars earum iam olim edita fuit per Cl. IOBLOT, altera vero addita ex obſeruationibus eius relictis. To. I et II.

Magnus eſt obſeruationum, per microſcopia factarum, numerus, quarum deſcriptiones a variis noſtri ſeculi viris exhibitae proſtant. Rerum enim naturalium ſtudioſo quid ab HOOKIO, deinde noſtris temporibus a NEEDHAMO, HILLIO, BAKERO inter alios praeſtitum fuerit, incognitum eſſe nulli arbitramur, quum de poſteriorum potiſſimum ſcriptis alibi iam a nobis actum ſit *. Hinc veniam penes aequos lectores nos inuenturos eſſe ſperamus, ſi de Cl. IOBLOTI libro pauca iam referamus, partim quod totus nouus non eſt, partim etiam, quod magna obſeruationum pars ab aliis repetita, et aliqua etiam ex aliis deſumta fuit. Sic enim icones pediculi, pulicis, fungorum ex ſeminibus enatorum, atque deſcriptiones ex adducti Cl. HOOKII Micrographia, quae de plantarum radicibus et aliis partibus per lentem detecta ſunt, ex GREWII Anatome plantarum huc translata fuiſſe videmus, quorum opera etiam ſe uſum fuiſſe Cl. Auctor ait. In variis vero plantarum infuſionibus, quid microſcopium docuerit, multis confirmauit experimentis Cl. BAKERVS.

Ediderat iam anno huius ſeculi decimo ſexto Cl. IOBLOT librum Pariſiis, cui inſcriptio: *Deſcription de pluſieurs nouveaux microſcopes, avec des obſeruations ſur une grande multitude d' Inſectes, qui naiſſent dans ces liqueurs* etc. A quo tempore nihil intermiſit eorum, quae ad locupletanda ſua obſeruata pertinere poſſent, ſed quicquid adnotauerat, morte interueniente inter ſchedas relictum, nunc demum a Cl. Editore, qui nomen ſuum latere voluit, publici iuris factum eſt. Omnis autem tractatio in duas partes diuiſa eſt, quarum ſingula in duas iterum ſectiones abit. In *prima parte* itaque ex conſilio Cl. Editoris eius-

* Nempe de Cl. HILLIO diximus Comment. noſtr. P. II. Vol. IV. p. 664. ſqq. de Cl. BAKERO Ibid. P. III. Vol. II. p. 218.

eiusque *prima ſectione* collectae ſunt obſeruationes ex hiſtoria naturali et in primis inſectorum eorum, quae magnitudine reliquis antecellunt, v. c. Pediculus, pulex, muſca, curculionis ſpecies, vermiculi, qui caſeos rodunt, nec non radices partesque vegetabilium. *Altera ſectio* minutiora continet, quae *animalcula microſcopica* dicuntur, et armato tantum oculo in conſpectum veniunt. Sunt autem illa in infuſis ex vegetabilibus reperiunda animalcula, quorum adeo magnam copiam propoſuit Cl. Auctor, ut iure quodam videantur multa pro varietatibus habenda eſſe, quam aliorum quoque ſuſpicionem eſſe ſcimus. Salium inter haec formae diuerſae exponuntur, et animalcula, aquis ſtagnantibus inhaerentia. Inter has autem obſeruationes pleraeque ex manuſcriptis relictis a Cl. Editore inſertae ſunt, quas tamen, quum prior editio ad manus non ſit, cum ea conferre non licuit. *Altera* deinde *pars* microſcopiorum diſquiſitioni deſtinata eſt, quorum partes conſtituentes et praerogatiuae praecipue recenſentur, nec non additis, ſine quibus perfectior eorum notitia reddi nequit, figuris illuſtrantur, inter quae unum praecipue laudat, quod uniuerſale vocat. Quem ad modum vero non accurato tantum ad detegenda naturae abſcondita opus eſt ſtudio, ſed reiterata quoque experientia: ita iudicamus et hanc minutiſſimarum rerum, quae ſummam creatoris ſapientiam produnt, ſollicitam perueſtigationem, cui maior ſemper adhibetur opera, tandem naturali hiſtoriae perfectionis maiorem gradum eſſe daturam.

 XIV.

XIV.

D. IOHANN LVDW. LEBERECHT LÖSEKE, *Abhandlung der auserleſenſten Arzeney-Mittel, nach derſelben Urſprung, Güte, Beſtandtheilen, Maaſſe und Art zu würken, ingleichen wie dieſelben aus der Apothecke zu verſchreiben ſind. Zum Nutzen ſeiner Zuhörer abgefaſt. Berlin, bey Chriſtoph Gottlieb Nicolai. 1755. 8. 1 Alph. 22 pl.*

i. e.

De ſelectiſſimis remediis pharmaceuticis, eorum origine, bonitatis ſignis, diuerſis, e quibus conſtant, partibus, doſi, modo agendi, eorumque ex pharmacopolio praeſcribendorum ratione tractatus, in auditorum uſum conſcriptus a IOANNE LVDOVICO LEBERECHT LOESEKE.

Quam dedimus nuper comprobatam Cl. Auctoris induſtriam*, eiusdem et nunc nouum is edidit documentum iamiam indicato libro, quo numerum compendiorum, quae de ſic dicta materie medica iam habemus ſatis numeroſa, auxit quidem; ideo tamen haud inutilem ſuſcepit laborem, quum ille non in tironum tantum, ſed in eorum quoque uſum conſcriptus cenſeri queat, quorum cognitio rerum medicarum paulo magis eſt prouecta. Omnibus interea numeris, prout in praeſenti hiſtoriae naturalis ſtatu fieri poſſet, hoc opus nondum eſſe abſolutum ipſe fatetur, id, quod ita praeſtari poſſe arbitratur, ut utiles ſeduloque exaratae rerum naturalium huc ſpectantium icones ex vaſtis illis ſaepiusque valde pretioſis, doctorum virorum academiarumque operibus collectae, optimaeque ac per accuratam ſtabilitae experien-

* Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 531.

perientiam medicorum obſeruationes de medicamentorum viribus captae, adiungerentur. Interim plura huicce tractationi immiſcuit, ac quis forte quaerat. Therapiam enim generalem fere omnem et practicas, quae dicuntur, haud paucas ſuis locis addidit cautelas, tum ex aliis auctoribus depromtas, tum per propriam acquiſitas experientiam, ita, ut tirones artis ab initio nimis ſaepe timidi eo tutiores in praeſcribendis eſſe queant formulis, regulasque therapeuticas in adhibendis remediis ſcitu obſeruatuque neceſſarias menti ſuae imprimant eo firmius, et ipſi de ſuſcipienda morborum cura iudicare diſcant. Prae multis etiam aliis ideo meretur laudem, quod indigenas res naturales pro diuerſa earum creſcendi indole aliisque dotibus, pro diuerſo, quo colliguntur, tempore diuerſis, ipſe inueſtigauerit, in reliquis autem, omnium optimis et ex iis quoque recentiſſimis, qui de illis ſcripſerunt, prudenter uſus auctoribus.

Eum vero in toto hoc conſcribendo opere adhibuit ordinem, ut, praemiſſa quadam generali introductione, ſcriptorum materiae medicae exhibeat notitiam; praecipuas, quae in pharmacopolio obueniunt, medicamentorum praeparationes et chemicas et pharmaceuticas breuiter explicet, tandemque de materie medica in genere agendo, de fontibus, qui ſuppeditant remedia, modoque eorum indolem inueſtigandi, diſſerat, et ordinem, quo ea proponuntur, indicet, nominibus variis menſurisque pharmacopoeo uſitatis, ſub finem expoſitis. Ipſa deinde eaque ſpecialis de medicamentis ſequitur tractatio, ita, ut eorum tria conſtituat genera: unum, quod euacuantia; alterum, quod nimias euacuationes cohibentia, tertium, quod ſic dicta alterantia continet; e quibus illud primum vomitoria, digeſtiua atque laxantia, purgantia, diaphoretica, diuretica, ſaliuantia, errhina et ſternutatoria, carminatiua, anthelminti-

mintica tandemque emmenagoga complectitur; ſecundum vero refrigerantia cum incraſſantibus, et roborantia cum adſtringentibus atque ſtipticis; ultimum denique emollientia, diluentia, abſorbentia, reſoluentia, analeptica, antiſpasmodica, dolorem ſedantia cum hypnoticis, atque rubefacientia cum veſicantibus recenſet.

Quodlibet autem caput eo modo a Cl. Auctore pertractatur, ut eorum, quae illud exhibet, remediorum agendi modum in genere; ſigna porro, quae eorum uſum in aegris indicant vel prohibent, praemittat; tum vero ad ductum trium naturae regnorum, ſingula indiuidua, quae reliquis eſſe iudicauit et meliora et tutiora, ita exponat, ut enarret: quae ex hiſtoria naturali de iis conſtent; porro characteres tum externos tum internos; deinde iudicium de eorum indole, per ſaporis odorisque ſenſus chemicamque inueſtigationem detecta, indeque conuenienti uſu viribusque expectandis per experientiam confirmatis, propriaque in corpore humano agendi ratione, ideoque ſub quibus conditionibus et qua doſi praeſcribenda ſint, ſubque finem, quae ex iis praeparata in officinis proſtent medicamenta, in medium afferat. Omnia tamen, quae in aliis huius generis compendiis adduci ſolent, exponere noluit, utiliora tantum ſeligens. Itaque v. c. in capite primo, quod habet emetica, de lapide lazuli, ſeminibus ricini, carthami, nuce vomica, helleboro albo e. ſ. p. nihil dicitur; id, quod nobis tamen mirum eſſe videtur, quum medicus ea quoque noſſe debeat, quorum uſus haud ſatis comprobatus vel quoque noxius eſſe poterit, adeo, ut ipſe Cl. Auctor non nulla paſſim commemorauerit, de quorum uſu recte monet, quo cauti ſimus. Deſideramus quoque varia, quorum uſus ſatis eſt egregius, et quae in plurimis nunc venduntur pharmacopoliis, v. c. oleum Kajuput, Siree, vitrum antimonii ceratum, e. ſ. p. Ne quid dicamus de

aliis

aliis quam plurimis, quorum uſus in primis obuenit in re oeconomica atque domeſtica, quae ideo ſe omiſiſſe ait, quod ad doctrinam diaeteticam pertineant, quae ſuum tamen locum aptius, ni fallimur, in materie medica obtinere debent, et quorum etiam aliqua diuerſis in locis adducere coactus fuit.

Vt artis quoque tirones diſcant, qua ratione medicamina debeant a pharmacopoeo componi, ſoleantque ex officinis praeſcribi, addidit tandem libro breuem aliquam inſtitutionem, quae ſic dictas formulas ipſos docet exarandas.

Totius itaque libri ſumma ratione nunc expoſita, addamus adhuc aliqua ex eo ipſo paſſim depromta.

Emeticorum uſum praeter alios morbos, qui in primis viis ſuam habent ſedem, in illis quoque difficilioribus commendare audet Cl. Auctor, quorum cauſa proxima in remotioribus corporis haeret partibus, v. c. ſi ſerum aut ſanguis extra vaſa ſtagnans cerebrum premit; porro ſub inflammationum, quin et earum, quae tenent pulmones, initium, in cachexia vel et hydrope. p. 65.

De ipecacuanha notat, quod illa eius radix bruna vel fuſca, quae ex Braſilia aduehitur, alteri griſeae vel cinereae Peruuianae dictae praeferenda ſit; alia vero alba, quae ab impoſtoribus illi utrique non numquam addi ſoleat, uti et lutea, prorſus alias habeant vires. p. 71.

Aquas ſic dictas ſoterias ad claſſem remediorum digeſtiuorum leniterque laxantium refert, earumque praecipuarum, quae reperiri ſolent in Germania, quatuor ſumma conſtitui poſſe credit genera: earum quippe primum, quae ſalis cuiusdam alcalici martisque vitrioli aliquam continent portionem; appellantur illae vel acidulae, vel thermae; illis annumerat Pyrmontanas, Egranas, Selteranas, Antonianas, Swalbacenſes, Wildungenſes, Carbenſes, Buchenſes atque Spadanas; his vero, thermis ſcilicet, Caroli- p. 79.

nas, Aquisgranenſes, Embſenſes, Hirſchbergenſes, Bollenſes atque Wisbadenſes: ſecundum deinde earum, quae ferrum ſeu eius crocum fouent ideoque martiatae dicuntur, quales ſunt Radebergenſes, Lauchſtadienſes, Freyenwaldenſes, Bebranae atque Weiſſenburgenſes: tertium porro earum, quae, ſtrictiore ſenſu digeſtiuae nuncupandae, ſal amarum mediae indolis, ex terra calcarea acidoque quodam elemento compoſitum, gerunt, uti ſunt aquae Sedlizenſes ſiue Seydſchüzenſes quoque appellatae, omnesque fontes reliqui, ex quibus ſal commune coquere ſolemus: quartum denique caput, quod illas recenſet aquas, quae ob leuitatem tantum puritatemque magni aeſtimantur ſcaturiuntque vel calide, uti Toeplizenſes, vel frigidiuſcule, uti Schlangenbadenſes et Schleuſingenſes. Eſto penes huius aquarum medicatarum diuiſionis Auctorem, eam defendere; interim, ut tironum in gratiam determinatam diuerſarum partium, quas illi fontes ſinguli fouent, doſin et indolem breuibus addidiſſet, non immerito optare nos poſſe credimus.

p. 95. De ſale ammoniaco eiusque floribus SYLVIIque inde praeparato ſale digeſtiuo vel febrifugo dicto, ſi in febribus intermittentibus una circiter hora ante ingreſſurum paroxyſmum ab uno ſcrupulo ad drachmae usque pondus dentur, ſingularem contra eas depraedicat virtutem, ita, ut plures aegros ſalis eius, quam ipſius corticis Peruuiani, ope ſe curaſſe, quin et quartanam, quae per integrum annum iam duraſſet, unica illius ſaltem drachma ſe pepuliſſe aſſeueret.

p. 109. Notatu digniſſima, quam de pinguium abuſu eorumque difficillima digeſtione atque noxis, cenſeri debet obſeruatio, qua virum quendam, propter veruecinam carnem copioſe nimis comeſtam, atroci correptum colica eaque enecatum fuiſſe narrat, in cuius inteſtinorum villis, a Cl. LIEBERKÜHN artificioſiſſima methodo praeparatis, adeo inſignis illius pingue-

pinguedinis copia reperta fuit, ut ei prorſus inde turgerent. Num vero recte ex hac obſeruatione Cl. Auctor colligat, quod pinguia ideo fiant laxantia, quoniam, dum vaſcula minima obſtruant, pondere ſuo neruis moleſta ſint, ideoque copioſiorem tenuiorum humorum profluxum ex illis proliciant ad inimicum illud quaſi corpus abſtergendum, alii iudicent.

Mirum omnino eſt, non numquam inueniri aegros, quorum inteſtinorum canalis fere nullis moueri queat remediis purgantibus, quale etiam ſingulare Cl. Auctor adducit exemplum feminae cuiusdam debilis viſae, cui per tres continuos dies tantam eorum medicamentorum copiam ſine ullo effectu dederat, ut quatuor alii ſatis robuſti homines inde purgari potuiſſent. In debili forte illorum corporum irritabilitate cauſam illius effectus latere nos quidem coniicimus. Interim circa fortiorum purgantium uſum cautos eſſe debere iuniores medicos recte monet Cl. Auctor, alio commotus exemplo hominis agreſtis valdeque robuſti, qui ab aſſumto gummi guttae in aſthma flatulentum adeo ferox inciderat, ut erecto tandem corpore in ſella dormire cogeretur. p. 119. p. 120.

Hellebori nigri radicem inter leniora refert purgantia iisque aſſentiri videtur, qui noſtrum helleborum ab illo veterum diuerſum eſſe exiſtimant; pharmacopoeorum tamen vel errorem vel quoque fraudem indigitat, qua radicem adonidis ſeu hellebori HIPPOCRATIS dicti, noſtro illi veriori ſubſtituunt. p. 122.

Illum, quem medicorum ſeruant non nulli, morem, quo fortioribus purgantibus addere ſolent opiata, reprehendit Noſter eam ob cauſam, quoniam ſibi contrarii inde motus in corpore excitentur, et per longiorem, quae acribus iſtis remediis concilietur in corpore, moram inflammationibus facile oriundis detur occaſio. p. 147.

Terreis adhuc medicamentis in diaphoreticorum claſſe ex hac ratione aliquem aſſignari poſſe putat lo- p. 153.

 cum,

cum, quod acidum in primis viis obuium abſorbendo tranſitum eius in ſecundas impediant, quo alias ſanguis fieret ſpiſſior; et quod inſuper alcaleſcentes ſanguinis ſales liberiores reddant, eumque igitur reſoluendo attenuent, ſudorisque excretioni aptiorem reddant,

p. 162. Arborem camphoriferam ad lauri regiae pertinere genus, ex ipſius floribus comprobat, quos Berolini ante aliquot annos videndi et examinandi habuit occaſionem. Ipſam vero camphoram ſingularem aliquam autumat eſſe reſinoſam volatilem ſubſtantiam, ab oleoſis ſubtiliſſimisque acidis particulis ita attemperatam, ut hae non niſi ipſius combuſtione prodeant, ideoque inter calida omnino referri debere medicamenta, quum et minima corporis noſtri vaſcula, quin et ipſos forte neruos permeare, ſtimulando aperire, putridorum humorum, forſan ipſius quoque fluidi neruei, acrimoniam corrigere valeat. Homini tamen ſano, absque aeſtus excitandi metu, ad drachmas uſque duas, tutoque pro expellendis flatibus ad unam drachmam dari poterit. Abuſum eius in glandularum inflammationibus, eryſipelate et arthritide, ſummo iure taxat Cl. Auctor. Ad externum uſum oleum eius vel ipſam ſiccam, adhibere mauult, quam ſpiritum, quoniam in ſpiritu ſoluta humores nimis facile cogat.

p. 230. Antimonii crudi, ceu tuti remedii, uſum in ſcabie ſimilibusque ſeroſi ſyſtematis morbis vindicat, licet haud conſtare ſimul concedat, quamnam eius partem humores noſtri in primis viis ſoluant, quum ab aqua illud intactum relinqui conſtet.

p. 238. Contra morbos chronicos ab humorum viſciditate ortos fuligini inſignes vires tribuit, inque ſcabie retropulſa certum eſſe remedium, camphoraeque, niſi praeferendum, certe aequiparandum aſſerit.

p. 265. Recentibus graminis radicibus eſſentiale aliquod ſaponaceum ideoque leniter reſoluens inhaerere ſal

inde

inde confirmat, quod experientiſſimus Berolinenſium chymicus, Cl. MARGGRAF ex illis aeque, ac aliis radicibus ſimilibus, ſaccharum praeparauerit.

Mirari ſaepe ſubiit chymicos, cur pimpinella nigra dicta ſpiritum vini reddat coeruleum? Cauſam huius phaenomeni in ipſo plantae proprio ſucco eſſentiali latere Noſter auguratur, quum copioſum eius coloris ſuccum ex illius radice, vernali potiſſimum tempore diſciſſa, profluere obſeruauerit. De chamomilla et millefolio idem valere coniicit. p. 268.

Pareirae brauae radicem ad unam uſque libram ſine effectu aegris ſe dediſſe narrat.

Extractum ſcillae aquoſum ab uno ad quinque grana, idem porro ad mellis conſiſtentiam coctum et in aqua corticum aurantiorum ſolutum ad quadraginta et ſexaginta uſque guttulas exhibitum, valde laudat contra omnes affectus hydropicos. p. 272.

Puellam, quae menſtrui fluxus ſuppreſſione laborabat, per longum ſatis tempus inſignem ſaliuae copiam ſingulo die ad menſuram uſque exſpuere obſeruauit. p. 292.

Mercurium dulcem in excitanda ſaliuatione praefert crudo, quoniam is in longe iam minores globulos diuiſus et per adhaerentes particulas ſalinas efficacior redditus, in minimis corporis canaliculis haud adeo facile in maiores iterum coire globulos queat; qua in primis re in illis hominibus, quorum vaſcula valde ſunt debilia, inſignis noxa, eorumque facta ruptura ipſius mercurii effluxus in diuerſas cauitates interque oſſium lamellas, effici queant. Contra eos igitur quoque diſputat, qui ſingularem aliquam acrimoniam acidam, in qua luis venereae naturam eſſe poſitam ſibi fingunt, cauſam eſſe fabulantur, cur mercurius in quibusdam corporis locis interdum haereat iſtaque mala grauiſſima excitet: quum ipſius morbi ſymptomata de putrida potius, quam acida, humorum diatheſi teſtentur; ipſumque mercurium p. 300.

aliis

aliis liquoribus, v. c. vino, cereuiſiae, admiſtum, acidam ab iis arcere corruptionem, quin et mercurium ſublimatum, quem eſſe conſtet acidiſſimae indolis, per admiſtum illum crudum dulciorem reddi,
p. 303. ex chemia pateat. Ad illum itaque, ſi quis forte in corpore fuerit relictus, cum BOERHAAVIO mercurii dulcis uſum, poſt peractam ſaliuationem continuatum, et balnea vaporoſa ex lacte parata commendat. Quamuis interim omnes in primis cauſae, quae mercurii per vaſa iam rupta vel certe facile rumpenda effluxuri metum faciunt, uſum eius impediant: cum tamen in aegris ſcorbuto et rheumatiſmo potiſſimum affectis inuenire poſſe locum exiſtimat,
p. 306. dummodo vaſa adhuc ſatis robuſta ſint. Duos quoque aegros vera phthiſi lueque ſimul laborantes ita curauit, ut capris daret mercurium, quarum lac illis aegris bibendum propinabat; quae omnino methodus, uti in infantibus, ſic et in aliis aegrotis debilibus, eſſe videtur et tutiſſima et commodiſſima. Recte tamen cenſet, mercurium in omnibus prorſus exulare debere aegris, quorum morbi neruis inhae-
p. 307. rent. Ad puriſſimum obtinendum mercurium, cuius in primis aliqua non numquam dari ſolet copia ad reſerandam aluum, deſtillationem cum ſale alcalico aut limatura ferri inſtitutam, commendat.
p. 314. Quum mercurius quoque dulcis, licet ei addantur purgantia, fauces petere in tempeſtate frigida obſeruetur, eum potius cum camphora combinatum aegris ſuis dedit ſine ullius noxae aut ſaliuationis metu, etſi in gelidiſſima extra domum ambulauerint tempeſtate.

p. 334. Fruſta lapidis ex marmorum genere, qui ophites vel ſerpentinus appellatur, ſi probe fuerint calefacta, abdomini flatibus diſtento ſaepius imponere ſolent mulierculae, quam tamen conſuetudinem, quum fortius ſeſe expandendi detur aeri occaſio, Noſter reprehendit eorumque loco vel cucurbitas ſiccas,

vel

vel multo magis cereum candentem ſuperque eum ollam aliquam minorem imponere iubet umbilico, qua, ſi ignis vi ad abdominis ſuperficiem valide fuerit applicata, ſtupendam flatuum multitudinem expelli, inque tympanitide aegris inſigne conciliari poſſe leuamen aſſerit.

Omnem attentionem mereri videtur obſeruatio Cl. COTHENII cum Auctore noſtro communicata. p. 389. Quum enim aliquo abhinc tempore Poſtampii a canibus rabidis morderentur haud pauci homines, miſeros hos iuuit celeber ille medicus raſura cupri, panis fruſtulo, cui butyrum erat illinitum, inſperſa et per tres continuos dies ipſis data, dummodo laeſio nondum ante ſex horas accidiſſet. Effectus illius remedii, alias iure reformidandi, per aluum, urinam atque ſaliuam, fuere conſpicui ſine noxiis aliquibus ſymptomatibus, nec in debilibus aegris obuenire viſis; quorum quatuordecim illud adhibuerunt prophylactice, neque aliquam a morſu experti noxam; duo poſt morſum conualuere illius ope; in multis vero aliis ſero nimis illud datum fuit. Vt doſin, qua heroicum hocce remedium porrigi queat, addere placuiſſet Cl. Auctori, iure omnino optamus.

Quod de oleo camphorae ſupra dixerat, illud et- p.404. iam de oleo myrrhae per deliquium ſiue eius liquamine monet, illud, uti et eius extractum aquoſum, melius conuenire vulneribus, quam inde paratam eſſentiam, quum et reſinoſa et ſpirituoſa illorum oris atque fundo nociuum afferant callum. Eidem quoque extracto aquoſo multas cum HOFFMANNO laudes tribuit, in ſuomet ipſe expertus corpore phthiſi olim affecto, ſi una nimirum illius drachma teratur cum ſacchari uncia. Menſium quoque et lochiorum fluxum eo remedio et auxit et reſtituit, quare illud, ceu tutum, putredini reſiſtens alimentorumque digeſtionem adiuuans, valde commendat remedium, praeſertim ſi cum extracto corticis peruuiani lactisque ſaccharo combinetur.

Granu-

p.416. Granulis illis, Sagou dictis, in phthiſi proficuis, parem viribus iure ponere videtur noſtram farinam groſſiorem ex zea et gramine mannae paratam; pultes autem farinaceas, quas aegris talibus commendare ſolent mulierculae, ut alimentum digeſtu difficile recte interdicit.

p.420. Viſcum ab aliis vehementer laudatum, ab aliis vero prorſus contemtum, in ſua praxi feliciter adhibuit, eiusque pulueris drachmam ſemis omni trihorio porrigendo ipſiusque decoctum ſimul adhibendo, duos miſeros epilepticos a ſuo malo, cuius cauſam detegere non poterat, liberauit. Quatuor unciis viſci in puluerem redacti florumque poeoniae manipulo uni ſexaginta uncias feruentis aquae iubet infundere, admiſtis deinde huic decocto unciis duabus ſyrupi poeoniae.

p.436. Egregias, quas millefolium poſſidet, depraedicando vires, decocti alicuius iniicit mentionem, cuius virtutem et ipſe in ſuo corpore, quum vera olim laboraſſet haemoptyſi ſubſecutaque pulmonum ſuppuratione, et in aliis ſimilibus aegris expertus fuit: Decoctum ſcilicet radicis graminis recentis valde ſaturatum infunditur feruens ſummitatum millefolii copiae; huius decocti depurati libris duabus corticis Peruuiani electi uncia additur una vel altera; poſteaquam per duodecim horas ſteterit, decantatur, additoque ſyrupo myrtino ſimplici, aut melle, aut oxymeli ſimplici, dulcius redditur.

p.440. Ex corticis Peruuiani optimi libris duabus per frigidam cum aqua factam ſolutionem tres uncias ſemis extracti, ex illius autem uncia una per coctionem drachmas duas et viginti quatuor grana extracti obtinuit. Admodum eximias eius virtutes, quibus non elaſticae tantum ſolidarum corporis partium vi, ſed et alteri vitali dictae et a neruis oriundae, opitulatur, extollit uſumque determinat. Inter alia de puero quodam, cuius aluum alii medici nullis ſol-

uere

uere potuerant auxiliis, narrat, huius corticis uſu eum quotidie nactum fuiſſe aluum apertam, quum proxima morbi cauſa in ſola corporis debilitate poſita eſſet. Eundem effectum in ſemet ipſo et alui obſtructione et haemorrhoidibus laborante habuit. Tantam igitur apud ipſum meruit ille cortex gratiam fiduciamque, ut eo, propter pulmonum potiſſimum debilitatem, ſatis copioſe uſus fuerit, plus, quam duodecim eius libras aſſumſerit indeque adeo conualuerit, ut nunc ex tribus integris annis nec pus neque ſanguinem exſpuerit. In colicis quoque affectibus, tuſſi hypochondriaca et tympanitide clyſteres cum eo coctos inſigni cum leuamine applicandos curauit. In gangraena virtutem eius ab Anglis vehementer laudatam, et ipſe saepius cum fructu experiundi habuit occaſionem; quo in caſu ſingulis horis duos ſcrupulos deuorare partemque affectam ſolo eius decocto fouere iubet.

De agarico, cui validam ſiſtendi ſanguinem vim p. 457.
in vulneribus artubusque potiſſimum amputatis tribuunt recentiores, dubitat, num is per ſe illa gaudeat virtute, an ſola compreſſione hunc edat effectum? Ipſam autem ſauciatorum vaſorum diametrum fieri breuiorem, contentumque ſanguinem in verum cogi ſolere thrombum, a nobis nuper adductum fuit *.

Internum aluminis crudi uſum reformidare vi- p. 479.
detur, quem tamen contra colicam pictonum, ubi motus inteſtinorum periſtalticus forte deficiens, vel nimis debilis, fortiori aliquo adſtringenti remedio opus habere credi poteſt, a Cl. GRASHVIS feliciter fuiſſe adhibitum commemorauimus **.

Flori-

* Comment. noſtr. Vol. III. Part. I. p. 59. et Vol. IV. P. IV. p. 630.

** ibid. Vol. IV. P. IV. p. 632.

p. 497. Floribus meliloti cum camphora duriſſimos et mammarum et teſticulorum ſe reſoluiſſe tumores narrat, praeſertim ſi in poſteriore caſu, applicato ſuſpenſorio motuque corporis, quin et equitando, curam hanc adiuuerint ipſi aegri.

p. 515. Saccharum, quo candidius eſt, eo plus admiſtum habet calcis eoque minus mucilaginoſarum partium, eoque etiam minus in primis viis augebit acrimoniam acidam. Hinc quoque fit, ut cum ſale ammoniaco tritum, odorem ſpiret nullum; alterum vero eius genus album minus atque purum, ob calcem debilius adhaerentem, urinoſum ſpargat foetorem.

p. 573. Omnes a variis auctoribus ſuſceptae opii correctiones a Noſtro cenſentur inutiles, quum in vino meraciori illud ſolui facile, tum vero colari, additoque ſale volatili cornu cerui, haud inepte ſub laudani nomine uſui ſeruari queat; ab illo autem ſale, licet volatili, nec in febribus acutis aliquid mali metuendum eſſe per experimenta Cl. PRINGLE conſtet.

XV.

XV.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture avec des planches inprimées en couleur année 1752. Tome ſecond, à Paris, chez de la Guette. 4. maj. 1 Alph. 1 pl. Tab. aen. 14.

i. e.

Obſeruationes ad hiſtoriam naturalem, phyſicam et artem pictoriam pertinentes cum tabulis viuis coloribus expreſſis. Tom. II.

De tomo primo harum obſeruationum et inſtituto Cl. GAVTIER alibi diximus *, nunc et huius tomi in tres partes diſtributi, praecipua capita indicabimus, numeri vero obſeruationum cum praecedenti cohaerent.

In parte quarta ad hiſtoriam naturalem refertur.

Obſ. 18. Quae *deſcriptionem uteri duplicis* a Cl. EISENMANN propoſitam repetit, tabulam ſecundam viuis coloribus depictam ſiſtit additis ſimul conſectariis a citato Auctore expoſitis, quarum ſummam iam olim expoſuimus **. p. 3.

Obſ. 19. Proprias Cl. GAVTIERII animaduerſiones *de ranarum generatione* continet. Ranas plurimas eo tempore, quo genus propagant, diſſecuit. In feminarum ouis fatetur nihil ſe reperiſſe; maris vero abdomen aperienti narrat veſiculam pellucidam, ſe obtuliſſe faciebus diuerſimode inclinatis, ut adamantes poliri ſolent, ſplendentem, (*taillée en facetes*) aqua viua cryſtallinae puritatis plenam, in duos lobos ſatis diſtinctos ſeparatam, oſſi pubis incumbentem, p. 11. p. 14.

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. II. p. 254. ſeqq.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 24. ſeqq.

tem, ut adeo locum veſicae urinariae in hominibus occuparet. Circumdata erat ramis arteriarum, quae per ſuperficiem eius diſcurrebant, funiculo autem craſſiore diſtincta, quam ſimilis veſicula feminarum; funiculus hic velut placenta erat embryonum plurium viuorum, prope cor filis exiguis funiculo huic iunctorum, in aqua illa limpida, de qua modo dictum eſt, natantium, agitationibus extraordinariis ſe mouentium, caudis ſe mutuo ferientium; a funiculo vero, qui illos tenebat, ſeiungere ſe non poterant. Exſultans gaudio, dum haec videbat, GAVTIERIVS omnes, quos poterat, aduocauit, maluiſſet terram omnem aduocare, ut de tam nouo, tam incognito, tam extraordinario phaenomeno teſtimonium ferret, quo omnes conuinci poſſent, qui de veritate priorum ſuorum experimentorum dubitarunt, quoniam repetere ea non potuerunt *. Quid enim ulterius quaerendum eſt, poſt embryones viuos, diſtinctos, et nudo oculo noſcendos, in maſculo repertos. PYTHAGORAM addit, inuentum
p. 13. hoc alia hecatombe celebraturum fuiſſe. GAVTIERIVS vero quum quinquaginta ranarum paria diſſecuiſſe ſe ſcribat, credimus hanc hecatomben ei ſufficere poſſe. Ceterum miramur, cur, qui terram omnem teſtem inuenti anatomici optauerat, idem, quod poterat tam egregie, arte ſua illud oculis omni-
p. 22. um hominum non clarius expoſuerit. In figuris enim ranarum apertarum, quas addit, non ſatis diſtincte haec, quae fidi ex eo tranſtulimus, comparent. Figura prima fetum ranae microſcopio auctum exhibet, embryones autem illos nihil ab illis ranarum laruulis, quas circumnatare in paludibus ſub veris initium videmus, differre antea dixerat, neque de hac figura dicit, an natam iam ranulam, an unam ex

* Loquitur ſine dubio de illis, quae recenſuimus in Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 257.

ex illis, ad quas adeo obſtupuit, repraeſentet. Fetum certe appellat, non embryonem, et filum illud, quo embryones ſui funiculo adhaeſerant, non depingit. Figura ſecunda anaſtomoſes venarum et arteriarum in fetu exhibet; tertia et quinta inteſtina quaedam et inter haec veſicam illam aqua plenam, et veſiculas ſeminales vix conſpicuas; quarta et ſexta ranas utriuſque ſexus apertas, et in mare quidem figura ſexta veſicam aqueam profunde ſeparatam, ut duae fere veſicae videantur, infra hanc autem oſſi pubis adiacentes veſiculas ſeminales, illas, quas embryonibus plenas vidiſſe ſe adſerit. Nobis autem volupe fuiſſet has ipſas veſiculas apertas et embryones in illis, qui tam egregie nudo oculo patent, agitatos, illorumque cum funiculo illo nexum ſpectare; nam ceterum ranis abdomen forfice aperire ipſi pulcre nouimus. Miramur praeter ea tanti momenti obſeruationem de unica ſaltem rana Noſtrum referre, et nullibi indicare, quod illam repetierit, qui tamen antea quinquaginta paria immolauerit. Niſi forte ſat ſanguinis fuſum credidit, aut poſt hoc ranicidium nullae amplius vagantes liberis paludibus fuere. Ceterum ſi Gallus a Germano homine aeque pictore, aut vellet proficere aut poſſet in obſeruationibus circa ranas et alia ſimilia ſollicite inſtituendis, et ita, ut fidem inueniant, enarrandis, ROESELII diligentiam GAVTIERIO commendaremus *.

Inſeritur hic iudicium de Cl. EISENMANNI confectariis circa ſuperfoetationem, cum enim hic delineationem foetus in ouo aſſumat, ſpurios uteros ex dilatatione partis tubae Fallopianae hunc oui tranſitum ex ouariis per tubam ad uterum certum reddere affirmat; monet vero Noſter delineationem in ouo inde non probari, quoniam embryo humanus, etiam ex utero in tubam adhuc dilatatam aſcendere queat. Plura non addimus, cum caſus ſuperfoetationis poſt p. 15.

 ea

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 85. ſeqq.

ea diiudicatus, a nobis paulo ante * ut falſus indicatus fuerit.

p. 16. Figurae, de quibus diximus, ad obſeruationem vigeſimam pertinent, *anatomiam ranae* tradentem. Ex ea, quod ad rem praeſentem facit, hoc ſaltem ad-

p. 21. ducemus, verba ipſa Auctoris vertentes: *Veſica urinaria maris recto inteſtino adhaeret, et quidem fortiter; cum veneri operam dant animalia haec, aqua limpida, quam obſeruauit, Auctor, plena eſt, ubi natant embryones, funiculo, ut dictum eſt, adhaerentes.* Atqui in Fig. 4. lit. M. *veſiculas ſeminales* depingit, *unde exeunt embryones et ubi adnexi ſunt*, qua autem via ex his veſiculis in aqueam illam aut aqueas, nam duas Fig. 4. lit. L. nominat, perueniant, et quo modo veſiculis ſeminalibus adnexi ſint, quos funiculo, qui craſſior, maris veſiculam magis ſepararet feminae veſicula, adnexos dixerat, nos non intelligimus, ut picturae, quae lucem mutuari ſermoni debebant, obſcurare illum videantur.

p. 23. *Obſ.* 21. *Bombyces quo modo per naturam multiplicari et opera hominum carere poſſint* docet, ſi ſcilicet moris ipſis imponantur, mori autem rete quodam obducendi ſunt, tum ut tutiores ab auibus ſint vermes, tum ut delapſi adſcendere rurſus poſſint; nam ex quingentis bombycibus, quos ex ouis mille in moros repoſitis, exire vidit Noſter, quinque tantum ſericum in papiliones abituri texuerunt, reliqui omnes perierunt, nulla alia cauſa, quam quia delapſi adſurgere rurſus non potuerunt.

p. 25. *Obſ.* 22. *Deſcriptio plantae Ginſeng* legitur, qualis iam 1718 in commentario, a Cl. LAFITAV, P. Soc. Ieſu, miſſionario, edita fuerat. Planta vero viuis coloribus depicta additur: GAVTIERIVS enim illam aliquoties in Hiſpania pinxit, ubi botanophili ean-

* pag. 107.

eandem colunt; in horto regio Pariſino educari nondum potuit *.

Obſeruationes hae ad hiſtoriam naturalem pertinent; ſequuntur phyſicae et harum numerus prioribus phyſicis additur.

Quarta obſeruatio *philoſophiam veterem et nouam* p. 34. eo potiſſimum fine, ut locum ſuum inter patres philoſophiae recentioris, proxime poſt NEWTONVM et LEIBNITIVM, GAVTIERIVS ſibi vindicet.

Quinta electricitatis cauſam ex radiorum ſolarium p. 48. *impulſione* explicat, ſimul *remedium fulminum auertendorum* examinat. Credit, etiam ſi duci per baculum ferreum et catenam fulmen in puteum forte quendam poſſet, tamen reſiliendo hinc plus damni dare poſſe, quam ſi in aere libero fuiſſet exploſum.

Sexta obſeruatio Cl. RICAVD *de viſione ſententiam* p. 52. refellit; crediderat obiecta in fundo oculi erecta apparere, quia camera obſcura, nudo foramine inſtructa, euertit obiecta, lens autem idem facit, ut ſic humor cryſtallinus inuerſum rurſus inuertat. Sed de his an opus eſt plura intelligentibus dicere?

Iam ad diſceptationes philoſophorum et artificum p. 57. recentiorum delabitur. Primo auctoribus diarii Verdunenſis reſpondet, quem articulum huius quidem capitis *ſextum* appellat. Septimo GVYOTI eius, qui p. 59. de floribus variegatis commentatus fuerat **, epiſtolam ad ſe exhibet etiam defenſoriam.

Vltima ſectio eſt, *de artium ſecretis et nouis re-* p. 60. *pertis*. Docet hic vitra coloribus picta, ignire, fur-

* Plantae, in horto Collinſoniano florentis, iconem egregie pictam, exhibuit I. I. TREW, in plantis ſelectis, ab EHRET pictis, Dec. I. tab. V. ubi et varietas additur. Vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 332.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 262.

norum conſtructionem et ignis regimen dilucide explicans, deinde chartae coloribus variegandae (*marbrer*) methodum exhibet.
p. 63.

In quinta parte ad hiſtoriam naturalem ſpectat

p. 65. *Obſ.* 23. Quae *ſtructuram muſculi* exponit. Opus poſthumum eſt Cl. DUVERNEY Anat. Prof. Pariſini. Tradit ille deſcriptionem fibrae muſcularis, porro muſculos ex fibris compoſitos conſiderat, et cum in fibra muſculari partem mediam carneam cum tendineis extremis non in linea recta decurrentem, ſed in utroque fine ad angulos alternos appoſitam ſtatuat, in collectis muſculis idem attendi debere monet, ideoque mechaniſmum actionis in variis muſculis in primis in deltoideo deſcribit, et de differentiis motus muſcularis non nulla addit. Praeter muſculares maſſas oſſibus affixas etiam fibras paſſim in viſceribus deprehendendas aſſumit, has vero in arteriis non concedit, ſed easdem ab impulſu ſanguinis a corde, et reniſu fibrarum mere elaſticarum moueri aſſerit.

p. 73. *Obſ.* 24. Ab eodem Auctore eſt et in *vim muſculorum* inquirit, quatenus ea a diſpoſitione in variis partibus augetur, quamobrem mechaniſmus in non nullis muſculis in primis cubiti et maxillae ſigillatim declaratur, et ex vectis theoria exponitur.

p. 75. *Obſ.* 25. De *motu muſculorum* idem Auctor agit, et quatenus vel fluidum neruеum tantum vel ſanguis ſimul in hoc motu praeſtando concurrant diſquirit. Recenſet ideo WILLISII et MAYOVII ſententiam et ex hypotheſi BERNOVLLII declarat, quo modo fluidum nerueum in moleculas ſanguinis agat, et aerem concluſum liberet, quo ſe extendere et muſculi caua minutiſſima implere queat. Cum vero haec ipſa explicatio ei non omni ex parte ſatisfaciat, alteram ſententiam de ſpiritibus animalibus in veſiculas muſculi introductis proponit, quoniam vero contractiones muſculi cum chorda humectata pondus trahente

hente comparat, illas ſimili quidem modo, ſed celerius longe fieri poſſe aſſerit. Vti itaque muſculo nutritionem praebet ſanguis, ſic motum neruus praeſtat. Pergit inde Cl. DUVERNEY in hac re magis euoluenda atque declaranda, et cerebrum quidem ut fontem fluidi neruos mouentis conſiderat, animae vero directorium motuum in antagoniſmo muſculorum tribuit. Laſſitudinis cauſas duas exponit, ſcilicet defectum fluidi in cerebro, vel, ſi adhuc adeſſet fluidum, pororum per quos tranſit, et ſenſim ſenſimque euaporat dilatatio, unde fiat, ut ad motum continuandum plus fluidi requiratur. Prior cauſa debilitati conuenit, altera tamen laſſitudini magis propria eſt. Ex paucis hic indicatis cognoſcimus tractationem iam olim elaboratam cum inuentis et obſeruatis recentiorum collatam non fuiſſe, ipſeque Auctor in fine difficultatem explicationis agnoſcit.

Obſ. 26. De *circulatione ſpirituum animalium*, *et de particulari cerebri et cerebelli anatome* agit Auctore Cl. GAVTIER. Pedunculos cerebri ab anatomicis dictos radices trunci medullaris, medullam oblongatam truncum medullarem, neruos ramos medullares et medullam ſpinalem ramos coniunctos trunci medullaris dici debere noſter aſſerit, et inde fictam quandam comparationem cum plantis inſtituit. Hanc tamen ad explicandum ſuum aſſertum non urget, ſed poſtquam variis argumentis declarare annifus fuit, materiam ignis et electricam inter ſe conuenire et fluidum nerueum idem eſſe, nunc fluidum hoc ex cerebello per neruos ad actionem muſculorum praeſtandam progredi, in reactione vero per easdem in neruis regredi, et tunc non in cerebellum, ſed in cerebrum reuehi, cuius quidem medullares fibras craſſiores, illas autem cerebelli tenuiores aſſumit. Vere itaque Auctor, ut ipſe urget, nouam produxit ſententiam, ſed ex aliis, iam dudum per vera phaenomena confutatis, inter ſe iunctis, minus forte probabilem p. 86.

bilem redditam, ut ex iis, quae breuiter a nobis indicata fuerunt, et magis adhuc ex attenta totius tractationis perueſtigatione patebit. Ne vero quis credat, nos durius iuſto iudicium tuliſſe, tranſcribamus tantum unicam et ultimam tractationis particulam. *Addere poſſum*, inquit Noſter, *cerebrum poſt ea in cerebellum per plexum choroideum particulas ignis remittere, quas a diſtenſione neruorum receperat.* Et porro: *Aſſumi omnino poteſt animam regreſſum ſpirituum e muſculis in cerebrum, qui alias continuus eſt, in uno vel altero muſculo contrahendo, cohibere, et eo momento quoque eos ſpiritus, qui ex cerebello ad muſculum abeunt, vehementius impellere.*

p. 91. *Obſ.* 27. *De venaeſectione et aneuryſmate inde oriundo* agit. Hac igitur occaſione curationis aneuryſmatis per eam cauſam inducti, et a Cl. FAGET curati, breuiter exponit Cl. GAVTIERIVS; curationis enim rationes in ſcriptis Academiae Chirurgorum pariſinae expectamus; in duabus tabulis autem et vaſa arterioſa et venoſa brachii, et tumorem aneuryſmaticum, et machinas in curatione adhibitas delineatas conſpicimus.

p. 94. Phyſica obſeruatio VII. *de mundi creatione et diluuio agit*, ſimul Cl. DE MAILLET librum, qui nomine Auctoris anagrammate *Telliamed* celato prodiit, examinat, et additur tabula piſcem petrificatum exhibens.

p. 107. In diſceptationibus philoſophorum et artificum modernorum declarandis

Artic. VIII. De Lithotomia agitur et de apparatu magno et alto diſſerit Cl. CHAIGNEBRVN, oſtendere nimirum annititur apparatum magnum prae laterali habere ſua commoda immo et altum apparatum rite adminiſtratum non reiici poſſe.

Inter

Inter noua inuenta et ſecreta artium primum lo- p. 111.
cum

Artic. VIII. occupat, *machina hydraulica* a Cl. VILLENEUVE inuenta, quae aquam in duobus tubis attollit ſingulis a ſingulis extremis vectis pendentibus, qui ita ſe habet, ut homo ſuper eum exſpatiari et alterutrum eius extremum deprimere queat, tubi vero pluribus valuulis inſtructi ſunt.

Artic. IX. Epiſtolam ad Cl. GAVTIERIVM ex- p. 113.
hibet, qua *methodus muſicam artem inſigni cum facilitate docendi* promittitur.

Artic. X. Examen *anatomicum cadaueris foeminae* p. 115.
Supiot exhibet, quam Cl. MORAND in ſcripto quodam publico expoſuerat, et varia quidem hunc caſum emollitorum oſſium illuſtrantia adiecerat. Licet vero nos iam alia occaſione praecipua quaedam momenta indicauerimus * tamen non nulla ibi non expoſita hic addere neceſſarium eſſe deprehendimus. Oſſa tibiae et alia cylindrica oſſa emollita, ex parte deſtructa et facile comprimenda erant, cartilagines autem nullam paſſae erant mutationem. Oſſa humeri et reliqua extremitatis ſuperioris volumine multum imminuta erant, et licet in longitudinem diſtendi poſſent, poſt diſtenſionem tamen iterum contrahebantur. Phalangae digitorum vix mutatae videbantur, tactui tamen cedebant et flecti quaſi poterant. Peluis anguſtatus oſſaque ileum contracta erant; ſpina dorſi rite quidem conformata, ſed mollis reperiebatur. Sternum et alia oſſa ſpongioſa v. c. patella denſa ſatis videbantur, facile tamen in partes ſcindi poterant. Oſſa cranii multum quidem emollita et ſcalpello facile

* Idem caſus eſt, quem ex Transactionibus Anglicis Vol. XLVIII. Part. I. no. 4. p. 26. nomine *Annae Eliſabeth Queriot* indicauimus, mariti enim nomen *Supiot* erat. vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 384.

diſcindenda erant, licet duplo craſſiora apparerent: ex iis compreſſis ſuccus aquoſus ſtillabat.

p. 118. Adduntur porro Cl. MORAND animaduerſiones de natura et cauſa huius morbi. Ab aliis iam obſeruatoribus in ſcorbuticis et venereis oſſa mollia deprehenſa fuerunt. In noſtra aegra nulla venerei morbi erant indicia, ſuſpicio tamen medicamentorum mercurialium aſſumtorum, cum vero morbus nec rachitis nec venerea lues dici queat, ad ſcorbuti quandam ſpeciem omnio referenda erit. Aegra ab infantia congeſtionibus ſeroſis maxime obnoxia, cephalalgiam, ophthalmiam humidam, ſurditatem, dentium dolores, gingiuarum tumores, fauces aphthis ſcatentes, ſomnum minus tranquillum ſaepius experta fuerat. Reſpiratio breuis et anxia, aſthma conuulſiuum palpitationes cordis, lipothymiae frequentes, appetitus et digeſtio laeſa, colici dolores et borborygmi, urina putrida cum ſedimento albo vel cinereo, dolores vagi in toto corpore et praecipue ſpina dorſi, laſſitudines ſpontaneae, pruritus continuus cutis, pedes oedematoſi, ſcabies a contagio, et hac ſanata, ulcera crurum, fluor albus et alia ſymptomata crebrius in hac aegra obſeruata fuerunt, ex quibus omnibus cacochymiam ſcorbuticam colligere poſſumus. Aſſumit itaque Noſter ad oſſium mollitiem morboſam explicandam aſſertum Cl. COVRTIAL, qui in ſucco nutritio oſſium morboſo cauſam quaerit, et diſſolutionem nimiam ſanguinis eo facere contendit variaque de acrimonia ſanguinis et humorum proponit. Nullus quoque dubitat Noſter, grauiſſimum hunc morbum curari poſſe, dummodo ſigna detegantur, quibus initium morbi definiri queat, in augmento enim et ſummo gradu morbi vix medela affertur. Balnea ex alumine ſulphure et vitriolo * vel uſus etiam

* Mollitiem oſſium a PETRO ASSELINAEO obſeruatam et balneo frigido ex ſulphure, alumine, vitriolo

etiam internus horum medicamentorum forte ſuaderi poſſent, uſum quoque herbae vermicularis, quae ſedi ſpecies eſt, non incongruum fore, Noſter aſſerit.

Cl. GAVTIERIVS in nota addita monet aegram noſtram abuſu ſalis communis haec incommoda ſibi contraxiſſe, quam rem tamen in poſterum ſe explicaturum eſſe promittit.

Artic. XI. A Cl. VILLENEUVE noua machina ſemini proiiciendo apta deſcribitur et icone illuſtratur. p. 123.

In parte ſexta ad hiſtoriam naturalem referuntur.

Obſ. 27. In qua *de principio motus in foetu* diſſerit Cl. GAVTIER, num cerebrum, an cor prima motus cauſa exiſtat? Videtur Noſter cerebro partes tribuere, licet hoc non citius agere poſſit, quam omnia ad circulationem in embryone incipiendam diſpoſita ſint. Ab his ad differentiam viuiparorum et ouiparorum animalium declarandum ducitur, et cordis fabricam methodo ſatis nota deſcribit. p. 129.

Obſ. 28. De *pulmonis humani fabrica et uſu* idem diſſerit, et ad lobulos et veſiculas huius viſceris potiſſimum reſpicit, MALPIGHII et HELVETII aſſerta prae reliquis recenſens. Ipſe vero his praemiſſis ſuas de anatome minimarum partium huius viſceris obſeruationes exponit et inde uſum definire tentat. p. 133.
In diuiſionibus bronchiorum uſque ad lobulos continuatis, glandulas detexit coeruleſcentes, ſenſim magnitudine decreſcentes, orificiis ſuis in cauum bronchiorum hiantes, has ita cum capillaribus vaſis pulmonum communicare aſſerit, ut ſeparatio partis pituitoſae ex ſanguine per pulmones tranſeunte, illis adſcribi queat. Hinc ſputum viſcidum ex pulmonibus p. 135.

triolo et ſale gemmae curatam adducit. G. H. WELSCHIVS Obſ. Med. Epiſagmata centum. Obſ. 82. p. 53. exſtat cum M. A. SEVERINI Seilo-phlebotome caſtigata. Hanouiae 1654. 4to.

bus maſſam ſanguinis in venis reducendi imminuit eiusque colorem mutat. Porro arterias pulmonales tunicis tenuioribus praeditas inuenit quam venas, cum quibus anaſtomoſi iunguntur, hinc aër et ignis ad calorem et fluiditatem ſanguinis praeſtandam ingredientes non niſi arterias penetrant. Ad conſiderationem aeris poſt ea progreditur, et varias concluſiones reſpirationem ſpectantes elicit. v. c. Craſſum aerem impulſu ſuo dilatationem pulmonum efficere, ſimulque vehiculum eſſe aeris ſubtilioris in lobulos ducendi, in quibus compreſſio pulmonum tenuiſſimas aeris et ignis particulas in arterias capillares impellit, reliquis craſſioribus per exſpirationem ſub vaporis forma difflatis, cum vero arteriae capillares ampliores ſint, quam venae, cum quibus anaſtomoſi iunguntur, in ipſo motu circulationis ſeroſae particulae expelluntur, ideoque ſanguis in grate rubrum colorem mutatur. Volumen itaque ſanguinis per ſeceſſium craſſiorum particularum imminuitur, licet particulae magis dilatatae in venis capillaribus regrediantur et aere et igne accedente magis agiles reddantur. Quouſque hae experientiae et aſſerta vera ſint, et an concluſiones inde fluant aliis diiudicandum relinquimus.

p. 138. *Obſ.* 29. *Vſum vaſorum lymphaticorum in meſenterio*, et porro *eundem venae portae* proponit. Prior tractatio nihil noui continere videtur, altera igitur breuiſſimis indicanda eſt, licet praeuideamus, nos obſcuras Auctoris ideas non aſſequi poſſe. Ratione enim uſus venae portae non conſentit cum iis, qui ſanguinem ex viſceribus abdominalibus refluum ad bilis ſecretionem praeſtandam neceſſarium eſſe aſſerunt; aſſumit potius glandulas biliarias ex ſua fabrica bilem ſecernere, cuiuscunque indolis ſanguis eo deferatur. Nouam itaque proponit ſententiam. *Meſenterium, nimirum, pancreas, lienem et epiploon quatuor liquores diuerſos praeparare, ad mitigandum chylum in inteſtinis elaborandum diſpoſitos.* Naturam et

vias

vias horum liquorum non tangit Noſter, ſed pergit, *ex fermentatione diuerſi ſanguinis reſoluti incommoda orirentur varia, niſi quatuor illi liquores in venam portae deducerentur, ſed primo impetu et ſine praeuia praeparatione in venam cauam immitterentur. Vena portae potius hos liquores in hepate diffundit, cum ſanguine arterioſo miſcet, in glandulis hepaticis et biliariis praeparat et ſub apta hac modificatione per venam cauam ad cor reducit.*

Obſ. 30. *De auibus carniuoris* agit: Sperare iubet Cl. GAVTIER auium ſeriem pictam, cui fini, quas collegit Ill. DE REAVMVR, ipſi commodabuntur; iam imagines coloratas edit *Buteonis*, *Bulteonis apriuori*, *Milui aeruginoſi*, *Lani minoris Molucarum*, *Franci Galbuli maſculi*; ita enim nomina illorum exhibet, non citatis, qui hoc modo nominarint. Breuem ſingulorum deſcriptionem ſubiungit. p. 140.

Addit Ille, eſſe ſibi methodum, animalium et plantarum figuras, partibus, quae componi et ſeiungi poſſunt, ut typi, quibus ad libros utimur, inprimendi. Hanc methodum parum impenſarum poſtulare, elegantia vero et exactitudine nihil reliquis methodis cedere. p. 144.

Phyſica obſeruatio octaua oſtendere conatur *reſiſtentiam fluidorum calculo non ſubiacere*, quo fine propoſitiones quasdam libri Ill. D'ALEMBERT, *Eſſay ſur la reſiſtance des fluides*, ſub cenſuram vocat, non felicius, quam NEWTONI opticen, adgreſſus eſt. p. 145.

Obſ. 9. *de cauſis graduum diuerſorum caloris in atmoſphaera noſtra* eſt Cl. DE V**. Summa eo redit, ab aere ipſo lentis cauſticae modo radios ſolares uniri, diuerſis gradibus pro diuerſo ſolis ad hanc vel illam atmoſphaerae partem ſitu. p. 151.

Picturae obſeruatio quinta eſt in librum quendam Marchionis D'ARGENS, *Reflexions critiques ſur les diffe-* p. 159.

differentes ecoles de Peinture, contra quem Noſter praeſtantiam antiquorum, non ſculptorum ſaltem, ſed et pictorum tuetur, multaque ad has artes egregie facientia adducit.

p. 170. Alia obſeruatio, quae etiam *quinta* dicitur, eſt Cl. PAPILLON, *hiſtoriam artis figuras ligno incidendi* tradens, ſimul multa ad typographiae hiſtoriam pertinentia continens.

p. 183. *Philoſophorum et artificum diſceptationes* unicum articulum continent, neque illum integrum; animaduerſiones in Cl. FREZIER *hypotheſin de terrae motibus*, qui illos a circulo aquarum ſubterraneo deducit. Adducuntur variae obſeruationes motuum terrae.

XVI.

De ſenio eiusque gradibus et morbis, nec non de eiusdem acquiſitione tractatus, auctore IOAN. BERNHARDO DE FISCHER, Med. Doct. et quondam Ruſſiarum Imperatricis Annae glorioſae memoriae perſonae medico, et per Ruſſias res medicas dirigente Archiatro. ut et Acad. Imper. Natur. Curioſ. Collega. Praemiſſa praefatione ANDREAE ELIAE BÜCHNERI, Imperial. Acad. Nat. Curioſ. Praeſidis. Erford. impenſis Io. Frid. Weberi, 1754. 8. pl. 17½.

Qui ab Ill. Auctore eum in finem conſcriptus fuerat, praeſens, quem indicamus, tractatus, ut academiae naturae curioſorum, cui ſocius erat adſcriptus, legibus ſuoque fieret officio ſatis, eum Cl. BÜCHNERI opera editum fuiſſe ſciendum eſt, ſiquidem ampla eius, notatu autem digna pertractatio, maius, quam quod diſquiſitionibus dictae academiae

deſtina-

deſtinatum eſt, expleret ſpatium, nec in partes diſtributum commode edi poterat, quae eſt prodeuntis integri tractatus ratio.

In praefatione, quam ipſe Ill. Auctor ſuae propoſuit explicationi recte quidem affirmat: *Quicquid viuit cum corporis vigore et incolumitate diu viuere optat, mortem enim, corporis deſtructionem odit, quicquid viuit, natura ita iubente*: multa tamen ſunt, quae huic vitae continuationi aduerſantur, quum et ipſum ſummum numen non omnem ſingulis animantibus aeque longam eſſe vitam voluerit. Narrantur quidem longaeuorum prae hominibus animantium varia exempla, quae vero ex parte certioribus confirmanda eſſe obſeruationibus arbitramur, in primis, quum morborum in illis abſentiam ex fibrarum et ſanguinis firmiore compage non abſque exceptione, quod Cl. Auctor vult, deducendam eſſe putemus, cum nos in plerisque animalibus horum natura, integritas, vita ſana, morbi et mors, lateant. Firmiori forte veritatis fundamento ſuperſtructum eſt illud, quod inter homines feminae frequentius annis antecedant mares; hoc ipſum tamen auctor magis de annis grandaeuitatis, quam longaeuitatis verum eſſe adſeuerat, et ex ephemeridibus demortuorum, ubi exempla longaeuorum enarrantur, euincere ſtudet, unam tantum feminam centenariam demortuam ibi indicari, ubi decem mares, eiusdem, vel prouectioris etiam aetatis, obiiſſe feruntur. Corpora feminarum firmius eſſe conſtructa ac virorum, non ſolum ex externa femorum forma, ſed ex ipſa interiori fibrarum ſtructura, quae, licet ſint tenuiores, firmiore tamen connexione et maiore multiplicatione, ſubtilitatem hanc egregie compenſare contendit auctor: recte autem ſimul innuit, tale robur machinae femininae non de omnibus generatim, ſed de iis tantum intelligendum eſſe mulieribus, quae laboribus improbis et aliis exercitiorum generibus corpus in iuuentute

p. 7.
p. 8.
p. 9.

tute firmarunt. Vt graue quoddam teſtimonium ſententiae ſuae addat, prouocat porro ad motus iſtos vehementes, quos conuulſiuos vocat, quibus feminae prae viris frequentius mire et miſere torquentur, horumque cauſas in differente ſanguinis craſi et
p. 10. fibrarum ſtructura haerere credit. Huic adſerto annectit aliam adhuc rationem, pro comprobanda maiore elaſticitate fibrarum corporum mulierum, quia negotium catameniorum ex maſſa ſanguinea, ſub qualibet excretione exaeſtuante, oriri ſibi perſuadet; et ex grauiditate, in qua etiam omnimoda vaſorum uterinorum repletio contingit, neque tamen diſtenſione hac, et facta deinde euacuatione, fibrae motrices uteri in tono naturali ullo modo debilitari, ſed exerceri potius hac viciſſitudine alterna, et fortius roborari. Non autem partes ſolidae feminarum hoc ſingulare robur tantum habent, ſed ſanguis earum magis compactus et oleoſus ab Ill. Auctore creditur, ideo, quod cadauera demortuarum ſi comburuntur, lucidiore igne flammam alant, ob humores, quibus gaudere debent, pinguiores. Ponamus, hanc opinionem, quam iam recenſuimus, eſſe veram: certo exinde ſubſumi poſſet, prout fecit Noſter, hanc temperiem ſanguinis feminarum oleoſam, multum eos iuuare ad declinandos morbos ſeniles praecoces, ubi fibrae nimis rigidae et exſuccae, reſiſtunt nutritioni ſufficienti. Porro experientiam teſtem citat, non tam frequenter laborare feminas morbis ſenilibus, ac potior ſexus, ſi tantum modo annos iſtos, qui ſequuntur proxime poſt fluxum menſium interceptum, ſine grauioribus incommodis ſuperauerint feliciter. Omnis autem hominum aetas, prae primis ſenium, variis expoſitum eſt moleſtiis atque aerumnis, quibus decrepiti conſumerentur certiſſime, niſi ſubueniret illis ſedula bonorum cura atque prouidentia benigna. Aequum eſt ſenes impotentes fouere et nutrire, praeſertim eos, qui honeſto vitae genere transacto, canitiem

tiem venerandam gerunt. Sed quinam ſunt, quos ſenibus annumerare debemus? utrum iſti tantum, qui per multos annos integra ſanitate nec imminutis viribus vixerunt, an iſti, qui medioeri annorum ſerie exacta, aerumnas varias, valetudinem aduerſam puta et debilitatum corporis ſui robur iuſto citius ſentiunt, cum plenaria impotentia labores hominum perficiendi. RIVERIVS, celebris olim medicus, in inſtitutionibus ſuis ſenectutis annos in tres ſubdiuiſit partes: nempe in *ſenectutem primam*, quam ab anno quinquageſimo ad ſexageſimum uſque extendit, in *aetatem ingrauescentem* ab anno ſexageſimo ad ſeptuageſimum, et tandem in *decrepitudinem* a ſeptuageſimo anno ad vitae finem. Non tamen ab annis ſolum, ſed potius a decremento virium, ſi illud in corpore ſentitur, exordiendum eſſe ſenii ſtadium, multi medici ſtatuunt: inter hos, prae reliquis nominandus eſt FLOYERVS, qui in *medicina Gerocomica* illud poſt annum quinquageſimum utplurimum fieri, experientia conſentiente, comprobat. Nec illum annorum decurſum, ſecundum quem, imminutio virium in hominibus poſt quinquageſimum annum oriri neceſſario ſtatuitur, ceu perpetuum agnoſcit, cum ſaepius, ſexaginta annis exactis, homines huius aetatis, non ſenes, quin potius in iuuenum adhuc vigore conſtituti conſpiciantur, et alii, antequam hunc attingunt annorum numerum, nempe quinquageſimum, fractis viribus et naturali robore deiecto, accenſendi ſint vetulis. Adſumit Ill. Auctor ipſam ſenii vocem pro fundamento diuiſionis aetatis ingraueſcentis, et credit ſenium, proprie dictum, ab annis decies ſenis expletis originem trahere. Hi itaque tantum, quibus conceſſum eſt a benigno creatore adſpirare ad annum ſexageſimum, dicendi erunt ſenes. Tempus illud intermedium, quod effluit inter annum quinquageſimum et ſexageſimum vocetur *ſeneſcens aetas*, ſenium porro, ratione durationis p. 14.

quoque variat: aliud eſt breue, aliud longius extrahitur: hinc enata eſt triplex ſenii ipſius, antea definiti, ulterior explanatio. Ad computationem Cl. Auctoris *primum ſenium* incipit ab anno ſexageſimo duratque ad ſeptuageſimum: alterum ſtadium, quod percurrunt mortales poſt ſeptuageſimum, compellat *grandaeuitatem*, illiusque limites ad nonageſimum uſque prorogat; ſi ulterius, abſolutis prioribus, procedit homo viuendo, tunc *longaeuitatem* attigit, hancque termino incerto ultra centum annos et amplius
p. 15. definit. Secundum hanc diuiſionem iam propoſitam in opere ipſo primo ſenes grandaeui et longaeui, et quid in illis ſingulare obſeruatum fuit, ab eo conſiderantur; progreditur tum ad morbos ſenii ipſos, hosque hiſtoriis fide dignis, ex auctoribus probatis, maxime ex ephemeridibus naturae curioſorum et ex ſuo enchiridio deſumtis, illuſtrat; et tandem proponit iſta, quae ad ſenium longum acquirendi creduntur profutura. Haec in praefatione habentur.

p. 18. Disquirit ſub initium ipſius tractationis, quaenam regiones in Europa alant longaeuos? Teſtimonium VERVLAMII, in *hiſtoria vitae et mortis* adducit equidem, in quo perhibet iſte: Hiberniam et Britanniam cum inſulis Orcadibus et Hebridibus continere plures longaeuos, cum vix in Britannia reperiatur villa, in qua non viuat mulier vel vir octogenarius: hi tamen ſenes, ad mentem Auctoris, non longaeui, ſed grandaeui tantum adpellandi ſunt, licet non neget, inueniri quoque in Britanniis longaeuos tales, prout is hoc ſtadium ſenii definiuit, aeque ac in aliis regionibus conperiuntur. Adducit ex relatione epiſtolica, quam accepit olim, pro comprobanda veritate ſenem piſcatorem Archangopolitanum centum et quatuor annos natum, alacriter adhuc opus ſuum perficientem; cui adiungit Lapponem, vitam ſuam pauperrimam ultra centum annos
p. 19. producentem. Dantur itaque in regionibus frigidiſ-

ſimis

ſimis quoque longaeui: parciorem tamen eorum eſſe numerum ibi, ac in Germania et vicinis huic regionibus ex annalibus medico-phyſicis Wratislauienſibus cognouit. Quis unquam dubitat inter Batauos et Pannones degere longaeuos, cum ante aliquot luſtra in Hungaria mortuus eſt Petrus Czartan, poſtquam centum et octoginta quinque annos viuendo compleuerat. Vt noſtram interponamus hic ſententiam, firmiter perſuaſi ſumus, in uniuerſo terrarum orbe reperiri longuaeuos, cum communis corporum ſtructura et ratio vitam conſeruandi data ſit omnibus hominibus a natura: deficiunt nobis tantum relationes copioſiores; et ignoraremus etiam longaeuitatem Braſilianorum, niſi PISO et MARGGRAFIVS illam nos docuiſſent in hiſtoria naturali Braſiliae. Paucis tantum verbis, ſecundum Auctorem, adhuc mentio p. 22.
facienda erit Chinenſium et Calmuccorum, quorum vitae genus inſimul enarrat, quibus nos adiungimus Coſaccos vagos: inter quos non exiguum numerum longaeuorum conſpici, certum eſt. Specialem quo- p. 25.
rumdam obſeruationem, cuius meminit Ill. Auctor, hic etiam omittere non poſſumus, quod illi prae aliis longaeui fiant mares, qui ex temperamento et habitu corporis materno ſimilitudinem habent prae illis, qui habitui patris magis accedunt: ſed poſterior aetas addet obſeruato huic pondus experientia repetita. For- p. 26.
mam deinde ſenum, tam externam, quam internam, et quid in ea immutatum repertum ſit, ex diſſectionibus horum copioſe refert, nec non propriis obſeruationibus confirmat. Conſiderat etiam p. 62.
mutationes actionum, tam vitalium, quam ſenſualium, nempe reſpirationem et motum cordis: porro actionem ventriculi et exinde pendentem nutritionem, excretiones omnes, aluinam, renalem, atque cutaneam. Qualis ſit differentia inter ſomnum ſenilem et iuuenum, itidemque inter vires generandi diuerſarum aetatum prolixe ſatis exponit. Deuenit, p. 78.

 poſtquam

poſtquam haec excuſſit, ad mutationem ſenſuum internorum et externorum; et ſingulas partes, per quas ſentimus, quibus mutationibus tangantur, or-
p. 88. dine commemorat. Si curatius perpendimus actiones et conſuetudines ſenum, confiteri ſaepius cogimur, illos repueraſcere: hinc etiam occaſionem arripuit Ill. Auctor, comparandi utrorumque mores, et probatum dedit poſtea, ſenes bis pueros fieri, ob ſimiles adfectus animi et morbos, utrique aetati fere
p. 93. communes. Regimen ſenum, quod tenuere boni, antequam ad id faſtigium aetatis adſcenderent, nunc explanat, una cum peſſimis moribus eorum, qui,
p. 102. ſpretis omnibus regulis et cautelis, ad longaeuitatem acquirendam alias neceſſariis, nihilo ſecius tamen ſe-
p. 108. nium impetrarunt. Annorum climactericorum conſiderationem, an ad aetatem ſenilem, vel augendam, vel praeſcindendam aliquid valeant, diſpicit, et commento huic antiquorum ex ratione nihil tribuit.

p. 109. Ex his fluunt, quae capite ſecundo proponuntur, regulae therapeuticae. Diuiſionem ſenii, ſuperius a nobis indicatam, retinuit et hic in enumerandis morbis, quibus premuntur decrepiti, et eos, in morbos capitis, thoracis, infimi ventris et morbos artuum et ſuperficiei corporis diſpeſcuit. Domicilium ſenſuum externorum et internorum caput nempe, priuatur ut plurimum viſu et auditu, et quidem, vel ex toto, vel ex parte. Omnis perit videndi facultas ex gutta ſerena et cataracta. Priorem morbum, apoplexiae ut plurimum prodromum eſſe vult, hinc de eo, ubi de apoplexia ipſa aget, ſimul copioſius exponere decreuit. Cataractam in corporibus habitus ſpongioſi crebrius oriri ac in iis, quae firmioris ſunt conſtructionis putat ideo, quod vaſa in illis ſint tenuiora et anguſtiora et obſtructioni magis expoſita, qua facta, etiam lens cryſtallina pelluciditatem amittat ipſaque generetur cataracta. Remedia huic morbo, quae opponuntur, ſunt varia. Lau-

dant

dant non nulli ſaliuationem mercurialem, quam tamen, ob ſiniſtrum euentum in plurimis, reiicit Cl. Auctor. Tutiora et magis efficacia, ſic dictante ratione, ſuadet, nempe errhina, praeprimis ex cubebis paratum puluerem ſternutatorium, et efficaciam illius remedii, adpoſita quadam curatione notabili vindicauit. Eumdem effectum ſalutarem procurant olea deſtillata, aniſi nempe, foeniculi, et quae omnia ſuperat, croci, ad guttas decem, mane et veſperi fruſtulo ſacchari inſtillata, praeſertim ſi adiungitur potus infuſi calidi, ligni ſaſſafras, vel etiam theae communis. His ad latus ponit internum uſum camphorae, ad aliquot grana ſi adſumitur, non neglectis auxiliis externis, linimentis ſcilicet, ex axungia viperarum et aſciae piſcis paratis. Saepius iam enarrata remedia auertunt orientem cataractam: ſi vero caecitas quotidie augetur, et plenaria viſus obſcuratio tandem corpori inhaeret, ſola operatio chirurgica, qua lens ex ſede ſua deprimitur, locum habet. A plenaria hac viſus abolitione tranſit ad ea incommoda annoſorum, quibus iſti adfliguntur, nempe inflammationem oculorum, epiphoram, humorum deſiccationem, retinae vitia, tunicae albugineae rugas, corneae ſiccitatem et plenariam obſcurationem. Contra inflammationem et epiphoram collaudat purgationes per epicraſin, venaeſectiones repetitas, ſcarificationes in ſuperciliis et temporibus, lotionem faciei, in primis ſuperciliorum, cum ſapone in ſpiritu vini camphorato ſoluto, capitis frictionem, veſicatoria temporibus impoſita, fotus, vel humidos, vel ſiccos, et humidos quidem ex herbis emollientibus cum aceto paratos, quibus dolorem leuari confirmat; et his, iam enarratis, ſi fruſtra adplicata fuerunt, ſuperaddit tandem ſopientia antiquorum fortiora, quale eſt Sief cum opio in aqua ſolani ſolutum. Contra atoniam retinae medetur iis, quae ſuaſerat ſuperius in fiente cataracta, maſticatione

p. 114. p. 116. p. 118.

nempe camphorae, oleo aniſi, foeniculi, croci, tam
externe, quam interne, uſurpatis, cubebis et radice
valerianae, tam in puluere errhino, quam in maſti-
p. 120. catorio auxilio uſurpatis. In tunicae corneae obſcu-
ritate, ceu perſpectum et exploratum a ſe extollit re-
medium, piſcium pinguedines, inſolatione liquefa-
ctas, vel puras, vel puluere zingiberis mixtas, ſi de
eo, guttula una vel altera, cubitum euntis corneae
vel cantho oculi maiori illinitur, cum pelluciditatem
reſtituit: Nocet tamen, ubi albuginea eſt inflamma-
ta. Huic morbo, tenebras cauſſanti, alio praeter ea
remedio obuiam it, collyrio ſicco, ex tutia, ceruſſa
lota et aequali portione nitri confecto, quod corneae
inſpergit. Cilia inuerſa et rigida, ſi laedunt corne-
am, morbus trichiaſis vocatur, ut euellantur, praeci-
pit, et locus iſte tangi debet lapide ſic dicto infernali,
quo impediatur aliorum ciliorum prouentus, quam
curationem praeciſioni palpebrarum praefert. Ve-
nam ſecare in imminuto ſenum viſu inconſultum eſſe,
partim ex ephemeridibus naturae curioſorum, quae,
ſaepius in libello ſuo citat, partim ex eo, quod
omnis nimia ſanguinis euacuatio hunc ſenſum debili-
tet, euictum dat. Quae de reliquis ſenſibus porro
conſignata dedit medendi praecepta, ea conciſo ſer-
p. 122. mone porro explanabimus. Obauditio oritur, vel
ex retento cerumine aurium, vel ex vitio tympani et
oſſium auditus, vel ipſius nerui acuſtici debilitate.
Contra atoniam tympani extollit oleum ſuccini al-
bum, ad guttas duas auri immiſſum, illudque inſi-
mul quoque vertici ad aliquot guttulas inungere prae-
cipit, ſi antea ſapone nigro, ex oleo balaenarum
confecto, indicatus locus, pro faciliori via oleo pa-
randa, illinitus fuit. Similem effectum in hac ae-
gritudine caſtoreo, camphorae, croco et balſamo
p. 123. peruuiano genuino et oleo croci tribuit. Tinnitus
aurium, cum vertigine ſi iunctus eſt, apoplexiam
ſaepius minatur. Ad auertendam hanc ſuadet oleis
deſtilla-

deſtillatis e. g. galbani, anthos, lauendulae, ſuccini inungere verticem, nucham et ſpinam dorſi; interne autem porrigere adfecto camphoram, liquorem C. C. ſuccinatum, ſpiritum C. C. et alia ſpiritus excitantia medicamenta. Vrgente plethora, quae ut plurimum in ſenibus vegetis praeſens eſt, ſanguis emiſſione e vena minuendus eſt. Adficiuntur in grandaeuis quoque ſenſus interni; et memoriae debilitas, et phantaſia remiſſior, de eo teſtantur. Caput porro male adficiunt cephalalgia et hemicrania, p. 130.
et moleſtias cauſſantur inſignes, haemorrhagia narium et vertigo, ſyncope et lipothymia, paralyſis, hemiplexia, apoplexia, qui ultimus morbus prae reliquis aliis aetate prouectioribus eſt familiaris. Concinno autem ordine tradit, quibus modis ſubuenien- p. 162.
dum ſit apoplexia tactis, variaque proponit auxilia: Sed cum illa nemini non medentium cognita eſſe debeant, neque ſingulare, vel forte etiam nouum additum ſit remedium; illis enarrandis ſuperſedemus. Diu multumque iam cogitatum fuit de auertenda apoplexia, et praua lucri cupido impoſuit credulis ſpecificis ſic dictis antapoplecticis, prout ſunt ſacculi famoſi berolinenſium. Hos geſtare in praecordiis p. 164.
non diſſuadet Ill. Auctor, cum ad mentem eius, eo in loco concurrat centrum aliquod neruorum, quorum refectio ipſam mortem ſubitaneam fugat. Ignoramus nos, qualis ſit iſte locus thoracis, ubi nerui plures diſtributi, medicamento, exterius adpenſo, roborari poſſent, ita quidem, ne ullam patiantur ſui umquam alterationem: Veriora tamen inſimul et experientia magis confirmata, ibi recenſet quoque remedia.

De reliquis tandem capitis vitiis fatetur, non de iis tantum ſe agere, quae forte ſolis decrepitis alias accidunt, ſed omni aetati hominum, et quae ab aliis auctoribus huic parti, tamquam idiopathica, non annumerantur; cum nemo therapeutarum ſaliuae ex-

cretionem, dentium vitia, inter morbos capitis pro-
p. 168. prie exponat. Vltimo tandem de vigiliis nimiis et
ſopore ſenum non nulla diſſerit, et cauſas plures ad-
ducit efficientes, ut uterque adfectus, vel cieatur,
vel ſuſtentetur. Inter remedia, quae ſanguinis im-
petum a parte hac nobili capite nempe auertunt, ſunt
p. 175. medicamenta aluum ſubducentia primaria. Prae ce-
teris laudat aloëm hepaticam, ad aliquod grana cum
tartaro vitriolato et magneſia alba remixtam, exhibi-
tam, et myriade exemplorum hoc medicamentum
comprobatum, titulo pulueris polychreſti laxatiui
exhibuit olim, et numquam non ſperatum, et ſan-
guinem corrigendi, et aluum ſoluendi, impetrauit
p. 180. effectum. Simili ratione et colli pathemata, degluti-
tionem difficilem ex relaxatione et debilitate oeſo-
phagi, una cum angina expendit; quare et hic uber-
rimam, de difficilibus his morbis diſſerendi et auxilia
varia ſuggerendi, nactus eſt occaſionem.

p. 184. Morbos thoracis, quibus ſenes ex mente Ill. Au-
ctoris anguntur, nominare tantum volumus. Sunt
iſti tuſſis, phthiſis, aſthma, catharrus ſuffocatiuus,
polypus, hydrops pectoris, haemoptyſis, pleuro-
pneumonia; quibus ſubiungimus infimi ventris vale-
tudinis aduerſae vitia, nempe anorexiam, vomitum,
flatulentiam, colicam, alui obſtructionem, diar-
rhoeam, nephritidem, mictum cruentum, haemor-
rhoides, menſtruationem vetularum, cachexiam, hy-
p. 239. dropem, icterum, veſicae vitia. Aegrotationes ar-
tuum, dum indicat, illis adnumerat eryſipelas, ſpha-
celum pedum, arthritidem, podagram, ſcabiem.
p. 255. In fine huius capitis, ſenes etiam a quibusdam mor-
bis immunes eſſe, monet, prout illud obſeruatum
eſt de peſte, de variolis et ſcorbuto; itidemque eos
non ſuccumbere facile febribus petechialibus acutis,
vel intermittentibus.

Ordo dicendorum, quem hactenus tenuit Ill. Au-
ctor, et quem preſſo pede ſecuti ſumus, nos ducit
nunc

nunc ad caput tertium, inſcriptum: *de methodo ſal-* p. 256.
nam longaeuitatem acquirendi. Si perpendimus hominum ortum, de quo CICERO recte pronuntiat: nos ea lege natos eſſe, ut vita noſtra variis expoſita ſit difficultatibus atque periculis, quibus ſe adiungunt praeter ea varii morbi: tunc mirari non ſatis poſſumus, cur non nulli tam ſolliciti ſint, de protrahenda et extendenda hac miſera vita, quoniam lubrica atque fallax eſt plurimorum ſpes, ſummam adipiſcendi ſenectutem. Congenitus nobiscum equidem eſt amor vitam conſeruandi quam diutiſſime: ſed cum non in poteſtate noſtra poſitum ſit, debile a genitoribus traditum corpus, ad omnimodam firmitudinem immutandi: expleuimus iam illud naturae deſiderium honeſtum, ſi naturae et ſtructurae natiuae conformes viuimus. Faciunt hoc multi, qui recta rationis uſu adiuti, corpus, alias ſanum viſum, quam maxime curant, in medio tamen vitae termino, quem alii attingunt, priuantur vita et ſanitate, tam anxie expetita: cum contra ea alii, ſpretis et neglectis omnibus ſanitatis praeceptis, ſaepius cum eorum repugnantia et indignatione fiant ſeniores. Num ergo leges iſtae, quas ſanxere et propoſuere ad obſeruandum artis noſtrae doctores, erunt ſuperfluae? Minime. Valebunt in multis, non in omnibus, cum in ipſis euentibus, ad ſanitatem hominum relatis, nihil perpetuum ſit. Quis ignorat VERVLAMII, p. 258.
HOFFMANNI, ZWINGERI ad longuaeuitatem conſequendam propoſitas leges, quas paucis et ſummatim denuo adducit Ill. Auctor? Fundamentum omne plurium horum praeceptorum, ex obſeruatis in longaeuis deſumtum eſt: ſed ii forte ipſi non valerent, ſi ab iis poſtularetur, genuinas indicandi prouectioris aetatis cauſas, cum conſuetudines non nullorum, et modus viuendi, quibusdam familiaris, omnibus pro norma eſſe non poſſit. Non tamen negligenda erit obſeruatio rerum ſic dictarum non naturalium, ſi

 etiam

etiam non tanta certitudine corroborantur, quanta de iis ſpondent multi. Sint immixta multa dubia: non tamen erunt omnia falſa atque erronea. Quia itaque hactenus nullum, omni exceptione maius, excogitatum eſt, longaeuitatem adſequendi, auxilium; inquirendum erit, annon exiſtant aliae occultae cauſae eſſentiales grandaeuitatis et longaeuitatis, in machina noſtra haerentes, quibus praeſentibus ſum-
p. 265. mum ſenium conſequi poſſit homo? Latent, ſecundum Ill. Auctorem, illae eſſentiales et verae cauſae grandaeuitatis et longaeuitatis *in perfecta firmaque conformatione omnium partium ſolidarum corporis, et in perfecta mixtura partium conſtitutiuarum ſanguinis, quae cauſae oui materni et ſeminis paterni optimam conſtitutionem, nullis cautelis fulciendam, ſimul comprehendunt.* Talem proportionem partium, ac iam indicauit Noſter, rarius reperiri inter homines, nemo negabit, et bene exinde ad exiguum numerum longaeuorum prouocat, cum pauci inueniantur, qui ea inſtructi
p. 266. naſcuntur. Quodſi itaque hac aequali ſyncraſia partium a natiuitate quis coagmentatus eſt, ſequitur, ut fiat longaeuus, neque opus habet, ut curet anxie, quae reliquis ad prorogandam vitam imponuntur valetudinis praecepta. Concedamus, ſententiam hanc non omni carere probabilitate; erronea tamen ideo dicenda erit, quod decipiat incautos nimium tribuentes firmae et adaequatae partium ſuarum conſtitutioni. Reſtringit ipſe Ill. Auctor adſertum ad quosdam tantum, dum ſuadet debilibus, ut ideo, quia non tali eximia corporis habitu a natura facti ſunt, ſubueniant debilitati et infirmitati corporis mo-
p. 269. deratione. Tangit obiter ſpinoſiſſimam quaeſtionem, quinam vere valens et ſanus dicendus ſit? Olim iam diſceptatum eſt de hac re multum inter eruditos medicos, prout exſtant ſcripta non nulla in ephemeridibus naturae curioſorum, quae allegauit.
p. 267. Is ſtatus hominum viuentium erit optimus et ſanus,

prout

prout vult Ill. Auctor, *qui non impedit nutritionem corporis, nec ullam functionum, tam vitalium, quam animalium: haec habenda eſt pro adaequata partibus ſolidis et uniuerſae corporis ſtructurae, et haec promittit, fruentibus ea, ſenectutem, imo longaeuitatem.* Illuſtrat theorema illud variis exemplis, dum diuerſos homines, in comparatione cum aliis morboſos viſos, pro ſua tamen idioſyncraſia bene valentes, non ſolum, ſed et ſeneſcentes, ſiſtit. Reſpicit primario ad habi- p. 270. tum corporum, et ſtatuit, *habitum corporis ſtrictum, perfecte valentem, eſſe habitum ſtrictum robuſtum in ſingulis fibris ſolidioribus; et habitum corporis laxum perfecte valentem, eſſe habitum laxum robuſtum in congerie ſolida et denſa fibrarum unitarum tenuium.* Corpora imperfectae ſanitatis tali ratione quoque depingit. *Habitus corporis ſtrictus imperfecte valens,* inquit, *eſt habitus ſtrictus tener ex fibris debilibus; et laxus imperfecte valens eſt habitus laxus ex fibris debilibus, laxe congeſtis.* Sanguinis mixtionem, pro diuerſitate habitus, admodum quoque eſſe diuerſam, inſimul monet. Non reiiciendam eſſe hanc diuiſionem corporum, quam veteres iam propoſuerunt, per ſe patet, cum neceſſe ſit ad illam ſemper reſpicere, tam in praeſcribendis regulis diaeteticis, unicuique habitui proficuis, quam in adplicandis etiam aliis auxiliis therapeuticis. Tranſit tandem ad auxilia longaeuitatem efficientia et regulas generales, ab omnibus hominibus obſeruandas, promulgat, cuilibet habitui ad ſenectutem acquirendam neceſſarias: nempe 1) *ut ex inſtinctu naturae, iam deſignato, vi-* p. 271. *tae regimen inſtituant et victum ſibi ſeligant experientia domeſtica probatum:* 2) *excretionum corporis iuſtam habeant curam:* 3) *animi ſerenitatem et hilaritatem, vel ad minimum eius aequilibrium ſeruent.* Illuſtrat haec p. 273. praecepta uberius, dum rectum uſum rerum ſic dictarum non naturalium, pro more ſuo erudite et

copioſe

copioſe tradit, et ſedulam et curatiorem obſeruationem omnibus, cuiuscunque ſint temperiei humorum et fibrarum, commendat. Nonne autem inter omnes hos morbos et pertractandi eosdem propoſitas regulas maraſmus ſenilis eiusque perueſtigatio locum ſibi iure vendicare potuiſſet?

XVII.

CHRIST. EVERH. DE LILLE, Med. Doct. Tractatus de Palpitatione Cordis, quem praecedit praeciſa cordis hiſtoria phyſiologica, cuique pro coronide addita ſunt monita quaedam generalia de arteriarum pulſus intermiſſione. Zwollae, apud Andr. Voyer, 1755. 8. pl. 19½.

Integri omnino ſanique corporis naturam prius cognoſcat, quemque oportet, quam in aegri ſuſtineat idem inquirere morbos. Atque hinc etiam Cl. Auctor, principis corporis noſtri partis, cordis, morbum contemplaturus, eius ſani praemittendam ſibi eſſe recte cenſuit tractationem, quo huic ipſi tamquam fundamento ſuo ſuperſtrui melius poſſit uberior palpitationis hiſtoria. Primum igitur ad phyſiologicam cordis hiſtoriam quod attinet, tribus illa abſoluitur capitibus, quorum primum quidem in cordis ipſius partiumque, quibus conſtat, fabricam inquirit, alterum vero motum eiusdem et uſum, quem et ſibi et uniuerſo corpori praeſtat, declarare curatius ſuſtinet, tertium denique de ſitu cordis eiusque cum aliis partibus connexione exponit. Sequitur iam ipſius palpitationis tractatio, ſequenti abſoluta ordine, ut nimirum data ſub initium eiusdem definitione, eum diſtinctio eius in varias ſpecies, tum differentia ab aliis cordis affectibus ſimilibus, tandemque generalis exhibita fuerit prognoſis. Quibus expoſitis,

expoſitis, breuis eaque generalis cauſarum morbi noſtri tradita eſt recenſio, atque in ſuas claſſes facta diuiſio; poſt haec autem accuratior ſingularum harum cauſarum diſquiſitio, modique, quo unaquaeque hunc morbum concitat, expoſitio, obſeruationibus multis tum aliorum, tum ſuis confirmata, ſpecialis tandem cuilibet cauſae ſubnectitur curandi methodus, generali illa ob variam morbi pro cauſarum differentia indolem hic neglecta. Sub finem tractationis, uti iam indicat libri inſcriptio, de intermittentis pulſus natura, cauſarumque huius cum illis palpitationis vel conuenientia vel diſcrimine non nulla addita á Noſtro fuerunt monita. Haec igitur generalis eſt totius de palpitatione cordis tractatus ſciagraphia; iam ſingula eius nobis perluſtranda forent capita, enumerandaque uberius, quae vel noua Noſter hac in re praeſtiterit, vel accuratiora, quam alii, docuerit. Enim vero plura, in hoc tractatu, quae traduntur, ſatis iam nota, ab aliorum adſertis quum ſeſe vix diſtinguant, nouaque plane non ſint, miſſa fuſiore contentorum eius expoſitione, pauca ſufficiant inde huc retuliſſe notatu digniora momenta.

Ne itaque omnem cordis hiſtoriam phyſiologicam neglexiſſe videamur, illud in primis iuuabit Noſtri adduxiſſe adſertum, quod adhuc cum WILLISIO circa neruos cordis eorumque originem et uſum affirmauit. Alios etenim cor neruos habet, inter arteriam aortam et pulmonalem decurrentes, paris vagi propagines; alios vero ab utroque magis latere intercoſtalis cordi porrigit. Illorum origo in cerebello eſt; atque hinc, quum e cerebello fluidum nerueum aduehant, motui cordis vitali in primis inſeruiunt: Hi e cerebro orti, ſenſui cordis dicati eſſe perhibentur. Eſt etiam in influxu fluidi neruorum, cerebelli fabrica elaborati, poſita ſyſtoles cordis cauſa efficiens; quin ipſa palpitationis cauſa ab illo impedito potiſſimum deriuata fuit. Id, quod ipſius palpitationis

p. 31.
p. 35.
p. 68.

tionis monſtrat definitio. Eſt ea nimirum *praeter naturam violenta et perquam moleſta muſculi cordis contractio, una cum magna reſiſtentia cruoris a corde pulſi, ab inordinato et impetuoſiori ſpirituum vitalium per neruos in fibras cordis influxu, et cruore iuſto maiori copia in eius ventriculos impulſo, ita, ut manu ſuper impoſita pectori ipſa ſe impelli valide et pectus extrorſum trudi*
p. 72. *ſentiat.* Atque inde etiam huius a *tremore* cordis inprimis adnotari meretur diſtinctio: tremor enim eſt vacillatio muſculi cordis inter tonum et laxationem, interque cauſas tendentes et laxantes, breui et inuoluntarie ſibi mutuo ſuccedentes; cauſa vero ponitur in influxuum neruoſorum, ſiue prae debilitate ſiue alterna aliqua irritatione, nunc praeſentia, nunc abſentia. Palpitatio contra nimiam ſiſtit violentamque cordis contractionem, atque cauſam etiam habet influxum ſpirituum impetuoſiorem. Praeter hanc differentiam aliae ipſius mali occurrunt diſtinctiones, in idiopathicum et ſympathicum, in haereditarium, connatum et acquiſitum, quas vero fuſius hic deſcri-
p. 99. bere non licet. Progredimur ad cauſarum conſiderationem, quarum aliae intra et circa cor ipſum haerent, aliae remotis in partibus reſident. Illis adnumerantur polypi, in cordis cauis vel vaſis eius maioribus nati, calculi, pili, vermes, excreſcentiae carnoſae vel oſſeae, iisdem in locis repertae omnes. Hae vero ſunt animi pathemata, nimiae meditationes, paſſio hyſterica et hypochondriaca, atonia ven-
p. 263. triculi, obſtructio viſcerum cet. Praeter has cauſas recenſitas aliae adhuc occurrunt in malo ſiue ipſius cordis vel pericardii, ſiue totius corporis habitu poſitae: nimirum cordis et pericardii inflammatio, vulnera, aneuryſmata cordis, hydrops pericardii vel liquidi eius defectus; thorax contractior, rigiditas vaſorum et viſcerum, plethora vera, ſiue ad vaſa, ſiue ſit ad vires, craſſities ſanguinis, cacochymiae omnes ſpecies.

Tandem

Tandem pulſum intermittentem conuenit conſideraſſe breuiſſimis. Eſt idem familiaris admodum palpitationi ipſi morbus. Quum vero et ſanus ille illaeſusque ab integra cordis dependeat in primis ſyſtole ſiue contractione; hac laeſa, fieri non poteſt, quin laedatur et ipſe. Hinc etiam fere easdem, ac palpitatio, habet cauſas, binas ſi exceperis, nimirum defectum ſpirituum cerebelli vitalium vel penuriam ſanguinis, quae quidem intermiſſionem pulſus arteriarum, numquam tamen palpitationem cordis efficere poterunt. p. 288.

XVIII.

Kurtzer Entwurf der Königlichen Naturalienkammer zu Dreßden. Deſcription du Cabinet royal de Dresde touchant l'hiſtoire naturelle. *Dresden und Leipzig in der Waltheriſchen Buchhandlung.* 1755. 4. mai. c. fig. pagg. 102.

i. e.

Breuis deſcriptio muſei regii Dresdenſis theſauros naturae recondentis.

Tantae ſunt tamque immenſae naturae diuitiae, ut qui aliquas earum colligere tentat, omni adhibita opera non tamen niſi imperfectum aliquod opus relinquat, ex quo illius laboris facile dignoſcitur difficultas, omnium et diuerſiſſimorum corporum, prudentem ſuſcipiendi collectionem et diſpoſitionem. Hoc ſoli, qui auctoritate et poteſtate reliquos antecellit, datum eſt principi, quippe cuius nutu conſiliisque adiuti earum rerum ſtudioſi omne ſuſcipiunt in exequendo attingendoque fine negotium. Quanta autem in noſtris terris hiſtoriae naturalis ſtudium cum laude fuerit perfectum, quantaque cum ſollici-

tudine

tudine ſapientiſſima AVGVSTORVM, quicquid ad eam exornandam perficiendamque pertinet, conquirendi clementia vigilauerit, loquitur deſcriptionis regii ſplendidiſſimique muſei prodromus. Exteri quidem illorum theſaurorum admiratores variis iam ſpeciminibus incitati ſunt ad eos penitius noſcendos, quum Cl. NATHANAEL SENDELIVS anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo hic Lipſiae *Hiſtoriam ſuccinorum, corpora aliena inuolentium et naturae opere pictorum et caelatorum ex regiis Auguſtorum cimeliis Dresdae conditis, aeri inſculptorum* conſcriptam ederet: quum porro paullo poſt, anno ſcilicet quadrageſimo octauo Cl. CHRISTIAN. GOTTLIEB LVDWIG *Terras muſei regii Dresdenſis* illuſtraret: nunc tamen ex mandato Illuſtriſſimi Comitis DE BRÜHL, primarii REGIS miniſtri, generalis quaedam data deſcriptio omnes, quibus vel cimelia videre contigit eſſe tam felicibus, vel qui hunc tantum perlegerint librum, obſtupeſcere faciet certiſſime. Debemus autem illum indefeſſae induſtriae Cl. EILENBVRGII, cui rerum naturalium cura commiſſa eſt, cuius etiam ſcientiae in digerendis iisdem manifeſta nunc extant documenta. Prius autem ad eam, quae a nobis, quantum rei dignitas permittit, dari poteſt delineationem, quam accedimus, praemonendum eſſe ducimus, duplici idiomate, vernacula nimirum et gallica lingua conſcriptum fuiſſe opus, ita tamen, ut vel ſimul, vel ſeparatim utriusque linguae haberi poſſint exempla.

Mox in fronte libri magnifici aedificii, in quo reconditi hi theſauri adſeruantur, exterior facies delineata occurrit, cuius etiam ichnographia duabus tabulis proponitur: qualia autem ex INDVLGENTISSIMI REGIS ſenſim ceperit incrementa, ad eam, qua nunc ſuperbit perfectionem ut deuenerit, in praefamine declaratur.

Sed, quod Cl. Editori diuerſorum, pro eo, quo ſe inuicem ſuſcipiunt, ordine, muſeorum hiſtoriam ſuppedi-

ſuppeditare libuit, nos eius ſequentes normam breuiter aliquam eorum dabimus adumbrationem. Praeteribimus autem, quae ad internae conformationis rationem pertinent, quum totidem quibus factum eſt a ſolertiſſimo Auctore verbis eſſent tradenda, de diſpoſitione rerum, quae ſingulis continentur, naturalium tantum relaturi.

Primum ex his muſeum *Mineralia* complectitur, p. 6.
cuius parietes mineris terriſque exornantur, lapidum autem diſpoſitione feneſtrae coruſcant. Omnia ita digeſta deprehenduntur, ut ob duplex, quo aditus patet, atrium, poſſit cuique, qui vel ab ignobilioribus foſſilibus ad nobiliora tranſeundum eſſe arbitratur, vel contra, fieri ſatis. In mediis itaque poſt ingreſſum conſpiciendis pilis foſſilia, quibus ars ſplendorem dedit, vel arte compoſita corpora et quae ad fuſionem metallorum pertinent, in oculos incurrunt, id quod adductis comprobatur exemplis. Ab his ad mineralia ipſa accedimus, inter quae minerae auri compotes primo conſpiciuntur loco. Singulorum quidem pleniores deſcriptiones ſuppeditabit ſpecialior eorum expoſitio, hic tamen pretioſior eius modi rerum naturalium collectio per ſpecimina demonſtratur. Auri natiui et puriſſimi magnae moles, nec non arenae, auro diuites, et deinde minerarum quibus aurum admixtum eſt, quantitas varia occurrit, ex quibus aurum albi coloris notatu eſt digniſſimum, p. 10.
nec non auri natiui exempla, in plantis inuenti. Vltimo etiam loco aurum, arte paratum et ab *adeptis* ſic dictis, praeparatum ponitur, cui adiungitur argentum, ex cupro factum et a Lib. Barone DE BOETTGER in praeſentia diui *Regis* transmutatum.

Longe uberior porro eſt collectio minerarum ar- p. 12.
genti. Ditiſſimam et feraciſſimam eius noſtram eſſe Saxoniam nulli mineralogo eſt incognitum. Nihil monemus de argenti natiui compactis craſſioribusque

cruſtis: occurrit enim et hic argentem filiforme, aurei coloris. Exterarum regionum minerae argenti, ſeorſim collocatae, non minoris momenti ſunt.

His ex ordine ſuccedunt reliquorum metallorum minerae, cupri nempe, ſtanni, plumbi, ferri, et ſic porro, quae variis ornamentis additis animum intuentis egregie alliciunt atque delectant, a quibus ad ſemimetalla progreſſus fit, ad cobaltum nempe, biſmuthum, antimonium, arſenicum et alia, quibus pyrites, ſulphura et marcaſitae adiunguntur, quae ſalia et terrae deinde excipiunt, tum crudae, tum ſigilla-

p. 16. tae. Ex his terra ſic dicta miraculoſa Saxoniae, tanquam marmoris rudimentum, in horum etiam diſpoſitione primordium facit. Hi lapides a mollibus incipiendo ad duriores progrediuntur. *Fluores metallici*, cryſtalli ſpathaceae et quarzoſae ſequuntur et poſt haec ſingularis indolis lapides, ut odoriferi, aetitae, tandemque lapides duriſſimi nec non pretioſi. In medio huius muſei aedificia, ex quorum compoſitione quicquid in ſubterraneis cryptis peragitur, intelligi poteſt, diſponuntur.

p. 21. Alterum, quod patet, muſeum petrefactorum pleniſſimum conſpicitur, nitidiſſime praeter ea exornatum. Stalactites reliquis praecedunt, adduntur tophi, corpora cruſta lapidea obducta, dendritae, et quorum forma corpora naturalia imitatur. Pone haec locantur vera in lapidem conuerſa corpora, et primo quidem loco vegetabilia. Ligna lapidefacta, cortices, rami et radices arborum, utpote maiori copia praeſentes, primario adducuntur loco, inter quos arboris ingentem molem conſideratione digniorem, olim iam a nobis adductam, obſeruamus*. Sequuntur reliqua ordine dicto et in primis corallia plantaeque ſic dictae marinae, ſubiunguntur porro his corpora, de quibus, num vere in lapidem fuerint conuerſa, an vero faciem eorum prae ſe ferant, an

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 522.

an potius animalibus magis, quam vegetabilibus ſint annumeranda, ambigitur. Optime cum his petrefacta regni animalis iunguntur, ex quibus animalia, in aquis degentia in varias claſſes ſubdiuiſa notamus. Sic enim piſces petrefacti, haud pauci ex noſtris terris et rariores adſunt, ad quorum diſpoſitionem adduntur hammites, gloſſopetrae tandemque cancri petrefacti, et conchyliorum largiſſima quantitas, ad methodum digeſtorum. Collectiones ſpecialiores, variorum eiusmodi corporum compoſitionem monſtrantes, rei illuſtrandae cauſa adpoſitae nouo ſunt ornamento, rariſſimis iterum ſpeciminibus ſuperbientes, quorum deſcriptiones hic a Cl. Editore proponuntur. Finem tandem imponunt partes animalium variae, tum etiam hominis, quorum vita non in aqua ſed in terra peragitur, quo praecipue perti- p. 28.
net ſceleton crocodili fere integrum, nec omiſſae ſunt per artem factae petrificationes, quibus olim, ut veras aeſtimarit, ſe inducere paſſus eſt Cl. BERINGERVS, publici iuris factas Virceburgi 1726. fol. ſub titulo *Lithographiae Virceburgenſis.*

Tertium deinde *muſeum vegetabilis regni* theſau- p. 29.
ros complectitur, inter quos herbarium plantarum exſiccatarum et pictarum, ſimul cum aliis, conformatione ſua, varietate et raritate notabilibus vegetabilibus, deprehenditur. Occurrit in primis collectio lignorum tum indigenorum, tum exoticorum, in tabulas ſectorum, quibus partim cortex adhaeret, ut interiorum partium configuratio melius appareat, partim ille ablatus eſt.

Ex hoc autem aditus patet in *muſeum nouum ana-* p. 35.
tomicum dictum, quod poſt annum huius ſeculi quadrageſimum ſextum, quum, quae ex anatome collectae fuerunt partes, regio iuſſu in academiam Vitebergenſem fuerant traducta, demum inſtitutum eſt, et ex variis, per ſolertem Cl. RVYSCHII artem praeparatis, partibus ſingularem indeptum eſt ſplen-

 dorem

dorem. Aliae ex his in ſpiritu aſſeruantur, aliae ſiccatae. Sceleta oſſium, per artem compoſita et monſtrorum varii generis exempla non deficiunt, ut ex permultis quarundam rerum faciamus mentionem: ſiquidem ex ſingulis aliqua iam deguſtare tantum cogimur. Elegans inſtrumentorum anatomicorum et chirurgicorum apparatus, nec non Bibliotheca optimorum ſcriptorum B. HEVCHERI, regia munificentia huc delata, non ſatis extollendae indulgentiae manifeſta exhibet documenta.

p. 40. Obſtupeſcit denuo animus, ad *muſeum animale*, quod duplex eſt, dum progredimur. Ex cuius longitudine, quae ſeptuaginta ſex ulnarum eſt, ubique animalibus eorundemque partibus repleta, de collectionis magnificentia iudicari poteſt. Quantum ſpatium permiſit, cuncta ad methodi ordinem digeſta fuerunt; collocantur autem primo loco partes quadrupedum, et deinde integra animalia quadrupeda, vel detracta et farcta cute, vel in ſpiritu vini conſeruata, inter quae alibi vix videnda. Iuncta his ſunt varia monſtra animalium. Relictis reliquis, adnotamus calculorum, in animalibus genitorum, vel in corpora eorum ingeſtorum, numeroſam ſeriem. Lapides bezoardici veri, aegagropilae, deglutiti varieque mutati lapilli et alia, copia varietateque delectantia ſimilia corpora, hic reponuntur, ſimul cum rebus, quarum aliqua creditur eſſe affinitas, ut cerebrum petrefactum ſic vocatum et arachnolithi, et arte facti alii. Alteram hic obuiorum animalium claſſem non immerito conſtituunt crocodili, lacertae, bufones et animalia congenera, nempe, qui annectitur numeroſiſſimus rariſſimorum ex parte ſerpentum apparatus, quorum deſcriptionem, nondum editam, compoſuit ſaepe nominatus b. HEVCHERVS, ex qua varia notatu digniſſima, referuntur.

p. 56. Cum his iunguntur porro inſecta, in duas claſſes diuiſa, nempe in ea, quae pedibus deſtituuntur, et

ea,

ea, quae illis inſtructa incedunt. Papiliones, ſcarabaei et cicadae Surinamenſes atque exoticae variae copioſae adſunt, nec non noſtrarum terrarum completa collectio, ut de reliquis inſectis, quorum perſaepe domicilia adſeruantur cum iisdem, nunc taceamus. Alatis inſectis a latere adponuntur aues, quarum itidem exoticae et indigenae plures ſunt, hisque nidorum auium, nec non ouorum diuerſorum collectio adnectitur, finemque iisdem ſceleta diuerſa imponunt.

Alterum animalium *muſeum* theatrum eſt *animalium aquatilium*, in quo praecipuam merentur attentionem piſces integri, nulla ex parte mutilati, v. c. Vnicornu ſ. Narhwal, canis carcharias, delphinus, cet. Inter minores piſces torpedo eſt, piſces alati, remora, et permulti alii, ad methodum omnes diſpoſiti, quibus monſtra et excreſcentiae variae, in piſcibus deprehenſae adduntur. Hos piſces etiam excipiunt ſtellae marinae, quibus Linckianum de illis opus augeri poteſt, in teſtis oſtrearum deprehenſae ſtellae itidem occurrunt. Proximo ab his loco conſtituuntur animalia exſanguia incruſtata, conchylia et aſtaci. Poſteriores praecedunt reliquis, ex illis quos Gammaros, germani *Hummer* vocant, ſpecies minor deſcribitur ſtudioſius, quae ad inſulam *Heilgeland* inuenitur. p. 62. p. 72.

Separato deinde loco digeſtum extat *muſeum conchyliorum*, ad methodum Cl. KLEINII diſpoſitum, variisque artificioſe, per corpora haec naturalia, colore et forma multum diſcrepantia, congeſtis ornamentis ſplendidius redditum. Opus non eſt, ut de ſingulis quaedam notemus, quum rariſſimorum etiam ſpecimina hic non deſint, poſt uniualuia vero ſequuntur biualuia. Fila ex pinnis marinis, byſſo ſimilia hic videntur et margaritarum cuiuscunque generis copia, ſiquidem earum haud parca quantitas ex Elyſtro in Variſcia penes nos colligitur. Irregularis p. 73.

laris formae conchylia tandem et hic ſimul expoſita habentur.

p. 78. Properamus ad ſequens *Coralliorum et plantarum marinarum muſeum*, quae in lapideſcentes, flexiles et molles diuiduntur. Coralliorum varii generis ut ingens numerus eſt, ita recte quidem Cl. Editor nigrum a veris diſtinguit et rubri albique mentionem iniicit, prioris aliquod exemplum adeſt, quod flores et ſemina oſtendit, quas partes recentiores phyſici polypos eſſe demonſtrarunt, ab Ill. naturae ſcrutatore Com. DE MARSIGLI transmiſſum. Ceratophyta vel diſtincta, vel aliis plantis marinis inhaerentia, copioſius pariter conſpiciuntur, quae terreſtres plantas quandoque exacte imitantur, inter molles ſpongiae eminent, quarum aliqua prope Lipſiam inuenta in aqua paluſtri non indigna eſt attentione, plantarum vero ſimilium marinarum haud exiguus eſt numerus, in quarum deſcriptione ſtudioſus naturae indagator ſuam adhuc utiliter collocare poſſet operam.

p. 88. Marinae maximam partem originis eſt ſuccinum, quod peculiari muſeo parando anſam praebuit, cuius diuitias iam Cl. SENDELIVS expoſuit, hic autem paucis, quanti aeſtimanda ſit pretioſa eorum collectio, adductis exemplis depingitur. Subiungitur ſimul collectio ambrae gryſeae.

Multitudo rerum congeſtarum, quae ſui ſimilem vix inuentura eſt, tandem aeque ac conueniens illis digerendis conſtituendum ſpatium, nouo *muſeo* inge-
p. 94. rere coegit Cl. Editorem *animalia quadrupeda*, hoc nonaginta quinque ulnas longum tribus ordinibus animalium exuuias farctas ſiſtit, atque iuxta poſita eorum ſceleta: ferae beſtiae primo, deinde animalia ſequuntur domeſtica. Ex rarioribus etiam talia obſeruantur archetypa, quae naturae ſcrutatores, quibus illa videre non licuit, de variis facile admiſſis, euitandis erroribus inſtruere poterunt. Tigris et

Leo-

Leopardus quatenus differant, breuis docet notarum diuerſarum expoſitio. Prout enim hic magnitudine diſcrepat, ita ex luteo fuſcum corpus transuerſis nigris ſtriis inſignitur, quae rotundas nigrasque in illo maculas ſiſtunt. Similium rariorum animalium omnis generis fere extant exempla. Inter arte facta et cum ſummo aeque ſtudio ac impenſis exſtructa opera non innominatum relinquimus templum Salomonis. Neminem autem eſſe remur, quin horum theſaurorum, quorum meram ichnographiam ſuppeditauimus, auide ſit deſcriptionem ulteriorem promiſſam expectaturus, verbis ut videtur pro dignitate non pingenda.

XIX.

Exercitium Academicum deiectionem corroborantem, et ſimul nexum purgationis aluinae cum ſudore cutisque cum ventriculo et inteſtinis exhibens, Praeſide IONA BOECKMAN, Med. Prof. Reg. et Ordin. Facult. Med. h. t. Decano. Reſpondent. *Petro Bettander.* Gryphiae, 4. 1755. 5 pl.

In hac diſſertatione academica demonſtrandum ſibi ſumit Cl. Auctor *purgando corroborari* ventriculum, inteſtina, et per haec totum quoque corpus. Sine p. 1. iugi enim purificatione miſeram eſſe corporis animalis vitam, euaneſcere omne robur, nullam eſſe ſanitatem. Quid? quod fieri omnino non poſſe, exiſtimat, quin ab interitu vindicetur fragilis haec machina, niſi vitae exitiali continuo liberetur ſpurcitie, quam ipſa illi ingenerat vitae actio. Haec praefatus triplici tractatione totum abſoluit laborem. *Prima* morborum p. 4. ex plenitudine ortum, eisque exhauriendo et depurgando medentem naturam, generatim conſiderans, pernicioſas, ſiue amuſſi huic renitentes curatio-

nes, tanquam praemiſſis repugnantes conſequentias
p. 5. paucis illuſtrat. Facile enim quemque deprehendere putat Cl Auctor, neminem fore morbis diu perſtiturum immunem, cui maior eſt nutritio, quam debita purgatio, ſeu, ut loqui ſolent, qui plus ingerit, quam egerit; ſtrenuoque corporis labore egeſtorum portionem ingeſtis adaequatam, firmiſſimamque obtineri valetudinem: hanc vero negligentes regulam conſtanti ſanitate parum uti, viriumque labore premi. Quare ſanabilem quemuis morbum, intra limites noſtri corporis natum largiter excernendo optime ſuperari aſſerit, ſimulque addit copioſas, easque tempeſtiue promotas purgationes omnis ſolidae curationis apicem quaſi, centrumue et verum
p. 8. efficere fundamentum. Hac occaſione grauiter inuehitur in hos, qui regulam hanc, ſummis, ut ait, medendi ſcientiae antiſtitibus, et prudenti cuiuis practico commendatiſſimam negligunt, quin aſpernantur.

p. 14. Pergit deinde ad *alteram* tractationem, qua corroborantem et morbis auerruncandis neceſſariam catharſin, ex principiis medicinae et obſeruationibus pathologico-therapeuticis, oſtendere contendit. Iuſtam igitur toni, ſeu roboris et purificationum corporis noſtri proportionem, firmiſſimum, quin unicum, eſſe fundamentum, ipſa docere medicinae elementa, affirmat. Ipſum autem optime compoſitum motum progreſſiuum, et tonicam humorum in aequalem ambitum diſtributionem, vitam et ſtatum corporis noſtri perficientem, iugi particularum attritu, peſſimas gignere ſordes, toti exitioſas machinae,
p. 18. hinc e corpore eliminandas, docet. Saluberrimam autem hanc corporis depurationem in primis per aluum, vias urinarias et poros extremae cutis, qua totum corpus humanum includitur, in plurimis recte valentium quotidie fieri, nemo ignorat. Colligit inde Cl. Auctor: catharſin ſeu purgationem aluinam,

nam, tum ad rite promouendas reliquas principes excretiones, quam ad vires corporis noſtri confirmandas, ſumme eſſe neceſſariam. Conſtare enim p. 21. dicit: motus ſe et excretorios ad vitam tuendam niſu tendere continuo, moliente imminutionem pernicioſae abundantiae. Hinc quamcunque largam catharſin a natura, vel fideli quodam prudentique miniſtro eius ſuſcitatam viribus minime inimicam, ſed potius firmandis hiſce quam maxime iudicat proficuam. Tantum enim abeſſet, ut eius modi exinanitione vires conſumerentur, ut noua indies caperent incrementa, et opinione citius ſtatus naturalis rediret. Quae omnia ceteris paribus accipienda eſſe quilibet perſpiciet.

In *tertia* denique tractatione amicam illius excre- p. 25. tionis cum ea, quae per cutem fieri debet, hinc cuticulari, *peripherica* Cl. Auctori dicta, perſpirationem ſudoremque putes, conſenſionem e corporis noſtri ſtructura et praxi *clinica*, quod aiunt, ſeu medicorum euincere conatur experientia. Quia enim conſtringendo et relaxando operari dicitur tonus corporis noſtri, ſudorem et deiectionem modum ſibi inuicem ac normam praefinire cenſet. Quibus praemiſſis, ſequentem inde cogit concluſionem: *Ergo,* p. 30. inquit, *quicunque ſpasmos tam interiorum, quam exteriorum partium, v. gr. hypochondriaco-hyſtericos, podagricos aliosue arthriticos remedia aluum ſoluentia exigere negat, ipſa artis medicae elementa, ut pote doctrinam de circulo et vitali tono, adeoque totum profunde ignorat corporis noſtri mechanismum.* Praecedentem cautelam et hic valere medicorum facile negabit nemo. Dari autem remedia aluum corroborando ducentia praxin medicam iam pridem comprobauiſſe arguit Cl. Auctor. Inter haec in primis nominat Rhabarbarum, huic addit pilulas laxantes balſamicas amaras, quibus multum laudis tribuit, easque reliquis anteponit remediis laxantibus. In vitiis enim motus to-

 nici

nici balſamicorum laxantium uſum toti peripheriae et generi neruoſo ſalutarem eſſe, ex b. HOFFMANNO probat, quippe perſuaſiſſimum ſibi habet, virtute earum balſamica impuros humores noſtri corporis
p. 33. ad peripheriam duci, et varias hinc haerentes noxas, exanthemata vocant, aluum et diapnoen ſimul mouendo, feliciter expelli. Quod reliquum eſt, arctiſſimum peripheriae cum primis viis connubium, amiciſſimamque conſpirationem, non ſolum praxin clinicam, ſed et anatomicam ad oculum demonſtrare affirmat: in cuius fidem VIEVSSENIVM, WINSLOWIVM et HALLERVM adducit, qui neruos, integumentis corporis noſtri partibusque periphericis ſenſum conciliantes motumque, cum pari octauo, ſeu *vago*, et cum neruo, qui dicitur intercoſtalis, communicare docuerunt.

XX.

FRIDERICI AVGVSTI CARTHEVSER, Med. D. Acad. Elect. Mogunt. Scient. util. Socii Ordin. Rudimenta Oryctographiae Viadrino-Francofurtanae. Francofurti ad Viadrum, apud I. C. Kleyb. 1755. 8. pl. 6.

Egregie omnino in mineralium ſcientia verſatum eſſe Cl. Auctorem, et elementa mineralogiae, quae ipſe ſuperiori anno edidit, quaeque et nos indicauimus *, et iam a nobis recenſenda eius rudimenta oryctographiae Viadrino - francofurtanae confirmant uberrime. Generalem enim eamque ſyſtematicam mineralium corporum diſpoſitionem ante quum exhibuerit, eorum idem nunc tradit enumerationem, quae raro vel frequentius in agro patrio intra duorum vel ſex ab urbe milliarium ſpatium occurrunt. Ordinem eundem nominaque eadem ſpecierum, quae in

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 545.

in elementis mineralogiae dedit, retinuit Noſter. Rariorum non nullorum notitiam ipſum ſibi comparaſſe fatetur ex ampliſſimo Cl. CAROLI HENRICI MÜLLERI, Senatoris in patria urbe, gazophylacio. Pauca vero de agri Francofurtani ſitu et conditioni- p. 1.
bus ceteris praefatus, ad ipſam progreditur foſſilium hic occurrentium recenſionem. Ex qua pauca ſufficiant adduxiſſe. Inter terras notanda nobis viſa eſt p. 7.
argillae ſpecies, quae coloribus ex albo in rubellum vel luteum vel griſeum variat, politurae ope ſplendet, uſibusque tinctoriis et pictoriis apta, circa pagum Lichtenberg ante annum circiter effoſſa. Lapidum p. 13.
claſſis, praeter ſpati eam ſpeciem, quam glaciem mariae vocant, copioſe hic occurrentem, offert etiam micam aliam lamellis paruis, opacis, rigidis, diſperſis, nunc aureo, nunc cupreo, nunc argenteo imbutam colore: in illa aurei vel cuprei coloris ferrum latet, per experimenta chemica extrahendum; in hac argentea non aeque. Alia etiam mica argentea, ſplendens, inſtar vitri ruſſici flexilis, variis adhaeret lapidibus. In vulgari ſilice interdum reperitur maſſa quaedam, p. 17.
ex tuberculis hemiſphaericis, teneris, ſubdiaphanis, nebuloſo griſeis compoſita, unum cum ipſo ſilice efficiens corpus. Vulgaris quidem lapis calcareus vix occurrit, ſimilis tamen effoditur materia alba, friabilis, iisdem uſibus, ac calx viua, apta reperta: copioſe vero calcarei rudiuſculi, nitorem adſumentis, vagi fragmenta offert ager Francofurtanus, petrefactis variis frequentius ſcatentia. Referri huc etiam poſſe viſus eſt lapis quidam oblongus, hinc laeuis, planus, niger, illinc conuexus, aſper, griſeus, cultro ſi radatur, ſtercoris ſuilli fere inſtar foetens, ſaxique ſuilli nomine imbutus. Calcareos denique ex aqua generatos ſiue tophos ſaepe in ripam eiicit viadrus, vel poſt inundationem in agris relinquit. Praeter p. 25.
nitrum embryonatum, terrae hinc inde immixtum et aluminis mineram, fiſſili inhaerentem, prope oppidum

dum Koenigswalde et Freyenwalde effodiendam, nul-
p. 26. la ſalina corpora hic inueniuntur. Neque ulla hic ſunt inflammabilium veſtigia; ſuccini vero duo fruſta bis reperta ſunt; alterum flauum, pellucidum, aeque durum, ac Pruſſicum, prope pagum Schaumburg ex viadro extractum fuit; alterum in agro Lichtenbergenſi inter arandum a ruricola effoſſum eſt: Quo modo vero huc illa deuenerint, dubium relinquitur.

p. 30. Praeter binas ſpecies ochrae martialis nulla quoque metalla habet ager Cl. Auctoris patrius. Magnus vero mineralium heteromorphorum occurrit numerus, petrefacta omnis generis in ſe comprehendentium, quae tamen diffuſum nimis foret huc referre.

p. 68. Appendicis loco fontis cuiusdam martialis conſideratio additur, in horto quodam ſuburbii Lebuſienſis, haud longe a propugnaculo urbis Francofurti qui ſcatet, a nemine hactenus deſcriptus. Quem per experimenta patuit in ſe continere principium aliquod vitriolico-martiale, tenerius, et partes terreo-alcalinas, calcareas, indeque viribus in primis praeditum roborantibus. Externus eius datur uſus et internus; frequentior in poſterum virtutem magis forte declarabit.

XXI.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores, qui *Romae* in *Archigymnaſio* dicto medicas iam habent praelectiones*:

M. SIGISMVNDVS TONCIVS, Senenſis, in Inſtitutt. Medic. theoreticae.

M. FRAN-

* Deſumſimus hic loci citatos medicos Romanos ex catalogo praelectionum, quae publica lege atque auctoritate haberi debuerunt per annum, quem iamiam tranſegimus, huius ſeculi quinquageſimum quintum: hinc omnino dubii ſumus, num eodem etiam ordine,

M. FRANCISCVS AVRELIVS GINANNESCHI, Senenſis, in Elementa Botan. et Chirurg.

R. P. M. FRANCISCVS IACQUIER, Gallus, Ordin. Minimor. in Phyſicam experimentalem.

M. PETRVS ANGELVS ROTVNDVS, Romanus, in Medic. theoret. et practicam.

M. NATALIS SALICETVS, e Nebio in Corſica, in Inſtitutt. Anatom. et Chirurg.

M. IOHANNES LAVRENTIVS GVARNIERI, Senenſis, in Medic. pract.

M. COSMVS GRILLI, Meſſanenſis, in Med. pract.

M. ALOYSIVS PHILIPPVS GIRALDI, Ferrarienſis, in Elementa Chemiae.

Diebus vacantibus et feſtiuis:

M. NATALIS SALICETVS, e Nebio in Corſica, Anat. et Chirurg. Profeſſor.

R. P. IOANNES BAPTISTA MARATTI, Romanus, Abbas Congreg. Vallis Umbroſae, Profeſſ. Botan.

M. IOSEPH. CANDIDI, Romanus.

M. ALEXANDER PASCOLVS, Peruſinus, in Medic. pract.

M. NICOLAVS MICHELANGELVS, de Rocca Contrada Senogallienſis Dioeceſis, in Medic. pract.

Membra *Inſtituti Litterarii* dicti, quod *Bononiae* floret, quae per annum 1755 lectiones phyſicas medicasque habuerunt *:

V. Cl. DOMINICVS GVSMANNVS GALEATIVS, Phyſicus.

V. Cl.

ne, quo ſcholas habere iuſſi ſunt, in ipſo ſeſe excipiant collegio, anque ſimul aliis fungantur muneribus ?

* Quae paulo antea diximus de medicis Romanis, haec

V.Cl. IACOBVS BARTHOLOMAEVS BECCARIVS, Chymicus.
IOSEPH. MONTI, Naturae Hiſtoricus.
PETRVS PAVLVS MOLINELLI, Chirurgiae Profeſſor.

Madriti Potentiſſ. Hiſpaniarum Regem Collegio medicorum ibidem florenti hortum donaſſe botanicum, in eiusque culturam quoque ſufficientem redituum copiam, duosque rei herbariae conſtituendos profeſſores decreuiſſe, earumque omnium rerum gerendarum curam primo ipſius archiatro, Ill. IOSEPHO ZVGNOL, dediſſe legimus.

Ferro praecidendam eſſe, quae ſeruari nequit, vitiatam corporis partem, ſincera ne trahatur, ad unum omnes huc uſque affirmarunt chirurgiae cultores. Iſta hinc inde quam maxime ardua enata fuit de amputatione doctrina, quae noſtris quoque temporibus, uti reliquae artis partes, Gallorum in primis chirurgorum ſtudio atque ſagacitate inſignia cepit incrementa. Quo factum quoque fuit, ut dexterrimi olim viri, b. LE DRAN, experimentum, quo totum humerum, inciſo articuli ligamento, ex hoc ipſo eximi poſſe docuit, omnium moueret attentionem atque admirationem. Grauior tamen difficiliorque multo, ſi umquam forte praeſtari poſſit, non nullorum ex recentiſſimis videtur eſſe opinio, qua fieri poſſe ſibi perſuadere velint, ut et totum femur ex ipſo tolli queat acetabulo *. Ea interim a Regia Chirur-

omnia quoque monenda ſunt de hiſce Bononienſibus, quippe quos itidem ſecundum lectionum catalogum citamus.

* Ad manus nobis iam eſt *Quaeſtio medico-chirurgica*, Praeſide M. PETRO LALOVETTE, Doctore Medico, Pariſiis anno 1748 defenſa: *An femur in cauitate Cotyloideâ aliquandò amputandum?* qua in diſſertatione

Chirurgorum, quae *Pariſiis* fundata eſt, Academia digna iudicata fuit, quae a viris doctis earumque rerum intelligentibus atque peritis ulterius inueſtigaretur. Quam ob rem praemio, a b. LA PEYRONIE legato, ad annum proxime futurum, 1757, diſtribuendo, hancce propoſuit quaeſtionem illud collegium: Determinare eos caſus, ubi exciſio femoris ex ipſo articulo unicum vitae aegrorum conſeruandae videri poſſit auxilium; numque haec ipſa vere ſuſcipi operatio, quaque demum methodo optime praeſtari queat? Conditiones ab iis, qui commentarios ſuper propoſitis ab Academia quaeſtionibus conſcriptos ad eam mittere velint, obſeruandae, ſunt adhuc eaedem, ac olim a nobis expoſitae. Cl. MORAND, perpetuus Academiae illius Secretarius, ad exitum uſque huius, quem agimus, anni 1756 oblatas ipſi accipiet indicati iam argumenti diſſertationes.

Inſuper iam *dicta Academia*, confirmandae arti ſuae amplificandaeque ſemper intenta, ex iisdem, quos beati LA PEYRONIE legatum ipſi ſuppeditat, reditibus, nummum aureum ducenta pondo gallica aequantem, quouis anno illi offert ex chirurgis, ii vel extranei ſint, vel in ipſo regno degant, (*Regnicoles*,) modo non ſint Academiae membra, qui tractatu quodam cuiuscunque demum argumenti, quod cuiuis Auctori enucleare libuerit, illum prae reliquis mereri viſus ipſi fuerit.

Vt *eadem* porro quoque laudabilem quandam pro ſtabiliendis magis magisque utiliſſimae artis fundamentis

tatione docte ſatis exarata, Cl. Auctor aſſerit, in carie capitis oſſis femoris vel cauitatis cotyloideae, hancce et debere atque poſſe ſuſcipi operationem, modumque ideo docet, quo ea perfici queat, ſolutis ſub finem obiectionibus, quae contra iſtam moueri poſſint.

mentis eiusque ulterius extendendis limitibus excitet aemulationem inter chirurgos, quouis anno illorum quinque, ii ſiue ſint academici, liberorum, qui dicuntur, ordini adſcripti, ſiue tantum in regno viuant, qui vel commentarium de aliqua re chirurgica conſcriptum, vel tres modo obſeruationes utiles notatuque dignas ipſi exhibebunt, ſingulo ex iis quinque dabit aureum nummum centum *francorum*, (*francs*,) pretii.

Burdigalenſem ſcientiarum Academiam praemio iam proxime elapſo anno, 1755, effectuum, quos atmoſphaera habeat in vegetabilium prouentum, explicationem deſignaſſe, iam olim * enarrauimus. Quum experimenta in primis, quae ideo caperent viri docti, expectaſſet Academia, a nemine vero ipſius voluntati ſatis factum ſit: eandem theſin anno futuro 1757 iterum praefigendam voluit, optans, ut vel iam cognitis, vel nouis potius eum in finem inſtitutis, eruditi declarent experimentis: Quo modo ſuccorum, quos vegetabilia continent, motus atque tranſpiratio ſe habeat ratione diuerſarum aeris qualitatum diuerſique ſolis aeque ac lunae curſus vel poſitionis, (*différens aſpects du Soleil et de la Lune.*)

Eidem anno 1757 ab *eadem* aſſignatae ** quaeſtionis ſolutio: quaenam deputandae vineae optima ſit ratio, tum quoad diuerſa vitis genera, tum diuerſum, quo ea colitur, ſolum? expectabitur, uti et alterius theſeos huicce, quem agimus, anno 1756 praefixae de optimo vina reddendi clara modo.

Nouum denique *Ill. illa Academia* propoſuit problema, cuius diſcuſſionem anno 1758 dicauit: Quaenam optima nimirum ſint adminicula in locis ſiccis efficien-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. I. p. 168.
** loc. cit.

efficiendi prata, et quaenam in illis facillime creſcere queant plantae, quibus armenta cum pecoribus paſci poſſint? (*à y nourrir le gros et le menu betail.*) Commentarii ideo Academiae exhibendi vel ad eius Secretarium, Ill. Praeſidem BARBOT, vel ad librariam viduae b. BRVN officinam transmittendi ſunt. Reliqua, ut ſatis nota, cur repetamus, non eſſe arbitramur.

Quae nuper etiam diximus * de auditus explicanda theoria, ab Academia ſcientiarum, quae *Toloſae* floret, pro triplicato praemio, anno 1757 decernendo, propoſita, ea nunc quoque ab eadem repetita legimus, praeſertim quod roget viros doctos, ut cuiusuis partis, quae ad hoc conformandum organon concurrit, actionem ad ſoni efficiendi perceptionem neceſſariam accurate atque ſolide determinare annitantur.

In ultimo ex illis ſolemnibus, quos anno quouis celebrat Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis*, conuentu, nuper die viceſimo ſecundo menſis nouembris habito, diſſertationes, quas de variis ab ipſa olim propoſitis quaeſtionibus non nulli viri docti ad eam miſerant, publico ſubiecit examini, ex quibus earum, quae phyſici et oeconomici ſunt argumenti, aliquam facere iam lubet mentionem. Quum ad priorem illam de inueſtiganda illius terrae utilitate, quae cinerei coloris eſt et prope Hertzbergam in Ducatu Lüneburgenſi effoditur **, ſoluendam quaeſtionem commentarii ad Societatem perueniſſent nulli; ſuper altera vero, de corio perficiendo, ſaepe a nobis commemorata *** conſcripti eo plures ad illam miſſi

* ibid. p. 167.
** l. c. Vol. III. P. IV. p. 733.
*** l. c. Vol. III. P. I. p. 165, P. IV. p. 732 et Vol. IV. P. I. p. 166.

miſſi fuiſſent: duos ideo ex his ea voluit exornare praemio, quorum unus Virum Cl. ISRAELEM WALTHER, verbi diuini miniſtrum Weſthoffenſem prope Wormatiam in Palatinatu inferiore habuit auctorem; alter vero Ill. IOANNEM CHRISTOPHORVM HENNICKE, virum doctum, candidum nobisque amicum, Med. D. Principis Comitumque Hohenloicorum Conſiliarium et Archiatrum, Oehringiae in Franconia degentem. Illum priorem, quercuum corticum loco, ad perficiendum corium, geniſtam in primis, ubiuis fere locorum obuiam, hunc autem poſteriorem inter alia, tormentillae potiſſimum atque ſymphyti radices, commendaſſe legimus.

Quod commemorare nuper caſu quodam praetermiſimus, illud adhucdum cur adducamus, habere nobis videmur, ab eadem nimirum Regia Scientiarum Societate *Gottingenſi* Cll. Viros, IOANNEM HENRICVM GOTTLOB DE IVSTI, Potentiſſ. Magnae Britanniae Regi a conſiliis rerum metallicarum, in extraordinariorum, qui praeſentes ſunt, IOAN. GESNERVM vero, celeberrimum illum phyſicum et Tiguri in Heluetia Canonicum, in exterorum ſociorum numerum, ſuperiore iam anno receptos fuiſſe.

Vir Cl. IO. ALBERT. SCHLOSSER, Med. D. *Amſtelodami* nunc medicinam faciens, quem olim laudandi habuimus occaſionem * in itinere, quod literarum cauſa abhinc aliquo tempore per quasdam Galliae Angliaeque confecerat prouincias, *Londini* commoratus, obſeruationes ſuas, per meridionalem Angliae regionem collectas cum Regia Scientiarum Societate ibidem conſtituta communicauit, ab eadem ideo, in gratiarum ſignificationem, ſociorum ipſius numero adſcriptus.

Quam

* l. c. Vol. III. P. I. p. 60.

Quam ſingulare corpus ſit metallicum omnique et chemicorum et medicorum inueſtigatione digniſſimum, antimonium, omnes norunt. Quam ob rem factum quoque fuiſſe conſtat, ut a multis chemicis illud huc uſque variis tentata fuerit et explorata modis. De eo tamen non nulla adhuc ſibi ſuoque ſtudio relicta fuiſſe exiſtimauit Cl. IOANNES HVXHAM, Med. D. Plymuthi in Anglia medicinam cum laude faciens, ſuis potiſſimum *obſeruationibus de aere et morbis epidemicis* * inter viros doctos clarus; ideoque in naturam eius indefeſſo inquiſiuit labore, et cuncta, quae in praxi triginta annorum obſeruauit, in unum collegit volumen, idque ſub forma commentarii Regiae Scientiarum Societati *Londinenſi*, cui iam antea adſcriptus fuerat ſocius, obtulit **; qui ab ea quoque tanto cum applauſu exceptus fuit, ut in conuentu, die triceſimo menſis nouembris anni praeteriti habito, nummum memorialem, ut palmam, tribueret illius Auctori, quem ex teſtamento equitis cuiusdam, cui COPLEY nomen fuit, quouis anno dare ſolet illi, qui vel inuentis, vel obſeruationibus nouis, alios antecellere viſus fuit Societati.

Qui *Hamburgi* locum tenet phyſici dicti illius ciuitatis ordinarii, Cl. FRIDERICVS LVDOVICVS CHRISTIANVS CROPP, Med. D. ab Imperiali Naturae Curioſorum Academia in ſociorum numerum receptus nuperrime ideoque CRITONIS tertii cognomine cohoneſtatus fuit.

M 2 Quan-

* l. c. Vol. II. P. III. p. 517.

** Inſertus ille legitur ultimo, quod ſuperiore anno prodiit, Actorum Societatis Scient. Londinenſis volumini ad annum 1754 pertinenti, cuius rationem lectoribus noſtris proxime exhibituri ſumus. Separatim is etiam poſt recuſus fuit in forma, quam dicunt octauam, additis in eius augmentum aliquot annotationibus.

Quantam ad ſtabiliendas confirmandasque amicitias vim habeat ſtudiorum ſimilitudo, comprobauit ſuo huc uſque exemplo Cl. IOANNES FRANCISCVS SEGVIERIVS, Inſtituti Bononienſis Socius et de Regia Scientiarum Academia Pariſienſi, Vir, uti doctiſſimus, ſic et integerrimus nobisque amiciſſimus, ſua in primis *bibliotheca botanica*, *plantisque Veronenſibus* inter viros doctos clarus factus, quippe qui ſingulari quodam amore ductus erga b. SCIPIONEM MAFFEIVM, Virum, dum viueret, inter alia literarum genera, hiſtoriae quoque naturalis et amantiſſimum et ſtudioſiſſimum, *Nemauſo*, quem ipſi locum fortuna dederat patriam, ante plures nunc annos ſeſe contulerat *Veronam*, MAFFEII hoſpitio omnibusque amicitiae documentis exceptus, ut et huius frueretur familiaritate eoque comite hiſtoriae naturali indagandae daret operam. Iucundiſſimo autem hoc amicitiae vinculo per MAFFEII obitum * disrupto, nec amplius *Verona* habere viſa fuit SEGVIERIO, quo delectaretur. *Nemauſum* itaque reuertendi non ſolum cepit conſilium, ſed iter quoque eo iam ſuſcepit, exoptatiſſimum ibidem expectans literarium otium; quo ut diu nec interrupta umquam ratione frui queat Optimus ille Vir, prae ipſius et uniuerſae rei literariae amore, ex animo precamur.

Lipſiam ad nos qui redierat ex Ruſſia minore dicta ante biennium et quod excurrit, Vir Cl. IOANNES CRISTIANVS HEBENSTREIT, Med. D. Academiae Scientiarum Petropolitanae Socius et Hiſtoriae naturalis Profeſſor Honorarius, iterum Petropolin profectus eſt Lipſia. Is anno 1749 primum in locum GMELINI, nunc beate defuncti, illuc vocabatur; anno 1751 autem ex commendatione b. HERRMANN KAAV BOERHAAVE, Ill. quondam

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. II. p. 358.

dam Potent. Ruſſorum Imperatricis Archiatri, ordinarius conſtituebatur medicus Praepotentis Ruſſiae minoris *Hetmanni*, qui appellatur illius prouinciae praefectus, et Academiae Scient. Petropolitanae Praeſidis, Comitis DE RASOVMOWSKY, huncque ſequebatur in Ucraniam, poſtquam ei antea locus inter Academicos Petropolitanos Honorarios cum annuo ſalario decretus atque datus fuerat. Poſt obitum b. STEPHANI KRASCHENINNICOWII, Profeſſoris Petropolitani, quem olim habuerat Adiunctum, poſt Collegam, ſuperiore anno, ut denuo inter Academiae Socios priſtinum occuparet locum, et, quo olim functus fuerat, munus iterum ſuſciperet, honorifica nuncupatione ab Academica illa *Cancellaria* dicta inuitatus et ſingularibus, quae ei inſimul oblatae ſunt, conditionibus excitatus, hanc prouinciam denuo accepit. Scriptis quidem huc uſque editis nondum inclaruit; id, quod tamen ideo factum eſſe ſcimus, quod partim omne fere tempus rerum naturalium diſquiſitioni impendit hincque ſibi copioſam rerum naturalium cognitionem comparauit; partim medicinam ex voto aegrotorum fecit inter ciues noſtros. Interim Illuſtriſſimus Academiae illius Scientiarum Praeſes et Cancellariae Academicae Conſiliarii, qui eruditionem eius atque merita optime norunt, ideo ad ſuos eum reuocarunt, quo ſtudium hiſtoriae naturalis in ampliſſimo imperio Ruſſiaco ulterius colat atque perficiat. Relinquit is omnino apud nos, qui integerrima eius fruendi amicitia gauiſi ſumus opportunitate, et deſiderium ſui, et negotiorum cum fide atque dexteritate peractorum laudem.

Brunſuiga nunciatum legimus, quod Vir Illuſtris, HENRICVS IOANNES DE MEIBOM, Med. D. Sereniſſ. Brunſuicenſis Ducis Conſiliarius Aulicus et Archiater, Collegii Medici Decanus et Collegii

Anatomico-Chirurgici Directør et Capituli a St. BLASIO dicti Canonicus, acceptam a maioribus dignitatem equeſtrem publice in poſterum ſe profiteri eaque uti velle declarauerit. Abauus enim ipſius, HENRICVS DE MEIBOM, hiſtoriarum peritiſſimus, a ſuo Domino, HENRICO IVLIO, Brunſuicenſi Duce Epiſcopoque Halberſtadienſi anno 1590 negotiorum gerendorum cauſa, ad Imperatorem RVDOLPHVM ſecundum, Pragam miſſus, ab eo propter inſignia ſua merita, in equitum ordinem relatus fuerat; quam honorifice partam gloriam proauus, auus paterque Noſtri aeque, ac hic ipſe, ſuis quoque meritis tuiti fuere.

De operoſo illo Viro multaque numquam non moliente, Cl. GAVTIERIO, nouam tabularum ſuarum anatomicarum ipſum ſuſcepturum eſſe editionem, ante aliquod tempus ad lectores noſtros iam retulimus *; quam quoque proxime expectari poſſe nunc accipimus, ita tamen diſpoſitam, ut, quae primum prodibit, illarum edendarum pars ſupplementi loco inſeruiat prioris illius, quae in anatomicorum iam verſatur manibus, editionis augmento atque perfectioni. Viginti illa conſtabit tabulis grandibus, quarum decem repraeſentabunt extremitates corporis inferiores, reliquae vero ſplanchnologiam, angiologiam et neurologiam comprehendent: quam ob rem omnes, qui prius illud opus iam poſſident, hoc de ſuo inſtituto certiores inſimulque rogatos cupit, ne hancce ipſis oblatam occaſionem, qua abſolutum ſibi comparare queant opus anatomicum, velint negligere, ſed ut nomina ſua, quam primum facere poſſint, vel Auctori ipſi, vel bibliopolae Amſtelodamenſi, MARCO MICHAELI REY, dare ideoque octoginta quatuor pondo gallica in anteceſſum ſoluere haud recuſent. Soli enim huic editionis

nouae

* l. c. Vol. IV. P. I. p. 169.

nouae particulae, omiſſa ſubſecutura, ſubſcribere, uti vocant, licet iis, qui prioris iam ſibi compararunt exempla.

Altera, quae iam dictam excipiet huius collectionis, diſtributio ſex et viginti continebit tabulas, omnes illas icones, quas prior exhibebat editio, comprehenſuras. Eos omnes, qui, praemiſſa conſtituti pretii ſolutione, editionem operis adiuuant, in duas claſſes diuidit Cl. Auctor, unam eorum, qui omnem pro toto opere pecuniam ſoluent praeſentem ante, quam prior eius pars prodierit; quippe qui centum ſexaginta octo pondo gallica dabunt; alteram vero eorum, qui, diſtributa iam hacce particula priore, accedent, qui ducenta duo numerabunt pondo; ultra haec vero quinquaginta adhuc poſtulabuntur ab illis, qui, neglecto prorſus illo tempore, opus illud uniuerſum cupient.

Monachii nuperrime, die ianuarii quarto e viuis exceſſiſſe legimus IOANNEM IOSEPHVM *Nobilem* DE BERGER, Sereniſſ. Bauariae Principis Electoris Conſiliarium et Archiatrum, quatuor et quadraginta annorum aetatem adeptum.

XXII.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1753 prodierunt.

Hiſtoire des plantes de l'Europe et des plus uſitées qui viennent d'Aſie, d'Afrique et d'Amerique, où l'on voit leurs figures, leurs noms, en quel tems elles fleuriſſent et le lieu où elles croiſſent, avec un abregé de leurs qualités et de leurs vertus ſpecifiques, diviſée en deux Tomes et rangée ſuivant l'ordre du Pinax de GASPAR BAVHIN. à Lyon.

La Chirurgia completa ſecondo il ſyſtema de Moderni; Tomo I. continente la deſcrizione breve, ed eſſatta del corpo umano, la ſpiegazione della ſua meccanica; ed un idea generale de ſuoi deſordini; Tomo II. continente la ſerie delle malattie del corpo umano, i mezzi ſomminiſtrati dalla Chirurgia per ſanarle, i medicamenti, etc. una raccolta delle droghe, etc. traduzione prima dal Franceſe. In Venezia, 12.

Apologia Anatomica di un Profeſſore di Anatomia, chè defenſe I. E. D. C. PETRIOLI contra la difeſe del S. N. GIRALDI ſoſtenuto del S. BASSANI della dottrina di E. BOERHAAVE nei luoghi confutati da eſſo PETRIOLI non inteſi dal detto Autore e ſuoi defenſori. Roma, 4.

ALEXANDR. AINSLIE, Diſſ. de vomitu idiopathico. Edimburgi, 4.

Tirocinium botanicum Edinburgenſe conſcriptum a CAROLO ALSTON. Edimburgi, 8.

IO. ARBVTHNOT, ſpecimen effectuum aeris in humano corpore, quod primum gallice interpretatus eſt Cl. BOYERVS; latine reddidit, additionibus illuſtrauit P. F. F. FELICE. Neapoli, 4. mai.

ION.

ION. BÖCKMAN, Diſſ. de ſudore corroborante. Reſp. *Io. Georg. Coliander.* Gryphiswaldae, 4.

Memoires hiſtoriques ſur la Louiſiane contenant ce qui y eſt arrivé de remarquable depuis 1687, jusqu' à preſent avec l'etabliſſement de la Colonie Françoiſe: le climat, la nature et les productions du païs, la religion des Sauvages, leurs moeurs et leurs coutumes compoſés ſur les memoires de Mr. DVMONT. 2 Voll. à Paris, 12.

Obſervations ſur l' hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture, avec des planches imprimées en couleur; par Mr. GAVTIER. Année 1753; ſeptieme, huitieme et neuvieme partie. à Paris, 4. mai. c. f.

NICOL. GIRALDI, Rifleſſioni anatomiche ſopra le cenſure ultimamente date alla luce contro il dotto Medico E. BOERHAAVE del Sign. GAETANO PETRIOLI. Roma, 8. mai.

IACOB GRAINGER, Diſſ. de modo excitandi ptyaliſmum et morbis inde pendentibus. Edimburgi, 8. mai.

ROBERT. INNES, Diſſ. de ileo. Edimburgi, 4.

GVILIEL. KRAMER, Diſſ. continens Theoremata phyſico - medica de lumbricis corporis humani. Viennae Auſtriae, 4.

PEHR KALM, Diſſ. hiſtoriſk och oeconomiſk beſkrifning öfwer Sagu-Sokn i Abo laehn. Reſp. *Chriſtian. Cavander.* Abo.

Eiusd. Diſſ. hiſtoriſk och oeconomiſk beſkrifning öfwer Siöſtaden Nyſtad. Reſp. *Ephraim Höckert.* ibid.

Eiusd. Diſſ. det ſom bör i ackt tagas vid Belägenheten af en landgord. ibid.

Guide des accoucheurs de Mr. MENARD. Nouvelle edition. à Paris.

DONALD MONROO, Diſſ. inaug. de hydrope. Edimburgi, 8.

Lettre de Mr. MORAND à Mr. LE ROY ſur l'hiſtoire de la femme SVPIOT. à Paris, 8.

GILBERT. STEWART, Diſſ. de morbis ab aetatis mutationibus oriundis. Edimburgi.

PETRI TABARIANI Obſeruationes anatomicae, annotationibus variis, non nullis obſeruatis et nouis iconibus ornatae. Editio ſecunda auctior et completior. Luccae, 4. c. f.

IO. D'VRBAN, Diſſ. de haemorrhagia uterina. Edimburgi.

EDWARD WRIGTH, Diſſ. de ferri hiſtoria naturali, praeparatis et uſu medico. ibid.

XXIII.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754 prodierunt.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchappy der Wetenſchappen te Harleem. Erſte Deel. Harleem, 8. mai.

Memoires de l'Academie des belles-lettres de Caen. à Caen. 8. (*Argumenti magnam quoque partem phyſici.*)

Mémoires de Phyſique pure, ſans Mathématiques, de toutes les Academies des Sciences raſſemblés en un ſeul corps et rangés ſelon l'ordre de leur publication. Tome premier pour les Années 1665, 1666, 1667. à Lauſanne, 4. c. f.

Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Tom 50. Venezia, 12.

Syſtema Noologiae Medicae more geometrarum conditum. Lemgouiae, 4.

The Scots Gardiner's Director containing inſtructions to thoſe Gardiners, who make a Kitchen-garden and the culture of flowers, their buſineſs etc. particularly adapted to the climate of Scotland, by a Gentleman one of Members of the

Royal-

Royal-Society. Edinburgh. 8. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* IVSTICE.)

IACOB AINSLIE, Diſſ. de ictero. Edimburgi.

A diſſertation on quik-lime and lime-water by CHARLES ALSTON, The ſecond edition. Edinburgh, 8.

Le Microſcope à la portée de tout le monde, ou Deſcription, calcul et explication de la nature, de l'uſage, de la force des meilleurs Microſcopes; traduit de l'Anglois de HENRY BAKER. à Paris, 8.

Diſſertatio ad Cl. Virum IACOBVM BARTHOLOMAEVM BECCARIVM, qua epidemicae febres in Lucenſis dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur; nec non mercurii atque corticis Peruuiani uſus in earum curatione recto rationis examini ſubiicitur; phyſicorum tentaminum ope, remedii utriuſque viribus exploratis; a IOSEPHO BENVENVTO. Accedunt ſub finem Cll. Virorum IOSEPHI XAVERII BERTINI atque IOSEPHI VALDAMBRINI ad auctorem epiſtolae maximae ad rem attinentes. Lucae, 4.

CAROL. AVGVST. DE BERGEN, Diſſ. inaug. de nyctalopia ſeu caecitate nocturna. Reſp. *Io. Chriſtian. Weiſe.* Francofurti ad Viadr. 4.

IOSEPH BLAK, Diſſ. de humore acido a cibis orto et Magneſia alba. Edimburgi.

Elemens de Chymie par HERMAN BOERHAAVE, traduits du Latin. 6 Voll. à Paris, 12.

THEOPHIL. DE BORDEV, Quaeſt. med. An pro temperamentorum diuerſitate functionum diuerſitas? Reſp. *Cleriad. Vachier.* Paris, 4. mai.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de praecipitatione chemica generatim conſiderata. Reſp. *Iac. Ioach. Georg. Cramer de Clausbruch,* Halae Magdeburgicae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morborum differentia indiui-

duali

duali generatim. Reſp. *Erneſt. Frider. Letzau.* ibid. 4.

BVRMESTER, Diſſ. 1. et 2. de marga, eius hiſtoria naturali et uſu oeconomico. Reſp. *Matthias Bobeck.* Lundini, 4.

IACOB. CAMPBELL, Diſſ. de aere quatenus morborum cauſa. Edimburgi.

AMAB. CHOMEL, Quaeſt. med. An a peculiari uteri ſtructura fluxus muliebris? Reſp. *Guydo Danié Deſpatureaux.* Paris, 4. mai.

CHYDENII Diſſ. de oeconomia et moribus incolarum Lapponiae Kimienſis. Reſp. *Henric. Wegeli.* Abo.

Tentamen nouae de odoribus theoriae cum phyſicis theſibus publice proponendae a MARCHIONE AVGVSTINO CIGLIANO. Sienae, 4. mai.

Le Muſe ſiſiche del DAMIANI. In Firenze, 4.

IO. DIAPER, Diſſ. de Clyſtere. Edimburgi.

Lettera di GEMINO EVLABEOFILO ad ORTILAO ALETOFILO colla riſpoſta del Medeſimo. Luccae, 8.

Della fluidita de corpi trattato del Padre D. CLAVDIO FROMOND. Livorno, 8. mai. c. f.

IO. SAM. GALLASIVS, Commentatio phyſico-chymico-medica, in cauſas potiſſimum inquirens, cur aqua regis aurum ſoluat, argentum non item: contra vero aqua fortis, argentum diſſoluens, aurum vero nulla ex parte commoueat: atque etiam exinde repraeſentans, quod aurum fulminans neruis opituletur? Regiomonti, 4.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture, avec des planches imprimées en couleur. Par Mr. GAVTIER. Année 1754. Dixieme, onzieme et douzieme partie. à Paris, 4. mai. c. f.

CAROL. GILLOT, Quaeſt. med. An perficiendis medicis neceſſaria peregrinatio? Reſp. *Petr. Ioſeph. Moriſot Deslandes.* Paris, 4. mai.

ALEXAND. GORDON, Diſſ. de variolis. Edimburgi.

ALB. DE HALLER, primae lineae phyſiologicae. Venetiis, 8. mai.

Phyſicaliſche Gedanken, worinnen erwieſen wird, daſs die kupfernen Geſchirre in der Haushaltung nicht ſo ſchädlich ſeyn, als die eiſernen, in einer Abhandlung vorgeſtellet und entworffen von IOHANN ANDREAS HARNISCH. *Gera*, 4.

Obſervations d'Hiſtoire Naturelle faites avec le microſcope ſur un grand nombre d'inſectes et ſur les animalcules qui ſe trouvent dans les liqueurs préparées et dans celles qui ne le ſont pas etc. avec la deſcription et les uſages des differens microſcopes, etc. partie déjà publiées par feu Mr. IOBLOT; partie rédigées ſur ſes obſervations poſtérieures; avec un grand nombre de figures. Tom. I. à Paris, 4. mai.

PEHR KALM, Diſſ. hiſtoriſk och oeconomiſk beſkrifning öfwer Calajoki ſokn uti Oeſterbom. Reſp. *Chriſtian. Salmenius.* Abo, 4.

Eiusd. Diſſ. hiſtoriſk och oeconomiſk beſcrifning öfwer Cajansborgs län. Reſp. *Erich. Caſtren.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. om. Krydd och trägardens anläjgande. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ortu petrificatorum. Reſp. *Ieremias Wallerius.* ibid.

A treatiſe on gangrenes, in which the caſes that require the uſe of the bark, and thoſe in which it is pernicious, unleſs join'd with proper correcting, are aſcertaind, and the obiections to its uſe in the cure of gangrene conſiderd. By THOM. KIRKLAND. Nottingham, 8. mai.

De

De curatione ſtranguriae contumacis, frequentem maleque tractatam gonorrhoeam virulentam conſequentis, IOHANNIS HIERONYMI LAPI Diſſertatio. Editio altera retractatior et auctior, cui primum accedit Eiusdem de Acidula ad ripam Tyberis Epiſtola ad IOANNEM PETRVM LVCATELLIVM. Romae, 4. mai.

Narrative of ſome proceedings in the management of Chelſea hoſpital as far as relates to the dimiſſion of SAMVEL LEE. London, 8.

Eiusd. proper reply to the ſergeant ſurgeons defence of their conduct at Chelſea hoſpital. ibid. 8.

CAROL. LINNAEI Genera plantarum eorumque characteres naturales ſecundum numerum, figuram, ſitum et proportionem omnium fructificationis partium. Stockholm, 8. mai. (*Editio quinta inſigniter aucta.*)

Eiusd. Diſſ. de horticultura academica. Reſp. *Ioh. Guſtav. Wollrath.* Upſaliae, 4.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens Chinenſia Lagerſtrömiana. Reſp. *Ioh, Laur. Odhelius.* Holmiae, 4. c. f.

Lettre ſur les maladies veneriennes dans laquelle on publie la maniere de preparer le Mercure dont la plus forte doſe n'excite point de ſalivation, par Mr. LOVIS. à Louxembourg, 12. mai.

Ragionamento ſopra i mezzi più neceſſari per far rifiorire l'Agricoltura de P. Abate D. VBALDO MONTELATICI; colla relazione dell'erba Orobanche, detta volgarmente Succiamele, e del modo di eſtirparla del celebre PIER ANTONIO MICELI; con un diſcorſo di ANTONIO GENOVESE, Regio Profeſſore di Etica, ſopra il vero fine delle lettere e delle ſcienze. Napoli, 8. (*Editio altera.*)

ROBERT. MVRDOCH, Diſſ. de gonorrhoea. Edimburgi.

F. H. L. MVZELL, Medical and Chirurgical caſes. London.

Eſſai

Eſſai ſur l'hydrophobie, précédé de l'hiſtoire d'une perſonne mordue par un chien enragé qui eut l'hydrophobie, et qui fut heureuſement guerie. Traduit de l'Anglois de CHRISTOPHLE NUGENT; auquel on ajoint une Diſſertation ſur la chaux vive et ſur l'eau de chaux; par CHARLES ALSTON. à Paris, 12. mai.

HERM. GERARD. OSTERDYK, Diſſ. de motu muſculari. Traject. ad Rhen. 4. mai.

NICOL. ROSEN, Theſes medicae. Reſp. *Ioh. Georg. Beyerſten.* Strengneſiae, 4.

A ſett of anatomical tables with explanations and an abridgment of the practice of midwifry; by W. SMELLIE. London, fol. mai.

Trattato di Chirurgia diviſo in due Tomi. Il primo contiene un Compendio della detta Arte; ed il ſecundo un Manuale d' operazioni Chirurgiche. Opera utiliſſima di PIETRO PAOLO TANARON. 2 Voll. In Firenze, 8.

ALEXAND. THOMSON, Diſſ. de effectu pathematum in corpus. Edimburgi.

IOH. GOTTSCH. WALLERII Diſſ. Cauſas ſterilitatis agrorum exponens. Reſp. *Ioh. Gabr. Bergman.* Upſaliae, 4.



Conten-

Contenta in hac Parte.

1. Kongl. Svenska Vetenſkaps academiens handlingar foer Aoer. 1753. Vol. XIV p. 3.
2. Memoires de Phyſique pure ſans mathematiques de toutes les Academies des ſciences etc. Tom. I. à Lauſanne p. 32.
3. Recueil de Memoires ou Collection des Pieces academiques. Tom. I. et II. à Dijon p. 36.
4. BERTIN Traité d'oſteologie, Tom. I. ad IV p. 38.
5. Eſſays and obſervations phyſical and litterary. Vol. I. Edinburgh p. 54.
6. HALLERI Opuſcula pathologica p. 80.
7. LINNAEI Diſſ. exhibens plantas officinales p. 97.
8. EIVSDEM Diſſ. Cenſura medicamentorum ſimplicium vegetabilium p. 99.
9. ROSEN Diſſ. Idea pharmacopoeae reformatae p. 100.
10. WALLERII Diſſ. Cenſurae circa praeparationem medicamentorum chemicorum p. 104.
11. LACHAVSSE Diſſ. de ſuperfoetatione vera in utero ſimplici p. 107.
12. GINANNI Opere poſtume Tom. I. p. 109.
13. IOBLOT Obſervations d'hiſtoire naturelle faites avec le microſcope p. 113.
14. LOESECKE *Abhandlung der auserleſenſten Arzney-Mittel* p. 116.
15. Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture Tom. II. p. 129.
16. DE FISCHER De ſenio eiusque gradibus et morbis etc. p. 142.
17. DE LILLE Tractatus de palpitatione cordis p. 156.
18. *Kurtzer Entwurff der Königlichen Naturalien-Kammer zu Dresden* p. 159.
19. BOECKMAN Diſſ. ſiſtens dejectionem roborantem p. 167.
20. CARTHEVSER Rudimenta oryctographiae Viadrino francofurtanae p. 170.
21. Noua phyſico-medica p. 172.
22. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1753 prodierunt p. 184.
23. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754 prodierunt p. 186.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS V. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Hiſtoire de l' Academie Royale des ſciences et belles lettres. Année MDCCLIII. à Berlin chez Haude et Spener 1755. 4. Alph. 2. pl. 21. tab. aen. 9.

i. e.

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum et elegantiorum literarum. An. 1753. Berolini etc.

Qui nuper prodiit Tomus IX. Commentariorum Academiae Regiae Boruſſicae, in claſſe prima philoſophiae experimentalis ſequentia ſiſtit a nobis indicanda.

1) *Exercitatio de origine et generatione metallorum.* p. 3. Auctore Ill. ELLERO. Difficultatem huius doctrinae declarat Noſter, et oſtendit, quomodo illa variis temporibus diſquiſita fuerit; nullum enim eſt dubium, et priſtinis temporibus metalla ex ſinu terrae eruta et cocta fuiſſe, cognitionis vero docimaſticae nulla vel exigua certe proſtant ſpecimina. Inter Arabes quidem chemia exculta fuit, ſed de transmutatione metallorum et experimentis in hunc finem inſtituendis, magis, quam de inueſtiganda rerum natura per phaenomena certa, ſolliciti fuerunt. Excellentiores poſtea chemici neglectis Ariſtotelicorum elementis, ſal, ſulphur et mercurium ut principia corporum et in primis metallorum aſſumſerunt, donec

praecedente ſeculo IOACHIMVS BECHERVS non
tantum nomina principiorum ſic dictorum mutaret,
ſed et illa perfectius et per experimenta accuratiſſima
p. 9. declararet. Deſcribit itaque Noſter terram vitreſci-
bilem, ſulphuream et mercurialem ex mente laudati
huius Viri et oſtendit, quam apte Ill. STAHLIVS in
eius dogmata commentatus fuerit.

p. 11. Ad ipſam vero tractationem accedens de ſitu ter-
rarum, geneſi metallorum conueniente, diſſerit. Ea
enim non inueniuntur, niſi ubi tractus montium
occurrunt; nec quidem in ſolido ſaxo, ſed in locis,
ubi fiſſurae collectionem mineralium permittunt, et
venas ſic dictas metallicas conſtituunt. Ibi vero, ubi
tractus montium verſus plagam meridionalem et
occidentem ſenſim eleuantur, ex acquiſita maxima
altitudine verſus plagam ſeptentrionalem et orientem
iterum deſcendunt, generatio metallorum optime
fieri poteſt, illa enim non tantum moderato ſolis ca-
lore adiuuatur, ſed venti humidiores, euro notus et
euro aquilo, calorem temperant et ſiccitatem noci-
p. 13. uam arcent. Venarum metallicarum originem et di-
rectionem poſtea deſcribit Noſter, et cum in ſolido
ſaxo generatio vix perfici queat, illas quarzo et ſpa-
tho, nec non terra limoſa inueſtitas eſſe monet, et
porro varia vocabula artis, quibus ſpeciales venarum
diſpoſitiones explicantur, germanico idiomate addu-
cto proponit, et ita conſuetas metallicolarum deno-
minationes euoluit et declarat.

p. 17. Hac deſcriptione praemiſſa, quomodo natura in
producendis metallis verſetur, proponit. In cunicu-
lis his ſubterraneis, praeter aquam undique exſudan-
tem et affluentem, vapores metallicolis moleſti de-
prehenduntur, qui omnino particulas continent ge-
neſi mineralium aptas. Raro autem metalla ipſa pu-
ra, frequentius metalla ſub mineralium ſpecie inue-
niuntur, in quibus potiſſimum per uſtulationem ſul-
p. 20. phuris et arſenici praeſentia oſtenditur. Regreditur
itaque

itaque Ill. Auctor ad terras Beccherianas ſuperius nominatas et oſtendit, quomodo illuſtris hic chemicus indolem et naturam metallorum per experimenta imitari et ita demonſtrare ſuſceperit, ipſe vero in geneſin metallorum, quatenus illa in terrae viſceribus fieri ſolet, inquirere tentat. In venis itaque, ſuo p. 25.
modo decurrentibus, minerae ſiue metalla ſub forma minerarum tantum apparent, quae in mixtione et aggregatione inſigniter variant, ita tamen, ut quaedam partes his coniunctae eſſentiales ſint, aliae vero accidentales. Ex his ſulphur et arſenicum primariae ſunt et neceſſario ad geneſin metallorum requiruntur, ſulphur itaque ex acido vitriolico et materia inflammabili, et arſenicum ex terra vitreſcibili et ſalina, ſali marino proxima, compoſita eſſe experimentis euin- p. 33.
citur et porro oſtenditur, metalla et lapides pretioſos ex terra illa prima vitreſcibili oriri, metalla vero malleabilitatem et pondus ſpecificum obtinere, quibus proprietatibus a lapidibus pretioſis diſtinguuntur, in quas ideo nunc inquirere tentat Noſter. Malleabilitas a terra ſulphurea unctuoſa minerali dependet, quae ignis vi expellitur, et non ſolum in minerali regno, ſed et in reliquis corporibus naturalibus vinculum ſiue gluten terrae primae corpora componentis iudicatur. In metallis quidem quodlibet inflammabile cohaeſionem nouam et metalli primam formam reddit, in reliquis corporibus decompoſitis nulla ſic dicta reductio obſeruatur. Pondus vero metallorum terrae mercuriali adſcribitur, quae, licet a ſalis marini terra dependere videatur, nondum tamen ſatis per inſtituta experimenta declarari potuit. Haec ita cum terra prima vitreſcibili cohaeret, ut nec igne vehementiſſimo ſeparari queat, qua etiam de cauſa in metallis reductio praeſtatur, quae in aliis corporibus fieri nequit.

Breuibus poſtea oſtendit Ill. Auctor geneſin me- p. 37.
tallorum in terrae viſceribus, ſine fiſſuris venas mine-

ralium ſuſcipientibus, impoſſibilem eſſe, et ex conſideratione quarzi cryſtalliſati, in venis deprehendendi, cuius ſuperficiebus particulae minerales definito modo adhaerent, aſſerta illuſtrat; cum etiam ſulphur et arſenicum in mineris deprehendantur, porro diſquirit, quomodo haec principia in mineris et metallis vere inueniantur. Si itaque in collectione aquarum inter fiſſuras facta acidum vitriolicum cum acido ſalis marini, in his aquis iam contento, ſe unit, has aquas magis magisque inquinatas reddit, dum huic commiſcenda bituminoſam et ſulphuream terram ſibi unitam adducunt, motus inteſtinus in hac maſſa excitatur, et calor interioris terrae agitationem et attritum particularum fermentationi ſimilem et ita concurſum particularum mixti definitum efficit. Subtiliſſimae autem hae particulae in vapores eleuantur, tractu temporis condenſantur, et mollem terram deprehendentes, materiam formationi minerarum aptam ſiue embryonem metallicum obtinent. Hanc mutationem, licet non niſi multorum annorum tractu abſoluendam, generationem metallorum ſiſtere ex praecedentibus concludit Noſter, et variis argumentis illuſtrat.

p. 40. Incipit itaque progreſſum mutationis huius in pyrite et ſulphureo et arſenicali declarare, et in hoc et in reliquis ſemimetallis principia verae naturae metallicae iam inuenire tentat. In arſenico enim martialem terram deprehendit, et ideo in hac non ſine fundamento principium ſic dictae metalleitatis ponit, et inde ad cuprum, ferro ſaepius admixtum, tranſit reliquaque metalla ſimili modo examinat. Cum vero has doctrinas ſuccincte tantum proponat, nos generali idea praemiſſa hic ſubſiſtimus, et aſſerta Ill. Auctoris ulterioribus praeſtantiſſimorum chemicorum diſquiſitionibus digna iudicamus.

2) *Exa-*

2) *Examen chemicum ſalis acidi volatilis ſuccini* proponit Cl. POTT. Diſſenſus chemicorum de natura ſalis volatilis ſuccini, an nimirum acidae indolis ſit? et hoc declarato, ad quamnam acidorum ſalium ſpeciem pertineat, Cl. Auctorem commouit, ut accuratius paulo in hanc rem inquireret. Diſſerit itaque breuiſſimis de methodo deſtillandi hoc ſal, et de modo, quo illud oleo ſuo inquinatum purius redditur, non nulla proponit. Oſtendit enim, quomodo in depuratione ſalis ad haec experimenta applicati verſatus fuerit. Sal nimirum aqua calida ſolutum per filtrum transiecit, in cuius fundo goſſypium, oleo ſuccini imbutum, haerebat, quo oleum in tranſitu a goſſypio ſuſciperetur, et ita ſolutio purior tranſiret, quae leni euaporatione facta, ad nouam cryſtalliſationem diſponenda erat. Cryſtalli ſic genitae ſatis purae ſunt et parum flauae, licet enim iterata depuratione magis albae reddi queant, cum oleo tamen prorſus excuſſo multum etiam ſalis perditur. p. 51.

Sal hoc depuratum ad ſui ſolutionem multum aquae exigit, inde et eſt, quod calida addatur, quae magis ſoluit, ſed ſolutum ſub refrigerio iterum dimittit. Cryſtalli, quae inde obtinentur, pro vario depurationis gradu formam et colorem mutant, ſiccae tamen manent et tritae vehementem odorem raphani ſpargunt, guſtus eſt acidus minime corroſiuus, oleum tamen adhaerens ſemper prodit. Sal itaque noſtrum cum alcalinis fixis et volatilibus efferueſcit, cum acidis minime, ſyrupum tamen violarum nec in viridem, nec in rubicundum mutat colorem. Vere porro volatile eſt ſal, minime autem ſub moderato calore eleuatur, ut volatilia urinoſa. Oleum terebinthinae illud non ſoluit, ſpiritus vini vero in primis calidus ſolutionem praeſtat, ſed depuratio cum hoc menſtruo vix apte inſtituitur. p. 57.

Cum autem his nondum declaretur, ad quamnam acidi ſpeciem ſal noſtrum pertineat, Cl. Auctor alia p. 59.

et in hunc potiſſimum finem inſtituta proponit experimenta, cum ſale enim alcalino fixo et volatili urinoſo, nitro, ſale ammoniaco et borace, nec non cum tribus acidis mineralibus, in primis vitriolico, porro etiam cum calce viua, ſulphure etc. ſal noſtrum vario modo compoſuit et ita in eius naturam
p. 69. inquiſiuit. Ex his vero omnibus ſuccincte tantum traditis nos nihil repetimus, ſed concluſionem primariam addimus, ſal nimirum ſuccini volatile acidum nec cum acido ſalis marini, nec cum vitriolico conuenire. Quod enim ſal marinum concernit, non negari poteſt, ex aqua marina magnam ſuccini copiam produci, hinc exterius forte hoc ipſum ſal adhaerere, inde vero nondum oſtenditur, eius acidum mixtionem ſalis noſtri volatilis ingredi. Nec euidenter probatur, noſtrum ſal acidi vitriolici proprietates habere, licet ſine efferueſcentia cum eo committatur; oleoſa enim ſalis noſtri pars acidum vitriolicum inuoluit et demulcet, id, quod eodem modo euenire videtur, ſi acidum vitriolicum a particula ſachari vel tartari blande ſuſcipitur. Inde etiam oſtenditur ſuccina arte facta non eſſe, niſi reſinas coagulatas, ad duritiem veri ſuccini non accedentes, ex quibus nunquam verum ſal volatile ſuccini praeparari poterit. Quod ſi vero etiam ex acido vel ſalis vel vitrioli verum produceretur ſuccinum, inde tamen tantum concludi poſſet, acida haec intime cum partibus inflammabilibus unita, in aliam naturam mutari, nec priſtinam indolem retinere. Inſignis eſt metaſchematiſmus ſalium ex acidi uniuerſalis praeſentia declarandus, et noſtrum ſal, quod ad acidum vegetabile quam proxime accedit, cum eo, quod in floribus benzoes eſt, teſte etiam NEVMANNO, optime comparari poteſt, licet hoc ob copiam particularum reſinoſarum in ſpiritu vini optime diſſoluatur, quod de ſale volatili acido ſuccini non aſſeri potuit. Concludit tandem Noſter per compoſitionem artificialem ſucci-

ſuccini, forte adhuc praeſtandam, naturam ſalis noſtri accuratius declarari poſſe.

3) *Examen chemicum ligni cedrini* proponit Cl. MARGGRAF. Cedrus conifera foliis laricis CASP. BAVHINI, eſt Abies foliis faſciculatis acuminatis LINNAEI, et ea planta, cuius lignum examinauit Noſter; reiectis ſcilicet cortice et alburno, pars media lignoſa rubra et odorifera examini ſubiecta fuit. Licet autem lignum hoc ad arbores, reſinam et terebinthinam fundentes, referatur, leuitate tamen, colore rubro, et odore grato ab omnibus ſe diſtinguit, maiorem vero differentiam ſequentia oſtendunt experimenta. Libra una ligni cedrini raſpati circiter drachmas duas olei deſtillati exhibuit. Hoc ſpiſſum flaueſcens eſt, ſpiritu vini rectificatiſſimo ſoluitur, frigore concreſcit, cum oleum terebinthinae et alia fluida maneant; his etiam oleis longe ponderoſius eſt. Quatuor unciae ligni noſtri extracti aquoſi primi gummoſi drachmas quinque et ſemiſſem, extracti ſpirituoſi ſecundi reſinoſi ſcrupulos duos exhibuerunt, alia vero ſimilis ligni quantitas dedit extracti reſinoſi primi drachmas duas et ſemiſſem, extracti gummoſi ſecundi drachmas duas et grana quadraginta. Octo unciae ligni ex retorta deſtillatae drachmas duas et quindecim grana phlegmatis et olei exhibuerunt, oleum vero ſcrupulum unum vix ſuperabat. Primum hoc productum coloris albi erat, inſtar aquae pellucidum, ſubſequens vero liquor luteus cum oleo rubro ſupernatante unciae unius et quindecim granorum pondus habebat, olei ſeparatim conſiderati quatuor erant ſcrupuli. Eliciebantur poſtea olei empyreumatici, cum ſpiritu mixti, drachmae ſeptem et praeterea drachma una olei empyreumatici, quod fundum petebat, et cui drachmae ſex et grana quindecim ſpiritus obſcure flaui ſupernatabant, igne tandem vehementiſſimo decem grana olei ſpiſſi, et ſpiritus uncia p. 73.

 ſemis

ſemis et quindecim grana ſuccedebant, omnia ſimul pondus quatuor unciarum cum ſemiſſe, et caput mortuum relictum unciarum trium exhibebant, ſpiritus vero acidae naturae erant. Libra una ligni, igne libero combuſti, quindecim grana cinerum et in his parum ſalis alcalini fixi exhibebat.

p. 79. 4) *Obſeruationes anatomicae tres* a Cl. MECKEL exhibitae, ea tradunt, quae in diſſectione cadaueris aethiopis duodecim annorum menſe iulio 1753 ſuſcepta, notatu digna inuenit, *prima* itaque *in naturam epidermidis et retis Malpighiani* inquirit. Nigredo in toto corpore aethiopis diuerſa erat, et maiori potiſſimum cutis et epidermidis craſſitiei reſpondebat, exceptis tamen vola manus et planta pedis Cutis ingenere tenerior eſt, quam in hominibus albis, in primis in facie, ubi et color ex nigro in cinereum vergebat. A nucha ad os ſacrum uſque et ad nates color erat obſcurior, quam in pectore; a flexu cubiti ad manum extremam et ſimili modo in extremitate inferiore niger color ſenſim ſenſimque imminuebatur et in cinereum vergebat, nigerrima tamen erat cutis abdominis. Cicatrices variolarum, (anno enim praecedente hunc morbum feliciter ſuperauerat,) ad femora et paſſim conſpiciendae nigrae quoque erant.
p. 82. Has quidem attentius examinauit Noſter, quoniam inde regenerationem cuticulae explicare tentat. Puſtulae natae in principio vix conſpiciuntur, uſque dum ſub ſuppurationis progreſſu, veſiculae varioloſae flauae fiunt, hae vero in exſiccatione longius haerent, quam in albis hominibus, et cruſtis remotis flauae fiunt maculae, tractu temporis ſenſim in nigredinem vergentes; cuticula tenuis in medio eleuata apparet, circulo inde conſpicuo, qui cum epidermide profundius in cutim deſcendit. Id vero non tantum hoc in caſu ſed in omni cuticula verum eſt, quod ſcilicet haec magis extendatur, quam cutis, cum haec cedat,

cuticu-

cuticula vero non cedens in omnes ſulcos dimittenda erat.

Cuticula cum cute non tantum per corpus mucoſum, vulgo reticulare dictum, ſed per radices quoque pilorum cohaeret, has alii ligamenta, alii vero vaſcula dicunt, haec vero Noſter per ſollicite inſtituta experimenta detegere non potuit. In partibus quidem cutis, cuius vaſa exquiſite repleta fuerant, ſeparatio radicum difficilius ſucceſſit, non vero ob aliam cauſam, quam quod vaſa nimis turgida radices pilorum retinuerunt. Maceratione membrana mucoſa diſſoluitur et in aethiopibus quidem in humorem nigrum, ſi epidermis, cui hic mucus adhaeret, in ſpiritum vini immittitur, coagulatur, exſiccatione etiam coit et indureſcit. p. 83.

Veſtigiis igitur Ill. HALLERI inſiſtens Cl. Auctor ex his phaenomenis regenerationem cuticulae explicare et additis obſeruationibus illuſtrare ſuſcipit. Quoniam enim ſub mucoſa et nigra membrana cutis alba eſt, et epidermis ibi non deficit, ubi vera cutis continuatio non eſt v. c. circa plicas profundas umbilici, tandem quoque cicatrices varioloſae in aethiope, in noſtris terris degente, tamen nigrum colorem acquirunt, epidermis diſtinctum a cute corpus videtur. Minime enim a neruis oriri poteſt, cum inſenſilis ſit, et eius craſſities minus proportionata copiae neruorum cutaneorum in quibusdam locis deprehendatur. Porro etiam continuatio vaſorum cutaneorum eſſe nequit, in cicatrice enim cutanea, in qua nulla vaſa exhalantia ſunt, cuticula non deficit, nec circa umbilicum deficit, ubi veram cutim Noſter negat, tandem vaſa aethiopis in ſe conſiderata alba ſunt. p. 85.

His praemiſſis obſeruata ad corroborandam ſententiam ſuam colligit Cl. MECKEL et primo oſtendit, comparationem cum reticulo mucoſo, in lingua boum cocta deprehendendo, nihil probare, cum nec in lingua humana inueniatur, lympham mucidam in corpore p. 88.

pore humano in membranas mucoſas cogi poſſe, quas aqua diſſoluit, ſpiritus vini vero et aer exſiccant, idque etiam in rete ſic dicto Malpighiano ſuccedere. Diſſoluitur illud, cuticula tamen adhuc firmiter cohaerente; interdum cuti adhaeret et nigricans cuticula ſeparatur, interdum cuticulae adhaeret, cute alba relicta, quando enim viſcido non deſtituta eſt, membrana mucoſa continuum corpus cum epidermide efficit et in huius plicas ſe immittit, quando vero maceratione longa diſſoluitur, tunc cuti adhaeret et a ſicca magis epidermide recedit. Mucum vero primo flauum eſſe, poſtea in nigredinem vergere aſſeritur, quod partim a corpore luteo in ouariis vetularum nigreſcente, partim ex maculis varioloſis in aethiope primo flauis, poſtmodum nigris redditis, declaratur.
p. 92. SANTORINI igitur ſententiam, quod color aethiopum ex bile originem trahat, non tantum reiicit Noſter, ſed pinguedinem in hac gente magis flauam tranſſudatione ſua mucum hunc praeſtare aſſerit, et oſtendit, quomodo cruſtae varioloſae ob tenacitatem maiorem in his diutius adhaereant. Neruorum exhalationi forte aliquid tribui poſſe, in diſſectione cerebri declarabit.

p. 93. Ad naturam epidermidis explicandam nunc progreditur Cl. Auctor, et oſtendit illam non albam, ſed quodam modo nigram, immo cineream eſſe, excepta vola manus et planta pedis, colorem igitur a membrana mucoſa recipere et in album vergere, ubi hic mucus paululum tenerior eſt. Hinc infert epidermidem eſſe partem exteriorem membranae mucoſae, aere exſiccatam et induratam et in illis partibus magis denſam, ubi magis comprimi potuit, et per conſiderationem cicatricum varioloſarum, ſuperius in aethiope deſcriptarum, hoc aſſertum magis comprobat.
p. 96. Cuticula autem minus nigra eſt quam membrana mucoſa, ex qua tamen oriri dicitur, cuius rei cauſam in eo ponit Noſter, quod particulae poſt ſiccitatem acquiſitam

quiſitam magis coniunctae ſunt, et membranam magis tranſparentem oſtendunt. In locis fortius compreſſis denſior eſt, et inde forte eſt, quod in aethiopibus quoque vola manus alba inueniatur.

Secunda obſeruatio hic propoſita *differentiam coloris in ſubſtantia medullari aethiopis* declarat. Deſcribit itaque Noſter acceſſorium os ad ſuturam lambdoideam longe maius, quam conſueta oſſa Wormiana eſſe ſolent, addit non nulla, quae ad inuolucra cerebri ſpectant, et medullarem cerebri ſubſtantiam in diſſectione non prorſus albam, ſed quodam modo in coeruleum colorem vergentem deprehenſam fuiſſe narrat, ita tamen, ut in ſuperficie aeri expoſita mox euanuerit et prorſus alba facta ſit. Glandula pinealis non cinerea, ſed ex coeruleo nigricans erat, bini tamen pedunculi medullares, quorum ope thalamis neruorum opticorum adhaeret, prorſus albi erant. Striae corporum ſtriatorum coeruleſcentes, medulla cerebelli prorſus alba, medulla oblongata parum coeruleſcens, eo nimirum in loco, ubi ex pedunculis cerebri exit, inueniebantur, tandem et medulla ſpinalis aliqua coloris mutati veſtigia exhibebat. Praeter eam vero, quam nunc indicamus, coloris mutationem omnis encephali ſubſtantia ſana et integra deprehendebatur. Unica haec eſt obſeruatio in cerebro aethiopis facta, cui Cl. Auctor non ſubſcribit, niſi per reiteratas diſſectiones aethiopum ea confirmetur. Inde tamen forte tenuis exhalatio ex neruis oriri poſſet, corpus mucoſum colore nigro imbuens. p. 97.

Tertia obſeruatio *morbum huius aethiopis ſcilicet ſteatomatoſam duritiem peritonaei* exponit. Per nouem menſes circiter de abdominis tumore et duritie, aluo obſtructa et aliis his iunctis vitae incommodis conqueſtus eſt, licet voracitas aetati conueniens interea remaneret. Metus oriundae hydropis, de p. 102.

causa

cauſa morbi abigenda ſollicitos eſſe iuſſit medentes, fruſtranea tamen erant auxilia artis. Licet enim cum morbi augmento appetitus augeretur, proſtratio virium et hectica febris non intenderentur, oedema tamen et tandem diarrhoea praecedebant vitae finem.

p. 104. In ſteatomatoſa diſpoſitione per diſſectionem euoluenda maxime ſollicitus, Cl. Auctor eandem ad tractum omnium viſcerum, ad quam peritonaeum pertingit diſquiſiuit et accurate deſcripſit Nos praecipua indicabimus. Peritonaeum muſculis abdominalibus fortiter adhaerebat, lien et hepar cruſta ſteatomatoſa cincta erant, ſubſtantia ipſa vix mutata. Ventriculus non tantum in interna fabrica, ſed et in ſuperficie ſanus erat, omentum autem et paruum, magis tamen magnum tuberculis ſteatomatoſis repletum inteſtinis adhaerebat. Haec loco tunicae membranoſae a peritonaeo recipiendae, cruſta ſteatomatoſa cincta erant, cui fibrae muſculoſae firmiter adnatae erant, neruea tunica illaeſa et ſana. Non vero in tenuibus tantum, ſed et in craſſis ſimilis mutatio morboſa obſeruabatur, in illis tamen locis, ubi peritonaeum hanc inteſtinorum partem non inuoluit, celluloſa fabrica illaeſa erat. Diaphragma quatenus peritonaeo cingitur, eadem oſtendebat tubercula morboſa ideoque cum hepate prorſus coaluerat, pancreas vero ſanum erat. Viſcera thoracis illaeſa deprehendebantur, pleura tamen, quatenus diaphragma inueſtit, ſteatomatoſa illa tubercula conſpicienda praebebat, quae in pleura coſtas inueſtiente parciora erant.

p. 111. Geneſin huius morbi in viſcidis nec apte exhalantibus particulis, per vaſa peritonaei motis, et inde oriunda obſtructione poſitam fuiſſe nemo negat, Noſter quoque hanc rem erudite explicat et varia morbi phaenomena inde declarat. Forte hic morbus rarior ob viſcidos magis humores in aethiopibus ſolennior eſt.

5) Cl.

5) Cl. SVLZER *nouum tentamen altitudines montium barometri ope dimetiendi* edit. Ex quo compertum eſt, mercurium in barometro aeris pondere ſuſtineri, pronum erat inde inferre, in locis ſublimioribus, ubi breuior aeris columna mercurio incumbit, eum ad minorem altitudinem in tubo ſubſtiturum. Igitur Cl. PASCALIVS primus tentauit montium altitudines dimetiri; recentiſſime in hoc negotio Cl. DANIEL BERNOVLLI laborauit. In primis vero rei difficultas in hoc conſiſtit, quod lex, qua aer expanditur, et pondus eius decreſcit, nondum detecta ſit, unde Cl. BERNOVLLI hypotheſibus innixus eſt: Noſter vero nullam hypotheſin adhibere, ſed experimentis ſolis fidere decreuit. Igitur tum legem compreſſionis accuratius detegere laborauit, tum quid caloris diuerſitas efficiat, ſollicite quaeſiuit. Primum de aeris compreſſione ſequenti modo egit: Tubos vitreos ſatis amplos, ut adhaeſio mercurii ad vitrum negotium non turbaret, annulis orichalceis ita coniunxit, ut aer per interſtitia penetrare non poſſet; Ita tubum continuum obtinuit, cuius inferiorem partem inflexit, eique tubum paullo ampliorem adiecit; Ita comparatum tubum verticaliter ſuſpendit, ut duo crura ſuperius aperta, longum quidem a tubis coniunctis, breuius a parte recuruata tuboque ampliore, pedem rhenanum longo, efficerent, et capillaris tubus breuius ſuperiora verſus terminaret. Tubi amplioris vero capacitatem in decimales digitos rhenanos exacte diuiſit. Mercurium infudit, donec ad initium inferius tubi amplioris pertingeret, deinde capillarem tubum cera hiſpanica aeri imperuium reddidit; Iam mercurium infudit, et in quae ſpatia aer a dato pondere mercurii comprimeretur, obſeruauit, habita ſimul ad thermometri ſtatum attentione. Tabulas experimentorum omnes tranſcribere non poſſumus, ſpeciminis loco partem dabimus alicuius, quam ex aliis iam praecedentibus

p. 114. (margin, beside line 1) p. 116. (margin, beside "Primum de aeris compreſſione")

dentibus tabulis concinnauit. Thermometro Fahrenheitiano, ad machinae latera poſito, ſubſiſtente ad gradum 15, barometro ad digitos 29 ſibi mutuo reſponderunt

pondera mercurii:	denſitates aeris:
1.000	1.000
1.076	1.091
1.183	1.200
1.303	1.333
1.472	1.500
6.835	8.000

Facile animaduertent lectores transſiliiſſe nos numeros quosdam huius tabulae, ut citius ad ultimum perueniremus. Ceterum exacte inter omnia experimenta non conuenit, quoniam minimus error in compreſſione aeris aeſtimanda magnum in mercurii comprimentis altitudine definienda producat. Id tamen omnia haec experimenta numero 42 confirmant, aeris denſitatem pondere comprimente ſemper maiorem eſſe; huncque denſitatis ſupra pondus exceſſum cum ipſa denſitate creſcere. Caloris vero menſuram ab expanſione aeris inde nata deſumit, ut ſi datus calor aerem datum in ſpatium eius, quod occupabat, duplum expandat, alius vero calor in quadruplum, hunc gradum prioris duplum aeſtimet. Hinc formulas analyticas quaeſito inueniendo deducit, ſed quae ad uſum transferri non poſſunt, niſi data quaedam in illis ſuppoſita accuratis experimentis definiantur.

p. 130. 6) *De inuolucro neruorum* differit Cl. ZINN. Inuolucrum neruorum a menyngibus deduci, inde vero neruis ſenſibilitatem et irritabilitatem accedere a multis aſſertum fuit; cum autem Ill. HALLERVS inuolucrum neruorum telam celluloſam eſſe coniectura aſſequeretur, ſententiam hanc ipſa diſquiſitione anatomica certiorem reddidit Noſter. Originem igitur

et

et progreſſum non nullorum neruorum attentius deſcripſit, et medullae oblongatae neruos praecipuos ex fibris medullaribus, parallelo itinere progredientibus, et piae matris inuolucro cinctos, via plus minus longa ad foramina baſi cranii inſculpta duci, declarauit, in his nerui a dura matre infundibuli inſtar progrediente excipiuntur quidem, in egreſſu autem ex cranio dura mater diuerſimode diſponitur. Ea enim v. c. ad egreſſum nerui optici in orbitam, in duas laminas diuiditur, quarum una perioſtii inſtar orbitam inueſtit, altera autem neruum opticum ad oculi bulbum comitatur, licet in ſcleroticam non mutetur. Inde forte nimis audacter ad reliquos neruos concluſio facta fuit. Filamenta minimorum neruorum tela cellulari tenuiſſima cincta ſunt, quae, ſi plura concurrunt filamenta, fortior fit, Noſter itaque nerueum faſciculum cum faſciculo muſculari comparat, tenui cellulari tela quoque connexo. Inuolucrum tamen hoc p. 135. cellulare interdum denſius eſt, praecipue in neruis inter muſculos decurrentibus, in iis vero, qui ad viſcera tendunt, vel, qui per orbitam in pinguedine excurrunt, longe tenerius deprehenditur, tenuiſſimum eſt in neruis, qui longo tractu per oſſeos canales transeunt, v. c. in ſecundo ramo paris quinti, qui per cauitatem ſphenopalatinam excurrit, vel in ipſo neruo intercoſtali. Ex natura itaque inuolucri pendet, quod unus neruus durior, alter mollior inueniatur.

Hinc ad ganglia progreditur Noſter, et cum in p. 137. his plurimi neruorum rami confluentes coeant, et aliter, quam in plexibus, in quibus tantum coniunctim excurrunt, in nouos ramos diuidantur, ganglia certe eum quoque uſum habere poſſunt, ut filamenta neruorum, quae in formandis his nodis inuolucra deponunt, nouis inuolucris inueſtiant. Tela etiam celluloſa, fibras medullares connectens, ſedes eſt morborum neruoſorum, in primis paralyſeos ab obſtructis et diſtentis vaſis oriundae, cura enim eius modi mor-

borum per electricitatem praeſtanda ex hoc fundamento declaratur, effuſa etiam acris lympha in contextu celluloſo, inflammatio in vaſis minimis hic diſtributis cauſa eſſe poteſt vehementiſſimi doloris, in variis paronychiae ſpeciebus obſeruandi, qui ideo immerito laeſioni tendinis attribuitur.

p. 141. Ex his de celluloſa fabrica inuolucri neruorum propoſitis, facile concludi poteſt, quantum errent, qui in hac membrana ſenſibilitatis et irritabilitatis ſedem quaerunt; quomodo enim per nerui intercoſtalis inuolucrum ſenſus ad ſenſorium commune duci valet, cum is in principio inuolucro ſuo prorſus ſit deſtitutus; quomodo tela cellularis communicare poteſt ſenſum, cum illa tamen cum fibris medullaribus nihil commune habeat, medullaris ergo nerui pars ſola huic functioni apta eſt, quam non nulli auctores immerito ſenſu deſtitutam eſſe contendunt. Poſito vero, ſed non conceſſo, duram matrem praebere inuolucrum, experimenta tamen docent eandem a qualibet irritante cauſa non affici. Idem quoque valet de pia matre, ad quam alii tanquam ſedem ſenſus per neruos propagandi reſpiciunt.

p. 522. In fine additur elogium AVGVSTINI BVDDEI * Conſiliarii aulici, Medici regii, membri collegii ſuperioris medici, Profeſſoris primarii anatomiae et phyſices, academiae imperialis naturae curioſorum et academiae regiae boruſſicae ſodalis. Hic Anclami in Pomerania 1695 auguſto menſe natus fuit, patre FRANCISCO BVDDEO, verbi diuini miniſtro et matre DOROTHEA ex gente CHRISTIANIA, ſtudiis humanitatis in patria tractatis, artem ſalutarem

* AVGVSTVM BVDDAEVM diximus et in recenſione Doctorum Collegii Medico-chirurgici Berolinenſis Vol. II. p. 172. et in eius obitu indicato Vol. eodem p. 366. quem duplici loco admiſſum errorem nunc indicamus et corrigimus.

tarem et in primis anatomen excolendam ſibi elegit, anno duodecimo huius ſeculi Ienae, decimo quinto autem Halae inſtitutione praeſtantiſſimorum profeſſorum uſus fuit. Munificentia diui Regis Boruſſiae adiutus, acquiſitam ſcientiam in itineribus per belgium, angliam et galliam inſtitutis excoluit et perfecit. Honores et titulum Doctoris Leydae Batauorum 1721. ſuſcepit, et in ſpecimine inaugurali de actione muſculorum praecipue ratione antagoniſmi egit. In patriam redux factus Berolini theatro anatomico praefuit, hoc ipſum inſtitutum egregie ſuſtinuit, et his laboribus totum ſe dedit. Medici regii et conſiliarii aulici honoribus 1725 ornatus fuit, non nulla etiam eruditionis ſpecimina in miſcellaneis Berolinenſibus edidit. Sub fallaci ſanitatis ſpecie, morbum alebat, maxime enim obeſus, apoplectico inſultu die vigeſimo quinto Decembris anni 1753 e viuis ereptus fuit, dum quinquageſimum ſeptimum aetatis annum vix ſuperauerat.

II.

B. S. ALBINI academicarum annotationum Liber ſecundus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Leidae apud I. et H Verbeeck. 1755. 4. pl. 14. tab. aen. 7.

Pergit eximius ALBINVS in coepto perutilique labore, *librumque ſecundum* academicarum ſuarum nobis exhibet annotationum. Primum librum ſupra * laudauimus. Secundum ut pari modo noſtris commendemus lectoribus, dignitas animaduerſionum, quae hocce libro continentur, poſtulat. p. 3.

Vndeuiginti capitibus omnis abſoluitur liber. *Primum* de *mutatione dentium*, quam iuuenes circa ſeptennium plerumque experiuntur, agit. Poſtquam p. 3.

O 2 CELSI,

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 453.

CELSI, VESALII, FALLOPII, EVSTACHII, DIEMERBROECKII et COLVMBI, quas de mutatione dentium fouere opiniones, recenſuit, partim-
p. 7. que refutauit Cl. Auctor, docet, apparere, dentes, qui ſubibunt, ab illis, qui decident, totos ſeparatos, pariter cum iis creſcere, hos autem ſerotinos eſſe, illos praecoces. Nunc quaedam de *ſede* eorum, qui ſubibunt, tradit: et primum quae ſit eo tempore, quo decidui iam nati ſunt. Tomicorum alia, alia caninorum, alia maxillarium. Pueri, quum dentes mutaturi ſunt, primum vacillare iis incipiunt: vacillant deinde magis magisque, poſt facile auelluntur, decidere dicunt. Qui cecidere, radice nulla praediti videntur, et reuera tantum modo praediti parte radicis. Ante vero quam vacillare incipiunt, radicem perfectam adepti ſunt: ut mirum videri poſſit, qui fiat, ut in iis, qui, quo tempore iam plane vacillant, auulſi ſunt, radicis non niſi pars, veluti de-
p. 11. roſa, inueniatur. Ex quibus intelligi putat Cl. Auctor, radicem deciduos adipiſci, perficereque: eamque, quum decidendum eſt, perdi magis et magis: et quia perdatur, idcirco vacillare dentem. Quaenam vero vis perdat? Num ſuccreſcens nouus ſe ad radicem decidui apprimat, atque ita conficiat? me-
p. 13. rito quaerit. Deinde cauernulas, quibus noui dentes continentur, deſcribit, easque ad poſtremum maxillae marginem in anguſtum canaliculum, vel exiguum foramen abire demonſtrat, per quod nouus, ni deciduus tempeſtiue cadat, natura quaſi oſtendente via, pone eum erumpat. Maxillarium autem cauernulae his foraminulis carent. Hos in fundum praeſepioli decidui penetrare inuenit.

p. 16. In *capite ſecundo*, de *dentium ortu et incremento* quaedam profert, prout natura illum ea docuit. *Teſta* quaedam primo oritur, forma *folliculi patuli*, quae aliquandiu creſcit, priusquam radicem inchoet. Deinde, qua parte patula, creſcit in longitudinem,

et

et oriri radix incipit. Dum creſcit teſta dentis, fiſtulaque radicis, craſſeſcunt magis magisque. Poſt, dentibus ſenſim ſe perficientibus, teſtae fiſtulaeque radicum pergunt craſſeſcere, eoque cauum anguſtatur.

In *capite tertio* indicat, *quot dentes puer mutet, et quos*. Et de *differentia nouorum et deciduorum* adhuc quaedam addit. Quoniam ſunt inter recentiores, qui laudem plurimam promeriti, dentes *decem et ſex* mutari docent, tomicos octo, caninos quatuor, totidemque maxillares, tantum *primos:* idcirco omnino monendum duxit curioſus Auctor, qui mutantur, *viginti* eſſe, praeter dictos nimirum etiam maxillares *ſecundos* quatuor. Sic enim ſe reperiſſe, palam declarat. Sed differunt quoque noui ab iis, quorum in locum ſucceſſerunt. Tomici et canini maiores ſunt et craſſiores: tomici latiores. Maxillares autem minores. Maxillares et forma differunt. Nec differunt tantum modo mucronibus, ſed figura tota. Omnes autem radicibus differunt. Maiores longioresque nouis. Maxillarium deciduis plures. Haec omnia, quae tribus his capitibus de dentibus propoſuit, nitidiſſimis accuratiſſimisque illuſtrauit figuris atque probauit. p. 18.

In capite *quarto* exponit ſententiam ſuam de ortu *exuuiarum chryſalidum in intimis oſſibus a* RVYSCHIO *repertarum.* In primis teſtatur huius obſeruationis veritatem, quia ipſe eiusmodi exuuias in oſſibus inuenit. Varia de earum origine hallucinatus eſt RVYSCHIVS, ſed Cl. Auctor ratione plus quam probabili oſtendit, vermes ex ouis muſcarum, putredine allectarum, natos, et forinſecus ingreſſos, eas intus exuiſſe. p. 20.

In capite *quinto* de *utero grauidae* non nulla tradit, ad illuſtranda ea, quae olim in *tabulis uteri mulieris grauidae,* de uteri craſſitudine demonſtrauerat. Quem nunc examinauerat uterum, mollis erat, facileque et p. 26.

 compri-

comprimi et tenuior reddi poterat: et diduci reddique craſſior, quemadmodum icon adiecta refert. Hinc cauſas rimatur, quae anſam anatomicis praeter cetera praebere potuiſſent de craſſitudine uteri praegnantis diſcrepandi.

Capite *ſexto* oſtendit *epididymidis* conſtructionem, quam argento viuo, in eam per vas deferens perite impulſo, impleuit, cuius ſimul exhibet figuram.

p. 27. In capite *ſeptimo inteſtinorum tunicam nerueam et celluloſam* accurate definit. Neruea ut turget diſtenta humore, poſtquam aliquandiu macerata eſt aqua; ſic diſtendi poteſt flatu, inuerſum inflando inteſtinum. Flatu diſtenta exſiccando vertitur in rarum quiddam cauernoſumque et tenerum, ſimile ei, quam celluloſam hodie appellant anatomici. Hanc RVYSCHIVS exhibet in figura ſecunda tabulae quintae theſauri ſexti, quamuis celluloſam eſſe dicat, ſub tunica communi ſitam, et inter tunicas inteſtinorum praeter nerueam numeret. Itaque quod pro celluloſa, quae ſub communi ſit, habuit, fefellit tum ſe, tum etiam alios. Poſt tamen rem aperte palamque faſſus eſt in *curis renouatis:* fruſtum indicans inteſtini *inuerſi* et inflati, unde tunica neruea celluloſa facta. Neruea igitur ab altera parte cum interna coniungitur, ab altera cum muſculoſa. Praeter ea autem ſub tunica quoque communi celluloſa eſt, inter communem ſcilicet et muſculoſam excurrens, ſed quae inflari nequit. Vtramque celluloſam diſtincte depingi curauit Cl. Auctor.

p. 31. Caput *octauum* hiſtoriam *vulneris inteſtini coli, et quae id conſecuta ſunt*, continet. Miles quidam in praelio percutitur pugione in latere ſiniſtro ſub imis coſtis, annos nondum natus viginti. Chirurgus vulnus primo non nihil dilatat, mox obligat. Poſtero die, quum inſpicitur, inuenitur in eo heſternae coenae aliquid. Tunc incidendo augetur, ſic, ut ſpithamam longitudine excederet. Quo facto confe-

ſtim

ſtim erumpunt flatus cum multis excrementis alui. Cicatricem interea vulneris ora duxit. Deinde autem inteſtini erumpere incepit portio. Poſtquam e lecto ſurrexit, erupere duae, altera a ſuperiore parte, altera ab inferiore. Inteſtini portiones erant inuerſae, ſimiles elapſae ex ano, pendentes a latere. Reducta utraque, amplum ſub imis coſtis apparebat foramen, ad inteſtini coli capacitatem. Apparebatque cum ventre maiorem coli partem per transuerſum diſciſſam fuiſſe, vulnusque ſic ſanatum, ut cicatricem per ambitum orae unam duxerit ventris plaga et inteſtini. Eoque natus in latere erat anus quidam ſed patulus, qualem deſcripſere VATERVS * et SCHACHERVS **, et nos nuperrime vidimus in ruſtico homine pagi vicini, ab herniae ſuppurata inquinali. Valens erat, quum eum vidit Cl. Auctor, et robuſtus, annum agens quadrageſimum. Aiebat aluum ſe per anum non deiicere, ſed tamen aliquid muco ſimile excerni fere quotidie. Huius ani, praeter naturam facti, iconem ſuppeditat tabula quinta.

Caput *nonum* indicat figuram adiectam, quae *arterias ſub cute cranii ſitas* exhibet. Apparet inde quales et quantae, tum iuxta tempora, tum a poſteriore parte, aſcendant, ac quomodo ſe, et in quam numeroſos ramos ſpargant, eosque coniungant inter ſe continuentque. Cum hoc connectit Cl. Auctor. p. 35.

Caput *decimum*, de *arteriolis ex colliſione non permeabilibus et de earum obſtructione* non nulla tradens, eaque eadem illuſtrans figura. Conſpicitur hic exemplum arteriolarum ex colliſione, quam vulgo contuſionem vocant, ſic vitiatarum, ut non permeabiles redditae ſint. Sinciput colliſum fuerat, apparebatque colliſionis nota. Quum impleuit arterias peri- p. 37.

 tiſſimus

* *Diſſertat. de Vulnerum in inteſtin. lethalitate Vitemberg. 1720. 4.*

** *Diſſert. de inteſtin. in ſitu praeternatur. Lipſiae. 1721. 4.*

tiſſimus ALBINVS, nec penetrauit liquor in locum colliſum, neque alibi effluxit. Ex quo intelligi poteſt, non ruptas, ſed compreſſas, certe non permeabiles redditas ibi fuiſſe. Sunt etiam eo loci arteriolae, quae non per truncos ſuos utpote colliſos, impletae ſunt, ſed per ramos ſubtiliores, quibus coniunctae ſunt, cum ramulis non colliſarum, ex quibus liquor in eas penetrauit. Quis dubitet eodem modo humores, manente vita, ex arteriis non vitiatis in colliſarum ramos penetraſſe, per easque retrogreſſos ad locum colliſum uſque, ut per venas: et ex trunculis, in quos ſic retrogreſſi ſint, porro penetraſſe in ramulos eorum.

p. 40. In capite *undecimo* in *Ruyſchianum inuolucrum penis neruoſum externum, et tunicam celluloſam penis* inquirit Cl. Auctor, dubiisque remotis, omnia accuratius determinat. RVYSCHIVS in epiſtola anatomica quinta decima, ſex integumenta memorat penis, ordine hoc: epidermidem, corpus reticulare, cutem, inuolucrum neruoſum externum, membranam celluloſam, inuolucrum neruoſum internum. Fruſtra quaeſiuit exercitatiſſimus ALBINVS *inuolucrum neruoſum externum*, craſſum, admodum validum, quod RVYSCHIVS dicit: quare illud negat. Inter cutem vero, et quod vocat inuolucrum neruoſum internum, quod eſt corporum, quae neruoſa nominant, corium, quicquid membranacei interiectum eſt cum utroque coniunctum, enaſcenſque ex iis: id omne, quum cutem ſufflauit, diſtendi flatu animaduertit, diſtentumque exſiccari poſſe, ac ſic verti in membranam illam celluloſam. Vt igitur nil, niſi haec, inter cutem et corpora cauernoſa intermedium ſit, nulloque haec extrinſecus *inuolucro neruoſo* contineatur, ſed tantum modo cute: ita plane, ut quem vocant panniculum adipoſum: qui ſtatim ſub cute eſt. Sed quoniam *inuolucrum neruoſum externum* ſtatim poſt cutem recenſet RVYSCHIVS, ubi ta-

men

men non inuenitur, admodum probabile ex aliis eius, ſerius editis, reddit ſcriptis Cl. ALBINVS, RVYSCHIVM ſe feſelliſſe, et, ni ipſe fallatur, quem dudum exſiccauerat penem, contemplatum fuiſſe, hinc exſiccatam cutem pro tali habuiſſe inuolucro. Si autem inuolucrum nullum eſt, de uſu, ob quem, *ne penis in erectione validiore, iuſto craſſior et ineptior* p. 51. *euaderet*, quod BOERHAAVIVS, *limitare eius extenſionem* ait, neceſſarium eſſe docuit RVYSCHIVS, nunc omnino ſuperuacaneum, illi videtur dicere. Quod reliquum eſt, hoc unicum adhuc addit: eo, quod celluloſa multa ſit, neque pingue contineat, fieri, ut eius interuentu laxa per ſe cutis laxe cum corporibus neruoſis, hoc eſt, proprio penis corpore connectatur, totaque lubrica ſit, non tantum remiſſo, ſed etiam turgido intentoque.

In capite *duodecimo* de *teſte humano* quaedam profert. p. 54. Vnam ex venis ſpermaticis, qua parte ad teſtem pertinebat, haud procul ab eo impleuit per induſtrius Auctor, toto caeterum iuxta vincto et conſtricto funiculo ſpermatico. Detracta tunica, quam vocant albugineam, occurrunt multa vaſa impleta, quae penetrantia per eam, pulpae ſe portionibus, in quas diſtincta eſt, interſerunt, perque eas in ramos ſubtiles ſpargunt: uti ex ſubiecta figura videndum eſt.

Caput *decimum tertium coſtarum aberrationes* memorat. Inter reliquas naturae aberrationes, quas vidit Cl. Auctor, coſta eſt bifida embryonis, et tanquam in duas abiens, cuius icon etiam additur *. Vidit et duas, ad poſtremum coniunctas in unum.

In capite *decimo quarto* de *ungue humano*, *eiusque* p. 56. *reticulo:* idemque *de cutis loco*, *qui ungue tectus, atque de loci illius papillis* agit. Iam papillis ſub ungue cutis contecta tota eſt. Tenuiore orſu e cutis macula,

 quae

* Similem coſtam bifidam, ex adulto quidem homine, nos ipſi aſſeruamus.

quae lunulae unguis reſpondet, venientes, a principio aliquantum inflexae, recta ſe inde per longitudinem aliae iuxta alias ſpecie porrigunt filorum, extremis partibus ſuis non longe ab illo loco deſinentes, ubi eminere unguis incipit. Vt vero ab aliis cutis papillis, quem admodum ex modo dictis apparet, differunt, ſic differt quoque reticulum, cui inhaerent. Itaque foueolis non praeditum, ſed per longitudinem ſulcatim inciſum eſt, ſingulis ſulcis ſingulas papillas, qua eminent, continentibus aptisque ad eas.

Quum vero reliqua ſine icone recte intelligi nequeant, ad ſequens tranſimus caput *decimum quintum*, quod *naturam unguis* pertractat. MALPIGHIVS ex diligenti indagine in eam venit ſententiam, ungulam tum duriorem tum molliorem eſſe appendicem cuticulae et retis *. Neque aliter comparatam rationem unguis humani docet, Cl. Auctor: multaque praeterea ei et cuticulae communia eſſe. Igne, feruida maceratione, leui putredine, gangraena, poſtque graues affectiones, ut cuticula abſcedat, ſic abſcedere unguem. Quum ſimul abſceſſerint, apparere, quod continuata ſint. Vtraque quum deciderint renaſci: et quae ſequuntur. Conſimilem igitur utriuſque naturam eſſe.

p. 61. In Capite *decimo ſexto* examinat *cauſas alternae cordis ſyſtoles et diaſtoles*. Negat ex compreſſis et liberis neruis cardiacis recte explicari a BOERHAAVIO, eiusque diſcipulis, in phyſiologicis diaſtolen et ſyſtolen cordis. Haec expoſitio, ut ſpecioſa appareat, aſſerit tamen naturam refragari neruorum, utpote qui, quantum requireretur, preſſi, id moleſte ferant, oriente ex eo ingrata quadam affectione et ſtupore. Praeterea ab iisdem neruis, a quibus ramos cor accipit, accipiunt et auriculae: eoque ſi cordis illa paralyſis effectus eſſet compreſſionis neruorum, auriculae

* De ext. tact. Organ.

culae quoque paralyticae eodem tempore forent: contra quam fieri docent; utpote quum cordis diaſtolen, auriculaeque ſyſtolen ſynchronas eſſe dicant. Nec quid eſt in arteriis coronariis, unde auxilium petendum. De eo enim, quod per arterias non videatur accedere cauſa efficiens contractionem, ſatis ſibi videtur dixiſſe Cl. Auctor in hiſtoria muſculorum *, ut neceſſum non iudicet, repetere hic rationes, cur neque influens per arterias coronarias ſanguis inter cauſas efficientes cordis contractionem habendus ſit. Reuocat igitur ad memoriam, quae LOWERVS ** ſuper hac re ſcripſit, cuius opinioni aſſentiri videtur. Proprium nempe fibrarum carnearum muſculi officium contractio eſt. Cordis autem natura muſculoſa eſt, et muſculorum more agit. Indicant obſeruationes cor irritari, et ad contrahendum ſe cogi impulſo in ventriculos ſanguine. Irritatum contrahit ſe expellitque ſanguinem acceptum, quae ſyſtole eſt: ſimul atque expulit, ſublata cauſa, quae irritauerat, agere deſiſtit, ſeſeque remittit. Protinus tunc ex auriculis, ſinibusque a coepto ſanguine impletur, diſtenditur, quae diaſtole. Sed docent experimenta cor ſe contrahere, etiam ſi non diſtendatur ſanguine, aut irritatio non adhibeatur: e. g. in corde anguis, viperae, anguillae etc. Quid in his cor irritauit, impulitque ad ſe contrahendum? An ex conſuetudine, quamquam diſtendere aut irritare ſanguis deſierat, aliquandiu perrexit? Quaenam illa conſuetudinis vis? Quamuis autem, quid vis illa ſit, quomodo agitet, id non aſſequamur, modo diſcamus eam experimentis, non continuo neganda. Multa ſunt, quorum cauſam ignoramus, vim et effectum videmus.

Cum ſuperiore obſeruatione coſtae bifidae merito coniungenda eſt illa, quam de *coſtis quibusdam praeter* p. 72.

* Libr. I. cap. 3.

** de Corde cap. 2.

ter naturam paruis habuit Cl. Auctor, et in capite *decimo ſeptimo* nobiscum communicauit. Coſtas ſuperiores ab utraque parte primas perparuas in virili corpore reperit, tamque breues, ut longiores non eſſent, quam quanta eſt latitudo digitorum duorum. Spinae conſueto modo inhaerebant, ſed ad os pectoris non pertinebant, ſupplebant tamen ligamenta deducta ab extremis, oſſique pectoris annexa. Homo an commode ſpiritum duxerit, nec ne, reſcire non potuit Cl. Auctor *.

p. 73. In capite *decimo octauo* de *modo arrigendi* lectu digna adhuc annectit. Hunc eſſe aiunt: contendere ſe erectores penis, eoque venas comprimi, per quas ſanguis a corporibus penis neruoſis refluit: impleri igitur corpora illa ſanguine per arterias impulſo, eoque turgeſcentem penem conſurgere. Eodem modo corpus neruoſum urethrae tendi per acceleratores, comprimentes venas illius partis, quam bulbum appellant. Cogitatum quoque de aduocandis transuerſis perinaei, leuatoribus ani et ſphinctere. Certe eſſet, quum iam ſurrexit, intendi a nobis poſſe, et indurari. Sed an muſculi illi iacentem erigunt? Si erigerent, nonne poſſemus ſemper? et nonne etiam imperaremus intempeſtiuo et moleſto? Non paret imperio, et parere tamen dicuntur muſculi. Sed pareant: num ſufficiunt venis comprimendis? COWPERVS ** dudum animaduertit, compreſſionem illam poteſtatem habere in corpora neruoſa maiora, e qui-

* In eodem, cuius ſceleton adhuc conſeruamus, homine, qui coſtam bifidam, cuius ſupra meminimus, in dextro latere habebat, in huius ſiniſtro tredecim coſtae numerabantur, quarum ſuperior aeque parua eſt, atque a Cl. Auctore deſcribitur, et cum oſſe pectoris ſimiliter per ligamentum tantum connectebatur. Commode tamen hic homo ſpiritum trahebat. Sic diuerſae obſeruationes Cl. Auctoris in uno eodemque comprobantur homine.

** Myotom. reform. app. p. 240.

quibus praecipue conſtat: ideo, quod muſculi tantopere diſtant a corporum illorum vena magna. Quid ergo? An a ligamento ſuſpenſorio penis ad oſſa pubis attrahitur? Si ſic, quaeri poteſt, quid docuerit, illud ligamentum vi contrahendi praeditum eſſe, contrahendi quantum requireretur. Et ſi iam venae aut p. 78.
comprimerentur a muſculis, aut adſtringerentur latentibus, quibus circumplicati ſunt, laqueis nerueis: continuone caput leuaturum credemus? Quare omnino verendum putat Cl. Auctor, ne venarum quoque compreſſioni vale dicendum.

Qui autem factum, ut cogitatum non ſit de ſanguine abundantius irruente? mirabundus rogat. Fortaſſe quod non intelligebatur, quomodo abundantius irrueret. Sed praeter ſanguinem aliud quid eſſe, quo turgeſcat, GRAAFIVS iam animaduertit: hinc a ſpiritibus animalibus corporum neruoſorum tunicam diſtendentibus, maiorem hanc penis erectionem petiit. Quid vero illi ſpiritus? pergit quaerere. Quibus varie diſputatis, tandem ſic concludit Cl. Auctor: Vt corpus nobis dedit natura; ſic praeter vires alias indidit quoque libidinem procreandi. Roget quis, quid ſit? Reſpondebimus, eſſe quod percipimus, cui damus procreandi nomen libidinis: ſpiritum, ſi placeat, appelles. Vt naturam ignoramus corporum, quaedam, quibus ſe manifeſtant, attributa animaduertimus: Sic naturam illius libidinis ignoramus, quaſdam proprietates, quas exhibet, cognoſcimus.

In capite *unde viceſimo* et ultimo deſcriptionem p. 85.
et figuram canalis adhuc adiicit arterioſi, qualem inter prima ſua exercitia anatomica obſeruauit Cl. Auctor. Inuenit arteriam pulmonarem, ubi aortam ſubitura eſt, abire in canalem arterioſum, eumque ſecundum aortam procedere, cum eaque ſe curuare, donec in unum coniungantur infra ſubclauiae dextrae ortum.

III.

III.

Abhandlung von dem mineraliſchen Gehalt und mediciniſchen Gebrauch des im Marggrafthum Baden-Baden gelegenen warmen Bades, und der Mineralbäder überhaupt. In demonſtrativiſcher Lehrart geſchrieben, nebſt einem Anhange von dem Gebrauch der Euclidiſchen Lehrart in der Medicin, und einigen beſondern Verſuchen. Strasburg, 1756. 8. 13 *Bogen.*

i. e.

Tractatus de partibus conſtitutiuis et virtute medica thermarum Badenſium, et thermarum in genere: Acceſſit tentamen de methodi Euclideae uſu in medicina, una cum experientiis quibusdam. Argentorati, 1756.

Praeſentis libri auctor, quem non nulli Argentoratenſem Medicinae Doctorem Cl. WIDMER, qui *Chemiam corporis animalis*, et *Theoriam lactificationis*, quos libros pag. 81 et 91 ipſe citat, ſcripſit, eſſe perhibent, nouam opinionem de fontium calidorum, ſeu thermarum, cauſa caloris proponit: quare eius tractatum noſtra in primis dignum iudicauimus attentione. Aquae, quae ei ſcribendi dedere occaſionem, ſunt thermae illae celebres *Badenſes,* in Marchionatu Badenſi prope Rhenum proſilientes.

p. 1. *Primum* caput hiſtorico-phyſicam harum thermarum continet deſcriptionem, fontesque ſex eſſe narrat, quorum aquae in uſum vocantur. Qui copioſiſſimam emittit aquam, primarius fons, ab aliis etiam *origo*, dicitur. Reliqui a ſignis, quibus hoſpitia his fontibus ſuperſtructa, diſtinguuntur, accepere nomen. Harum thermarum antiquitatem lapidis

pidis inſcriptio, M. AVREL. ANTONINO PIO ſa- p. 7.
cra, probat, quae in templo epiſcopali legitur, et adhuc hodie adſeruatur.

Secundum caput horum fontium partes conſtitu- p. 10.
tiuas ita exponit, prout illas Cl. Auctor reperit: ubi vero dolendum, illum experientias non ad fontes ipſos, ſed Argentorati, quod aliquot lapides diſtat, inſtituiſſe; hoc enim illas reddere potuit dubias. Nam ex Cl. SEIPII aliorumque doctorum mineralium aquarum ſcrutatorum ſententia, harum aquarum indoles tempore et quiete omnino mutatur, dum pars alcalina, qua pleraeque thermae initio abundare videntur, ab acida abripitur, nouusque generatur ſal, qui neuter dicendus. Hac tamen occaſione fateri debemus, poſt coctionem Cl. Auctorem minime eiusmodi ſalem neutrum amarum, quem plerique fontes medicati dant, ſed verum ſalem communem, ſeu culinarem accepiſſe: quo facto ſupra allatum dubium ex parte tollitur, niſi quis dicat, ſalem neutrum cum ſale communi commixtum fuiſſe. Sed miſſum hoc facimus, et Cl. Auctorem porro audimus. Salem communem non ſolum ex figura cryſtallorum, quas nactus eſt, ſed etiam praeſertim ex eo probat, quod, addendo hunc ſalem *aquae forti*, veram inde parauerit *aquam regis*, qua aurum poſt ea ſoluit. Quantitatem ſalis, recrementum, quod poſt coctionem et deſtillationem in fundo vaſis remanſit, determinauit. Acquiſiuit autem ex triginta unciis aquarum quadraginta tria vel quinque grana ſalis communis. Initio quidem ex odore, ouis putridis ſimili, quem aqua putreſcens de ſe ſparſit, ſulphur ineſſe aquae coniecit, ſed repetitae experientiae illud non firmarunt. Hunc tamen odorem putridum, quem cum hepatis ſulphuris foetore reperit conuenientem, nouae ſuae hypotheſi, de terra gypſea formatae, fauere credit. Contendit enim lapidem gypſeum, fortiſſimo igne coctum, quod calcinatum

cinatum chemici dicunt, quando cum aqua miſcetur, eundem odorem ſulphureum ac oua putrida, de ſe ſpargere, tamen nec in illo nec in his ſulphur inueniri, quare ex ſimilitudine odoris ad praeſentiam terrae cuiusdam, praeſertim gypſeae, ideo concludit, quia ab acidis non ſoluitur, quod omnino fieri deberet, ſi alcalinae eſſet indoles. Comparat porro hanc terram ob mucum pinguem, quem prope ſcaturiginem in aqua ſtagnante obſeruauit, et a terra illa gypſea oriri aſſerit, cum recremento illo caſeoſo pinguique butyri, quod ope aquae et coctionis a butyro recenti abluitur, et ſub forma cryſtallorum praecipitatur. Gypſeam igitur terram, partem albuminoſam ouorum, et materiam caſeoſam pinguem conuenientiam inter ſe habere, et eiusdem fere eſſe proſapiae a Cl. Auctore adfirmatur, id quod hypotheſi nimis indulgere, nobis quidem videtur; ſiquidem partes minerales et animales, chemice conſideratae, *eſſentialiter*, ut philoſophi loqui ſolent, inter ſe differre creduntur.

p. 32. Sed ſequamur Cl. Auctorem in ſua hypotheſi. Ex terra illa gypſea, quae ſub flocculorum forma in aqua thermali, dum quieſcit, vel coquitur, fundum petit, prope fontem formatur tophus, quem in *tertio* capite conſiderat et octo huius tophi ſpecies refert. Etſi omnes ſunt gypſeae naturae, tres tamen priores ſunt puriſſimae, et poſt coctionem in igne fortiſſimo, quod chemici calcinationem vocant, verum dant gypſum. Quarta cum arena quadam, quae ab acidis mineralibus ſoluitur, eſt mixta, et ideo alcalini quid prodit, tandem vero terram eſſe ochraceam per experientias Cl. Auctor reperit. Quinta crocum ferri continet, et ſic reliquae.

p. 61. In *quarto* capite theoretica disquiſitio harum thermarum legitur, et noua opinio, quam de cauſa caloris thermarum habet, explicatur. Quum hae aquae neque vitrioli, neque aluminis, neque ſulphuris

ris relinquunt veſtigium, ſed tantum ſalem commu-
nem terramque gypſeam continent, negat Cl. Au-
ctor pyritis cuiusdam ſulphurei, vel carbonum foſſi-
lium motum inteſtinum, vel efferueſcentiam, ope
cuius aqua incaleſcit, huius caloris, uti in reliquis
thermis, eſſe cauſam. Hanc potius in pingui illa ter-
ra gypſea, eiusque ab aqua facta ſolutione, quam
noſtri *die Verwitterung* adpellant, et inde orta fer-
mentatione quaerit, qua aquam feruere credit. Hanc
vero terram gypſeam poſſe fermentare, in capite ſe-
cundo vidimus. Quod ſi igitur tali corpori, quod
proprietatem et procliuitatem ad fermentandum ha-
bet, aqua accedit, quae omnis incipientis fermenta-
tionis cauſam continet, non dubitandum eſt, quin
haec eueniat, et motu progreſſiuo aquae praeter-
fluentis augeatur et conſeruetur. Montes autem ad-
iacentes, ad quorum radices thermae hae proſiliunt,
eiusmodi terra copioſe eſſe repletos, Cl. Auctori ad- p. 81.
modum probabile videtur, licet ne unicum quidem
argumentum afferat, quo praeſentia huius terrae in
montium *Badenſium* probetur cryptis. His praemiſ-
ſis cauſam caloris plurimarum thermarum, praeſer-
tim *Hapspurgenſium* et *Wisbadenſium* ex ſimilis terrae
pinguis fermentatione deriuat, in quarum numerum
et claſſem etiam *Aquisgranenſes* referre annititur:
de quibus autem certiores ſumus, eas a feruentibus
vicinis anthracibus acquirere calorem. Quod vero p. 83.
ad ſulphur Aquisgranenſe attinet, certe fallitur Cl.
Auctor, ſi illud pſeudo-ſulphur eſſe putat. Quum
enim ipſi ſulphur ex fonte *Aquisgranenſi* exemimus,
idque cum omni examinauimus attentione, propria
experientia edocti, fidem Cl. Auctori facere poſſu-
mus certiſſimam, illud verum ac genuinum eſſe ſul-
phur, quod omnibus ſulphuris factitii gaudet pro-
prietatibus. Hoc et illum docebunt BLONDEL,
HVESCH, LE SOINNE, et SPRINGSFELD, qui
de thermis Aquisgranenſibus ſcripſerunt.

In naturam illius terrae inquirens, eam originem ſuam habere aſſerit Cl. Auctor ex pingui quodam Talco, quod in aere dilapſum eſt, (*Zerwittert*) licet hoc Talcum immaturis adnumerare mallet gypſis. Saponaceam illam dicit, quia pannorum maculas delet, tactuque pinguis eſt. Sequentibus autem notis hanc a reliquis diſtinguit terram. Primum quod cum acidis non efferueſcat: deinde quod in aqua, uti argilla, licet non plenarie ſoluatur, id quod oleo cuidam, terrae argillaceae admixto, tribuit. Ex his denique concludit, terram hanc pinguem ſeu ſaponaceam nil aliud eſſe, quam argillam cum oleo coniunctam: et idem hoc de immaturo illo lapide gy-
p. 87. pſeo adſeuerat. Hunc autem lapidem propter compoſitionis rationem prae aliis aptum cenſet ad fermentandum, atque calorem gignendum, acceſſu ſcilicet aquae eiusque motu inteſtino ac progreſſiuo. Salem quoque communem thermarum ſub hac fermentatione generari ſibi perſuadet, et pari quidem ratione, ac ex albumine oui, quod ſale communi prorſus caret, huius vitellum fieri affirmat, quod ſale deinde communi praeditum eſſet, licet haec explicatio, niſi nos omnia fallunt, a veri ſimilitudine nimis recedere videtur.

p. 101. Sed pergimus ad *quintum* caput, quod de virtute medica thermarum *Badenſium* agit. Hanc praecipue in illa terra pingui ſaponacea ponit, quam humectare, mollire et rigida laxare aſſerit. Virtutem vero roborandi, fibras ſtimulandi, tonumque vitalem reſtituendi in ſale ipſo, dein in croco martis, et tandem in terra ferri quaerit, quibus *Badenſes* aquas demonſtrauit abundare. Et haec eſt ratio, cur harum thermarum uſum in primis in morbis laudet chronicis: detergendi enim virtute illas pollere teſtatur. Sed cruditates quoque tam per aluum, quam per urinam has aquas eliminaſſe obſeruauit: hinc in viſcerum obſtructionibus et cacochymia earum uſum, propter

propter vim laxandi, quam habent, magni facit. E contrario in viſcerum laxitate atque debilitate, ut et in corporibus laxis, tumidis et glutinoſo ſpontaneo abundantibus illas defendit, certiſſime perſuaſus, quod morbi cauſam augeant. Ex eodem fundamento effectum explicat, quem in non nullis perſonis praeſtent hae thermae, ſi externe adhibentur. Cutem enim ſcabioſam faciunt, acremque materiam ad exteriora alliciunt, quam virtutem non ſolum ſalibus, ſed etiam calore aquarum adiuuari, admodum reddit probabile. Hac occaſione praeconceptam refellit opinionem, qua aquae hae calidioribus creduntur ſubiectis propter ea nocere, quia calidae ſint. Magnam enim differentiam inter calide adplicata et calefacientia intercedere multis probat argumentis. Calorem *actualem*, ut philoſophi aiunt, illis concedit, ſed *potentialem* recte negat.

Sextum caput tempus, modum et rationem ther- p. 128.
mis utendi praeſcribit. Multae hic regulae communes obueniunt, quae etiam in aliis thermis in uſu ſunt, et obſeruari debent, quare his enarrandis facile ſuperſedemus. In *ſeptimo* capite non nulli refe- p. 145
runtur morbi, qui hiſce curati fuere thermis.

Appendicis loco reperitur tentamen, ſeu diſcurſus de uſu methodi mathematicae in medicina, cui non nullae adiiciuntur experientiae. Poſtquam methodum mathematicam recte diſtinxit Cl. Auctor ab ipſis diſciplinis mathematicis, primum poſſibilitatem, ut ait, methodi mathematicae, ſecundo eius neceſſitatem, tertio modum, quo adhiberi debet in medicina demonſtrandum in ſe ſuſcipit. Poſſibilitatem exinde probare annititur, quod aliae diſciplinae a Cl. WOLFIO hac methodo fuerint pertractatae: qua occaſione Cl. SCHREIBERVM Petropolitanum iuſto p. 168.
acrius reprehendit, num recte? dubitamus. De ſe ipſo autem nimis glorioſe, ſi recte quidem iudicamus, loquitur, quando clare expreſſis verbis dicit:

Se didiciſſe atque elegiſſe artem medicam eo fine, ut in illa id praeſtaret, quod in philoſophia Cl. WOLFIVS. *Sibi autem ipſi,* dubitamus an aliis? *cognitum eſſe* pergit, *ſe ſcopum iam attigiſſe,* ſuoque propoſito iam ſatis feciſſe, *quid? quod ſe methodum mathematicam et certitudinem iam introduxiſſe in mineralogiam, chemiam, medicinam et chirurgiam pari fortuna, ac* b. WOLFIVS *in philoſophiam practicam,* quae vero, ut verum fateamur, nobis ignariſſima ſunt.

Neceſſitatem deinde methodi mathematicae in medicina ex eo euincit, quod circa ſanitatem et vitam, ceu partem hominis nobiliſſimam agat medicina. Denique modum, ſecundum quem adhibenda ſit methodus mathematica determinat: ubi EVCLIDEM in Geometria, et Ill. WOLFIVM in Metaphyſica et Iure naturae imitandos proponit, multaque lectu digna adnectit.

Vt rem vero exemplo illuſtret, periculum ipſe facit, et in fine experientias quasdam de cruore ſanguinis, eiusque ſero, de albumine ouorum, ſimilibusque ſuccis, de bile, pinguedine et lacte adducit, eorumque ſucceſſiuas mutationes, quas fermentationes dicit, obſeruat, ex his concluſiones cogit, quas methodo mathematica demonſtratas, ideo indubitatas eſſe veritates autumat. Quilibet hic cognoſcet, methodum quidem eſſe optimam et tutiſſimam, nihilo tamen minus ipſa hac methodo perſaepe veritates mere hypotheticas erui, et pro veris agnoſci, ſi ſcilicet praemiſſae propoſitiones hypothetice, ut philoſophi loquuntur, tantum ſunt verae, id quod multis, ſaepe etiam non credentibus, cur non et Cl. Auctori? facile obuenit.

IV.

IV.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la Phyſique et ſur la Peinture, avec des Planches imprimées en couleur; par Mr. GAVTIER, de l'Académie des Sciences et Belles-Lettres de Dijon, et Penſionnaire de Sa Majeſtè. Partie VII-XII. Année 1753 et 1754. à Paris, chez Delaguette. 4. maj. alph. 2. pl. 8. tab. aen. 19.

i. e.

Obſeruationes ad hiſtoriam naturalem, phyſicam et artem pictoriam pertinentes, cum tabulis viuis coloribus expreſſis, auctore GAVTIER. Pars VII ad XII. Anni 1753 et 1754.

Obſeruationum, quarum duos iam tomos indicauimus, tertius in praeſens a nobis recenſendus eſt. Duos annos hic tomus tertius complectitur, quum unum priores complexi fuerant; annus autem quilibet tribus conſtat partibus, ut coniuncti ſex partes tomi praecedentis aequent.

Hiſtoriae naturalis Obſ. 1. Librum, qui ſub titulo: *Hiſtoire naturelle de l'Ame* prodiit, ſub examen vocat, et contra materialiſtas, qui vocantur, pugnat. p. 6.

Obſ. 2. eumdem laborem continuat occaſione libri, Cl. LE CAMVS, Doct. Med. *la Medecine de l'Eſprit* vocati. Vnicum huius medicinae ſpecimen ex GAVTIERII relatione adducere liceat. Iudicii defectus huic auctori debilitas (*affaiſſement*) cerebri eſt aut ſubitaneus defectus ſpirituum animalium. Illi medetur venae ſectione, purgationibus refrigerantibus, acidis relaxantibus, balneis, potionibus ſubaci- p. 17. p. 37.

 dis,

dis, ſalibus nitroſis, alimentis blandis, emollientibus, laxatiuis, frigidis, acidis.

p. 38. *Obſ.* 3. Cl. DE BVFFON ſententiam de generatione examinat. In ſemine bombycis, dum veneri operam daret, expreſſo GAVTIER globulos quidem vidit iis, quos Cl. DE BVFFON deſcribit, ſimiles, ſed motu omni carentes, niſi quem a ſolis vel candelae illuminantis calore, aut pondere ſuo obtinebant. Comparat illos cum bullulis aereis, ex aqua adſcendentibus, et aerem hunc erumpentem caudas effingere credit, quibus Cl. LEEVWENHOEK animalcula ſpermatica, quae ſibi hic deprehendere videbatur, ornauit. Non magis igitur haec phaenomena, pro animalculis cum LEEVWENHOEKIO habenda eſſe, quam pro moleculis organicis viuis cum Cl. DE BVFFON.

p. 47. Subiicit huic obſeruationi conſilium, ut, in publicis anatomiae et chirurgiae ſcholis, geometriae et delineandi arti ſimul ſtudeatur; anatomicum enim his ſubſidiis deſtitutum, nec ipſum edere poſſe reperta ſua, nec pictori anatomes imperito ſatis explicare, aut operam eius, ut decet, emendare.

p. 49. *Diſceptationes philoſophorum* primos duos articulos habent de terrae motibus, unus quidem ſuperiori anno abruptum continuat, alter de praedicendis ter-
p. 56. rae motibus coniecturam Cl. GAVTIER continet. Obſeruaſſe vult in oppoſitione ſolis et lunae contigiſſe, ipſos enim terrae motus ab actione horum aſtrorum deducit. Hiſtoria Limae deſtructae ſimul uberius recenſetur.

p. 60. *Artic. III.* Cl. BILLET animaduerſionem in ſententiam Cl. BERRYAT de modo quodam filum cannabinum igni exponendi, ut ab eo non comburatur, exhibet. Filum ſcilicet ferro aut alii metallo circumuolutum, per longum ſatis tempus igni expoſitum, durat, donec metallum incandeſcat. Cl.

BER-

BERRYAT credit hoc inde eſſe, quod metallum particulas igneas ad ſe trahat, donec iis ſatis repletum ſit: Cl. BILLET exiſtimat fili combuſtionem ab humore impediri, qui metallis omnibus inſit, et igne ad extrema proliciatur.

Artic. IV. ridet GAVTIER narrationem Londini publicatam, virum in cryptis, unde lithanthraces effodiuntur, ſuffocatum, halitu chirurgi intruſo, ſanguineque miſſo, ad vitam eſſe reuocatum, illamque comparat cum hiſtoriis, feminae felem enixae, item oſſium partus per anum editorum, Londini enim ſimilia ſaepius euenire iocatur. Sed nos, etſi eius quidem hiſtoriae, quam impugnat, veritatem tueri non audeamus, probabiliorem tamen multo exiſtimamus, reliquis duabus. p. 64.

De diſceptationibus philoſophorum articulus *ſecundus* Cl. LE CAT opponitur, qui Cl. ROVSSEAV ſcriptum illud aduerſus litteras et doctrinas omnes, quod Academia Dionenſis (*Dijon*) praemio ornauit, impugnauerat. p. 65.

In parte octaua hiſtoriam naturalem ſpectant:

Obſ. 4. quaedam de ſenſu viſus adfert, in primis camerae obſcurae uſum ad pictoriae artis regulas inde cognoſcendas oſtendit, et complures obſeruationes ad artem pictoriam facientes adducit, ſimul contra Cl. DE BVFFON ſententiam de viſu, quod ſcilicet infantes euerſa obiecta et duplicia videant, pugnat, deinde figuras, theoriam viſionis et oculi ac neruorum eo pertinentium ſubiicit. p. 77.

Obſ. 5. eſt b. NOEL COYPEL, pictoris regii, *de eſſentialibus picturae* cum notis GAVTIERII. p. 97.

Obſ. 6. *de generatione bombycum* agit et in Cl. MALPIGHIO quaedam reprehendit, ut: quod in veſica phalenae bombycis maſculae excrementum colligi dixerit, cum fetus in liquore natantes ibi deprehen- p. 114.

prehendantur, item quod per anum excrementa haec eiici dixerit, cum anus in phalaena non amplius exſtet, ſolis partibus generationi inſeruientibus ſuperſtitibus.

p. 133. *Obſ.* 7. *Vorticibus Carteſianis* opponitur, addito de rebus eo pertinentibus dialogo.

Pars nona hiſtoriam naturalem illuſtrantes obſeruationes ſequentes complectitur:

p. 141. *Obſ.* 8. Cl. ISNARDI conſilia *de moris albis plantandis* repetit, iam anno 1665 edita. Continentur illis varia quoque de bombycibus educandis, et GAVTIER ea elegantibus tabulis illuſtrat.

p. 168. *Obſ.* 9. de *electricitate* agit, cauſas eius, quales GAVTIERIO videntur, enarrat et WINKLERI noſtratis, NOLLETI, FRANKLINI cogitata expendit.

Pars decima, quae prima eſt anni 1754, ex hiſtoria naturali petitas obſeruationes exhibet ſequentem in modum:

p. 1. *Obſ.* 1. Ea diiudicat, quae in ſcriptis quibusdam periodicis anni 1753 de picturis eo anno publice in *Lupara* (Louvre) expoſitis dicta ſunt, in primis a Cl. FRERON in diario non gallorum (*journal etranger.*)

p. 14. *Obſ.* 2. eamdem tractationem continuat.

p. 21. *Obſ.* 3. *ſyſtema Reuer. Abbatis* DE BRANCAS *phyſicum* exhibet, ad latus poſita epicriſi perpetua GAVTIERII.

p. 42. *Obſ.* 4. *De morbis urethrae* agit et Cl. DARAN, qui de his ipſis morbis anno quadrageſimo octauo obſeruationes et ſequenti epiſtolam edidit, Auctorem habet. Varias dyſuriae cauſas ſummatim recenſet et quasdam accuratius conſiderat. De abbreuiatione fibrarum urethrae, et inde de abuſu adſtringentium primo loquitur, inde ad calloſas cicatrices et carunculas,

culas, in hoc canali excreſcentes, deſcribendas pergit. Hac occaſione Cl. GAVTIER tabulam adiecit, quae genitales partes viri exhibet, minus tamen accuratam, cum oſtia glandularum, in urethra conſpiciendarum, et lacunae a MORGAGNIO, COWPERO et TERRANEO deſcriptae et delineatae, quae ad hanc doctrinam praecipue ſpectant, non expreſſerit.

Obſ. 7. quae quartae immediate poſtponitur, *hypotheſin* Cl. DE BVFFON *de planetarum origine* a fruſtis cometae impetu a ſole disiectis impugnat. p. 52.

Obſ. 8. Cl. DIDEROT *de interpretatione naturae* cogitata examinat. p. 58.

Pars undecima:

Obſ. 1. *de anima brutorum* agit. p. 4.

Obſ. 2. *de ſomno brutorum*, quem oſtendere credit animas brutorum eſſe immateriales. p. 24.

Obſ. 3. *de morſu viperarum* agit. An feminae inter viperas ſint, neſcit, ipſe non niſi mares diſſecuit. Si feminae nullae ſint, ſi nullae repertae cum ouis embryonibus nutriendis, aut ſi quadrupedum more viuos non edunt, nouum id argumentum habet ſententiae ſuae contra ouipariſtas. Tam confidenter ignorantia ſua utitur! De veneno vero viperarum ea, quae Cll. REDI et CHARAS dixerunt, repetit, additis duabus epiſtolis eo pertinentibus, nondum, ut credit, editis. p. 28.

Obſ. 4. Cl. BLASII *diſſectionem viperae* edit. p. 39.

Obſ. 11. (intermedias non reperimus) *de nouis diſſectionibus viperae et generatione illarum* agit. Legimus hic GAVTIERIVM embryones, quos credit, in rana mare Regi et medicis oſtendiſſe, cumque ipſi obiiceretur, eſſe illos corpora aliena, deinde quaeſitos in femina etiam reperiſſe, sed non adhaerentes, fortiores multo, et tarde ſatis ſcilicet poſt unicum menſem. Haec ut diligentius ſcrutentur, phyſicis commendat. Monet deinde, recentiorum p. 45. p. 46.

P 5 poſt

poſt BLASIVM neminem viperas diſſecuiſſe, in quibus non partes internas ſimiliter conformatas repererit, neminem illarum coitum vidiſſe, et hinc varia contra ouipariſtas infert.

p. 53. *Obſ.* 5. Cl. ZAMPONI Diſſertationem de vermibus inteſtinalibus citat, quam nos alibi expoſuimus *, eamque ideo adduxit, quo ſuam confirmet opinionem viperas ſine congreſſu opus generationis abſoluere.

p. 54. Huic Parti primum ſubiicitur *Promtuarium philoſophicum*, (*Magazin philoſophique*) in quo ſupplementum obſeruationum phyſicarum continetur. Auctor ſcilicet ex variis diariis eruditorum colligit, quae ad rem ſuam faciunt, et epicriſes ſuas addit.

Pars duodecima:

p. 83. *Obſ.* 7 Cl. RICHARDSONI *iter italicum tabularum pictarum recenſendarum cauſa inſtitutum*, ex anglico gallicum factum, editur.

p. 96. *Obſ.* 8. Idem iter continuat.

p. 123. Subiicitur *promtuarium philoſophicum*, ſub cuius finem Auctor multa habet de legato Stolpiano, inprimis carpit, quod tectis nominibus mitti debeant diſſertationes, et ſoli academiae, non vero alias edi. Ex quibus animaduerſionibus ingenium viri ſatis elucet veri amans, ſed ſententiarum ſuarum tenax, etiam cum de illis rebus iudicium ſibi ſumit pictor, quae effati Apellis admonere illum debebant.

* vid. Raccolta d'opuſcoli ſcientifici et filologici, Tomo XLVII. n. 4. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. IV. p. 647.

V.

GEORGII EVERHARDI RVMPHII, Med. Doct. et in Amboina Conſulis. Herbarii Amboinenſis Auctuarium reliquas complectens arbores, frutices ac plantas, quae in Amboina et adiacentibus demum repertae ſunt inſulis, omnes accuratiſſime deſcriptae et delineatae iuxta earum formas cum diuerſis indicis denominationibus, cultura, uſu ac viribus nunc primum in lucem editum et in latinum ſermonem verſum cura et ſtudio IOANNIS BVRMANNI, Med. Doct. et Botan. Prof. Amſtel. qui varia adiecit Synonyma ſuasque obſeruationes Amſtelaedami, apud Mynardum Vytwerf et Viduam ac filium S. Schouten. 1755. fol. alph. 1. tab. aen. 30.

De Herbario Amboinenſi, erudito et ſplendido opere, a Cl. RVMPHIO collecto et belgice deſcripto, a Cl. BVRMANNO in latinum ſermonem verſo et edito occaſione ſexti tomi, qui anno quinquageſimo huius ſeculi prodiit, mentionem iniecimur *. Laudauimus ibi utriusque Viri ſtudium, ideam totius libri indicauimus et non nulla notatu digna excitauimus, nunc denuo debita cum laude commemorandus eſt Cl. BVRMANNVS, qui uti in aliis operibus botanicis ab ipſo editis ſumtibus non pepercit nec laboribus, ſic in hoc opere perficiendo ultimam manum feliciter appoſuit. Ipſe enim RVMPHIVS poſt Herbarium Amboinenſe abſolutum varias plantas inuenerat huic collectioni addendas, quae, licet forte indigenae non eſſent, ex vicinis tamen prouinciis in Amboinam delatae, in terra illa laeta cepe-

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. II. p. 175.

ceperunt incrementa. Ex his non nullas hic deſcriptas tantum, alias vero ſimul in triginta tabulis additis adumbratas deprehendimus. Varias quidem obiter indicatas inuenimus, quoniam in praecedentibus tomis iam declaratae ſunt, aliae vero accuratius deſcriptae occurrunt, ita tamen, ut, cum verum floris ſcrutinium non ſuſceptum fuerit, barbaris tantum nominibus ex uſu potiſſimum deſumtis inſigniri potuerint. Sic: *Boa maſſi* ob fructus dulcedinem; *Cadoja* arbor ſebi ob oleum, quod inde elicitur ſpiſſum et butyro ſimile; *Culit api* cortex igneus a feruido ſapore, qui in eo obſeruatur; *Malowaſſi* cortex filarius, quoniam ex libro ſubtilia fila ducunt ad veſtimenta contexenda apta; *Caju Morſego* arbor veſpertilionum, quoniam veſpertiliones fructibus veſcuntur. Aliae tamen plantae hic recenſitae ad vera genera veras que ſpecies iam reductae ſunt, ita, ut easdem cum aliis nominibus in ſcriptis botanicis occurrentibus comparare potuerit Cl. Editor. Sic enim exhibetur deſcriptio et icon *Mirobalani embilici*, qui eſt *Phyllanthus foliis pinnatis floriferis caule arboreo*, *fructu baccato*. LINN. ſp. pl. 982. *Caju-Landac* ſiue frutex hyſtrix eſt *Barleria ſpinis axillaribus quaternis foliis integerrimis*. LINN. ſp. pl. 636. *Raiz de Mongo* radix muſtelae ſpeciem ligni colubrini ſiſtit, plures enim huius dari ſpecies oſtenditur, et ad OPHYOXYLVM LINNAEI referri poteſt. *Daun-Curap*, Herpetica eſt *Caſſia foliolis octojugatis ouali oblongis*, *interioribus minoribus*, *petiolis e glanduloſis ſtipulis patulis* LINN. ſp. pl. 378. *Patta Tulang* oſſifraga lactea, quoniam fractis oſſibus mederi dicunt incolae, eſt *Euphorbia inermis fruticoſa*, *ſubnuda*, *filiformis*, *erecta*, *ramis patulis determinante confertis* LINN. ſp. pl. 452. Relinquamus alias plantarum exoticarum ſpecies, in hoc auctuario definitas, et ſpeciminis loco pauca de radice ſinica Ginſing, et de radice chinae addamus

So m

Som dicitur planta, ex qua radix pretioſa depromitur, inde ſinenſium *Jinſom*, quod nominibus *Ninſin* vel *Ginſing*, uti in vocabulis ex peregrinis his linguis petitis fieri ſolet, occaſionem dedit. Icones plantae a RVMPHIO exhibitas addere noluit Editor, cum ex imaginatione Medici ſinenſis, qui plantam olim viderat, effectae ſint *, magnam tamen conuenientiam ratione figurae foliorum cum icone habere videtur, quam Cl. BVRMANNVS a planta in Sina iuſſu conſulis WITTSENII picta, depromſit, et huic auctuario Tab. XXI. inſerere curauit **, quae tamen toto habitu ab ea differt, quam ſupra citauimus ***. Ex vetuſtis vero Sinarum ſcriptis et ex aliis recenſionibus cognouit RVMPHIVS radicem tunc, quando colligitur, herba ſua deſtitutam eſſe, nocte itaque in illam inquiri, ubi caput ex terra eminens ſplendore aliquo ſingulari cognoſcitur, quo, loco notato futuro die ab iis effodiatur, quibus collectio rarae huius radicis conceſſa eſt. Hanc cum petroſelini vel apii radice comparat Noſter, et denſas pallide flaueſcentes, externe nigris circulis diſtinctas optimas eſſe perhibet. Radices vero craſſitie differunt, ita tamen, ut maximae, quae pretioſiſſimae ſunt, digiti craſſitiem aequent, leues et fungoſae reiiciuntur, denſae praeſtant, quae dulcem ſaporem ſine acrimonia et feruore referunt, non tam grauem, quam liquiritiae. Radicem tantum deſcripſimus, cum ea, quae de planta proferuntur, imperfecta ſint, eam quoque ſolam ob raritatem magni faciunt Sinae, et ſuperſtitioſi eandem inſtar p. 42.

* Videntur cum illis conuenire, quae in Ephemeridibus Nat. Cur. ad annum 1686. obſ. 39. p. 74. ruditer exprimuntur, in primis cum illa figura, quae Jinſom Medici ſinenſis ZAVQII (SVYKY) dicitur.

** vid. loc. cit. fig. I. CLEYERI *Gin-Seung*, quae huic ſimillima eſt.

*** vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. I. p. 133.

ſtar laris ſeruant, cuius rei cauſa etiam in eo poſita eſſe videtur, quoniam, ut mandragorae radix, inter dum aliquam, cum homuncione ſimilitudinem refe rat. Licet vero tanquam panaceam in omnibus morbis adhibent, praecipue tamen drachmam circiter inciſae huius radicis inſtar herbae thee infundunt, et in reſtaurandis viribus per morbum grauem et diuturnum aliasque cauſas amiſſis maxime commendant, ſenibus vero magis utilem, quam iuuenibus pronunciant, non tantum enim vim nutriendi, ſed et calidam quandam indolem adſcribunt.

In obſeruatione addita Cl. BVRMANNVS diſſenſum botanicorum circa plantam, ad quam radix Ginſing pertinet, indicat, cum ille ob foliorum, florum, fructuum, immo totius habitus plantarum delineatarum differentiam, nullo modo conciliari poſſit. Iconem, quam ipſe exhibuit, ut ſupra monuimus, iuſſu WITSENII Conſulis in China depicta eſt; aliam quoque habet, quam laudatus Vir in Iaponia delineare curauit, et quam proxime in tomo tertio horti amſtelodamenſis, in quo opere egregie inſtruendo laborioſiſſimus BVRMANNVS nunc occupatus eſt, exhibebit, cum planta etiam ex ſemine nata in dicto horto floruerit. Varias itaque plantas eſſe, quae radicem hanc, demulcente, nutriente, immo analeptica virtute praeditam, obtinent, in variis regionibus China, Iaponia, Virginia et Canada reperiri, easque non ſpecie tantum, ſed genere quoque differre, non ſine ratione aſſeri poterit. Hinc quoque patet, omnino neceſſarium eſſe non tantum nomina, formam et virtutes partium vegetabilium officinalium recenſere, ſed et accuratas totius plantae in primis florum et fructuum deſcriptiones addi debere, quo ad vera plantarum genera et his ſubiectas ſpecies reduci queant.

p. 72. Planta quae veram et genuinam medicis exhibet radicem chinae Tab. XXX. delineatur, et eſt *Smilax*

ſormen-

ſarmentis ſpinuloſis, ſinuoſis, foliis quinqueneruiis, utrinque cordatis, et *Smilax caule aculeato, teretiuſculo, foliis inermibus, ouato cordatis.* LINNAEI ſp. Pl. p. 1029. n. 5. Haec ex codice plantarum, Iaponenſium a Cl. WITTSENIO collectarum et viuis coloribus pictarum, depromta eſt. Radix craſſa, valde extenſa, lignoſa inaequalis, externe ruffa interne albida et farinacea * in maiores partes diſtincta eſt, ex huius radicis centro ſimplex exſurgit ſarmentum, compreſſum, lignoſum, ſpinulis undique obſitum, in flagella articulata et flexuoſa diuiſum. Exſurgunt vero potiſſimum ex articulis membranae, ex lata baſi acuminatae in capreolos deſinentes, quibus vicinis plantis annectitur haec noſtra. Simili modo folia excreſcunt curtis et craſſis petiolis inſidentia, glabra, laete virentia, ſolitaria, in orbem quaſi extenſa, vel potius utrinque cordata, cum non tantum ad petiolum, ſed et in ſummitate deliquium patiatur, quinque neruis ad baſin prodeuntibus et poſtquam diſceſſerunt, ad ſummitatem iterum concurrentibus. Iuxta membranam capreolo inſtructam racemi excreſcunt florum, qui reſpectu plantae puſilli ſunt, hexapetali herbacei ſtaminibus ſex et ſtylo turbinato inſtructi. Baccae, quae ſequuntur, globoſae ſunt parum acuminatae, glabrae, rubentes, non ſuccoſae, ſaporis auſteri, triloculares, pauca ſemina acuminata et ſimilu raria continentes. Aliae plantae v. c. Senecionis ſpecies ſpuriam chinae radicem exhibent, noſtra omnino ad ſmilacis genus referri meretur, ſunt tamen et non nullae aliae ſmilacis ſpecies, quae radicem noſtrae quodam modo ſimilem exhibent.

Subiun-

* Leuis et farinacea dicitur, ſed in officinis tales non optimae iudicantur, cum ponderoſa praeferatur, quae et intus ruffeſcit et reſinoſas et ſplendeſcentes partes oſtendit.

Subiungitur index uniuerſalis in ſex tomos et hoc auctuarium herbarii amboinenſis. Nomina nimirum et vera generica et barbara promiſcue ordine alphabetico recenſentur, in non nullis tamen a latere generica nomina adduntur, quae a Cl. LINNAEO in diſſertatione de herbario Amboinenſi Upſaliae 1754 propoſita, definiuntur.

VI.

Plantarum americanarum faſciculus primus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit, eruit que atque in inſulis Antillis ipſe depinxit, has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOHANNES BVRMANNVS, M. D. Botanices Profeſſor Amſtelaedamenſis, ſumptibus Auctoris. Amſtelaedami 1755. fol. pl. 6. Tab. aen. XXV. acceſſit Faſciculus ſecundus. 1756. pl. 6. Tab. aen. XXV.

Inter ſeculi praecedentis botanicos non ultimus iudicandus eſt CAROLVS PLVMIERIVS anno 1646 Maſſiliae natus, hic enim licet inter RR. PP. Minimos vitae religioſae ſe deuouiſſet, praeter varias artes mechanicas herbarum ſtudium maxima cum cura excoluit. Amicos habuit inter botanicos SYLVIVM BOCCONE Siculum et ex Gallis GARIDELLVM et TOVRNEFORTIVM; poſtquam igitur in patria ſundamenta rei herbariae poſuerat, in inſulis gallo-americanis, ad quas primum iter cum IOSEPHO DONATO SVRIANO, alterum vero et tertium ſolus inſtituerat, non tantum plantas exoticas accurate obſeruauit, ſed easdem ad vera genera et ſpecies reduxit merito

merito igitur titulum et ſtipendium Botanici regii a LVDOVICO XIV. obtinuit et egregia ſcripta accurataſque icones rem herbariam illuſtrantes cum erudito orbe communicauit*. Nouum vero ſexagenarius iam meditabatur iter in Americam ſuſcipiendum, cum Gadibus pleuritide correptus anno 1704. diem obiret ſupremum.

Nondum autem omnes laudati veri labores publici iuris facti ſunt: ſed latent adhuc in bibliothecis academiae regiae ſcientiarum et RR PP Minimorum Pariſinis et plantarum et aliarum rerum naturalium deſcriptiones et icones a Cl. PLVMIERIO exaratae. Cl. BVRMANNVS quoque icones ſtirpium Americanarum in inſulis Antillis a celeberrimo hoc botanico primum depictas, in bibliotheca regia Pariſina aſſeruatas, a pictore regio *Aubriet* ad prototypum ductas, duobus voluminibus in forma atlantica comprehenſas, poſſidet numero quingentas octo. Has curante VAILLANTIO, GVILIELMVS SHERARDVS Anglus, BOERHAAVIO miſerat, qui non niſi vulgaria nomina a PLVMIERIO olim impoſita adſcripſerat. Cum autem Cl. BVRMANNVS hos codices centenorum aliquot florenorum pretio in auctione publica ſibi vindicaſſet, ſimulque perſpexiſſet Ill. LINNAEVM olim iam cum BOERHAAVIO de his

* Sunt vero 1) *Deſcription des plantes de l'Amerique avec leurs figures.* à Paris 1693. fol. Tab. 108. 2) *Noua plantarum americanarum genera: acceſſit Catalogus plantarum quarum genera in inſtitutionibus rei herbariae* IOSEPHI PITTON TOVRNEFORTII *iam nota ſunt, quasque ille deſcripſit et delineauit in inſulis americanis.* Pariſiis 1703. 4. 3) *Traité des Fougeres de l' Amerique en latin et françois.* Paris, 1705. in fol. Tab. 172. Hoc egregium opus, licet poſt mortem Auctoris impreſſum ſit, tamen non poſthumum dicendum eſt, cum ab eodem ante obitum abſolutum fuerit.

his plantis egiſſe, easque cum Cl. ADRIANO VAN ROYEN perluſtraſſe, characteres breuiter et eleganter deſcripſiſſe, et in nupera ſpecierum plantarum editione * plurimas ex his plantis ad certa ſua genera reuocaſſe: inſignem utilitatem ſe praeſtiturum eſſe confiſus eſt, ſi plantas has, inter quas non nulla noua genera ſyſtemati botanico accommodata et fruſtra apud alios quaeſita inueniuntur, publici iuris faceret. Attamen cum in his edendis magni ſumtus faciendi ſint; ne vero a ſordida quorundam bibliopolarum, quibus totum opus reddi poſſet, agendi ratione aliquod forte detrimentum caperet: per faſciculos edere ſuſcepit, quorum quilibet viginti quinque icones continebit, et primum ſpecimen in hoc faſciculo expoſuit, ex quo ſatis intelligitur inſtitutum Cl. Editoris non ſolum indicandum, ſed et laudandum eſſe, quo hiſtoriae vegetabilium veri aeſtimatores illud ſerio commendent et continuationem faciliorem reddant. Pro quouis itaque faſciculo in anteceſſum tres tantum floreni belgici ſoluuntur, quatuor vero, ſi quis ſoluendi tempus neglexerit, et ſi ſuſceptum negotium ex voto ſuccedit, ſingulo trimeſtri ſpatio nouus praecedentem ſequi poterit.

Quod vero ad ipſas icones pertinet, delineationes ſunt fundamentales, hoc eſt, quae primas tantum lineas et ita circumſcriptos figurae limites, magnitudine tamen naturali expreſſos exhibent; quae ſcilicet delineationes in quibusdam veterum ſcriptis maxime aeſtimantur, licet in lignum tantum inciſae eſſent; haec tamen delineandi ratio nunc neglecta, et vera ſculpendi ratio prorſus perdita eſſe videtur. Hoc certe apparet, ſi Sidam foliis cordato acuminatis ſerratis, quae Tab. XXV in lignum inciſa et hic expreſſa additur, cum variis veterum iconibus comparare volueris. Cum vero reliquae viginti quinque tabulae huius

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. II. p. 253.

huius faſciculi in aes inciſae et ita expreſſae exhibeantur, non negandum eſt, eas ad praecipuas vegetabilium partes intelligendas ſufficere, et habitum plantae totius cum florendi modo egregie exprimere; forte quidem minutarum floris partium delineatio exigi poſſet, quae non ubique accurate perſpicitur, licet paſſim egregie ſiſtatur.

Quoniam autem in codice, ex quo hae plantae depromtae ſunt, non niſi nomen a PLVMIERIO impoſitum adſcriptum eſſet, BVRMANNVS in addito nomine et genus et ſpeciem rite indicauit, et ubi fieri potuit, alios auctores praeſtantiſſimos citauit, in primis LINNAEI ſpecies plantarum, breuem quoque partium deſcriptionem, qualis ex iconibus colligi poterat, adiecit, et tandem in obſeruatione addita comparationem quandam cum plantis iisdem vel ſimilibus a celeberrimis botanicis deſcriptis inſtituit. Quo vero inſtitutum Cl. Editoris magis pateat, ſelegimus deſcriptionem tabulae vigeſimae, quam integram hic ſubiungimus.

Alpina racemoſa alba cannacori foliis. PLVM. nou. gen. pag. 26. tab. II.

ALPINIA Royen. Pr. Leid. p. 12. LINN. ſpec. pl. p. 2.

Zingiber ſilueſtre minus fructu e caulium ſummitate exeunte. SLOAN. Hiſt. Iam. tom. I. p. 165. tab. 105. fig. 12.

Paco ſeroca Marcgr. Braſil. 48.

Radix nodoſa, plurimas deorſum emittens fibras longitudinales, prorepentes, ſurſum vero plurimos ſtolones, qui faſciculum plantarum formant intricatum.

Folia breuiſſimis ex caulibus, fere radicalia, ſurſum ſeſe erigunt alternata, parum undulata, acuminata, ſtriata, neruoſa, caulem laxa baſi inueſtientia.

Scapus racemum continet plurimis ex floribus conſtantem.

Flos ipſe iuxta PLVMIERII *methodum monopetalus eſt anomalus, tubuloſus, perſonatus, trifidus, cuius pars anterior excauata et alata eſt, poſterior vero in annulum deſinit, piſtillo floris traiectum, calix abit in fructum ouatum trifidum, ſeminibus foetum tenuibus capillamentis placentae affixis, quae ſemina ſunt trigona, obtuſa, irregularia.*

Fructus autem racemo undique arcte accreſcunt, copioſiſſimi, ouati, ſtriati coronula ſeu umbilico notati, quales in figura racemi adiecta conſpiciuntur.

Obſeruatio. *Planta haec ex toto ſuo habitu modoque creſcendi inſtar Zingiberis, facile declarat aromaticis herbis eſſe annumerandam, quales ſunt, Cardamomum, Amomum, Zedoaria, Zingiber, Galanga ſimilesque; mirum tamen eſt, aromaticam hanc plantam adeo raram et minus cognitam eſſe, cum caetera aromata ubique fere proſtent, putoque ad Zingiber proxime pertinere illamque* SLOANEI *ſupra allegatam, ſi non eandem, ſaltem huius minorem eſſe ſpeciem.*

In honorem PROSPERI ALPINI *medici ac botanici inſignis, qui variis ſuis operibus de plantis Aegypti, exoticisque aliis, tum etiam variis medicis celeberrimus eſt, haec planta a* PLVMIERIO *fuit dicta* ALPINA *in nouis plantarum generibus ipſique conſecrata, ubi et ſummi huius viri natiuitas, fata et obitus porro commemorantur.*

Continentur vero in hoc faſciculo non nullae abutili ſpecies, ad hibiſcum et ſidas relatae, decem acaciae ſiue potius mimoſae ſpecies, quatuor aceris ſpecies ad banniſteriam referendae, ahouai ſiue cerbera, anguriae non nullae ſpecies etc.

In plantis faſciculi ſecundi apocyni ſpecies, quae ad vera genera nerei, cynanchii, plumeriae et aſclepiadis referuntur, nec non ariſtolochiae, ari ſpecies traduntur, ex quibus non nullae ad dracontium pertinent. Aſteris ſpecies partim ad inulam partim ad tuſſilaginem amandantur, tandem barleriae, bauhi-

niae,

njae, begoniae, belloniae et besleriae variae ſpecies exhibentur: nos ex his ultimae ſiue quinquageſimae tabulae deſcriptionem ſpeciminis loco ſubiungimus.

Besleria ſcandens, criſtata, fructu nigro. PLVM. nou. gen. p. 29.

BESLERIA *pedunculis ſimplicibus ſolitariis, inuolucris pentaphyllis.* LINN. Sp. pl. p. 619. no. 3.

Caulis repens, ex ſingulo geniculo fibrillas radicales emittens, ubi

Rami aſcendunt liberi.

Folia ouata oppoſita, ſerrata, petiolata, neruoſa.

Pedunculus ex quauis ala ſolitarius, nudus, uniflorus.

Flos excipitur ab inuolucro pentaphyllo, quod conſtat

Foliolis cordatis, dentatis, acuminatis, ſerratis.

Corolla tubuloſa, externe hirſuta et limbo quinquefido.

Piſtillum mire inflexum eſt, germen proferens, ſtamina in fundo varie complicata et contorta ſunt.

Inuolucrum poſt floris lapſum in centro ſuo placentam videtur proferre hirſutam, foetam ſeminibus numeroſiſſimis.

Obſeruatio. *Non dubium eſt, quin haec planta diuerſi ſit generis a praecedentibus, ac penitus diſtincti ita, ut ad* martiniam *proxime accedat, uti notauit quoque Cl.* LINNAEVS *in* ſpec. pl. l. c.

VII.

Dictionnaire hiſtorique de la Médecine, contenant ſon Origine, ſes Progrès, ſes Révolutions, ſes Sectes & ſon Etat chez différens Peuples; ce que l'on a dit des Dieux ou Héros anciens de cette Science: L'Hiſtoire des plus célébres Médecins, Philoſophes ou Perſonnes ſavantes de toutes Nations, qui ont concouru à ſon avancement; des fameux Anatomiſtes, Chirurgiens, Botaniſtes et Chimiſtes; Avec l'expoſition de leurs Sentimens et de leurs Découvertes et le Catalogue de leurs principaux Ouvrages; le tout d'après ce que les meilleurs Auteurs ont écrit ſur cette Matiére. Par Mr. ELOY, Médecin Conſultant de S. A. R. Madame la Princeſſe de Lorraine, et Penſionnaire de la Ville de Mons. à Liége chez J. F. Baſſompierre. 1755. 8. Tome Premier. 1 Alph. 4 pl. Tome Second, 1 Alph. 6½ plag.

i. e.

Lexicon medicinae hiſtoricum; eius ortum, progreſſum, mutationes, etc. porro hiſtoriam celeberrimorum medicorum, philoſophorum aliorumque doctorum virorum, qui incrementum illius adiuuarunt, anatomicorum, chirurgorum, etc. cum expoſitis eorum doctrinis, inuentis atque ſcriptis, continens; ex optimis, qui de his rebus ſcripſerunt, auctoribus collectum; Auctore Cl. ELOY.

Docto-

Doctorum virorum vitae, ſi rite fuerint conſcriptae, ipſarum ſimul, quas ipſi profeſſi fuerunt, artium ſcientiarumque continent hiſtoriam. Praeter fidem enim ab omnibus hiſtoriarum ſcriptoribus praecipue obſeruandam, duo in primis requiruntur ab illis, qui alicuius artis vel ſcientiae auctorum exponere volunt vitas, quorum unum eſt: quo, prudenti adhibita attentione, ea tantum ſeligant, quae ipſorum fata concernunt notatu digniora, reliquis, quae ſcire haud iuuat viros doctos, facile omiſſis; alterum: quo eorum merita iuſte aeſtiment, quae ab iis fuerunt inuenta vel emendata, vel ſingulari tantum quadam ratione propoſita, accurate annotent, et ſcripta, ab iis in lucem edita, cum omnibus, quae ad eorum pertinent cognitionem, v. c. plenis titulis, loco et anno, quibus prodiere, ſingularum editionum integritate praeque aliis vel praerogatiua vel defectu, et ſic porro, ſedulo enumerent. Patet inde, quanta diligentia quamque indefeſſum requiratur ſtudium ab eo, qui utilem alicuius artis conſcribendi hiſtoriam in ſe ſuſcipere vult laborem. Num autem haec cuncta in conficiendo iam iam indicato opere a Cl. Auctore praeſtita fuerint, illico apparebit, quando veram eius rationem lectoribus noſtris expoſuerimus.

Artis medicae hiſtoriam conſcripturus, eo quoque modo illud potiſſimum peragi poſſe recte is credidit, ſi principum praeque aliis celebrium medicorum aut aliorum, qui ad amplificandam illam artem ſuam quoque contulerunt operam, doctorum virorum omnis aeui omniumque populorum vitas exponeret. Fini itaque, quem ſibi propoſuerat, ſatis ſe eſſe facturum exiſtimauit, ſi aliquot auctores, qui de hiſtoria medicinae, vel de viris doctis omnium ſcientiarum et artium in genere ſcripſerunt, in auxilium vocaret, nomina medicorum, ſiue medicinam fecerint, ſiue eam modo calluerint, quos inueniret ibi-

 dem,

dem, colligeret in alphabeticum, quem dicimus, ordinem, et varia ipſorum vitam et ſcripta quoque attinentia, paſſim reperiunda, ad ſingulum referret titulum, paucis ſimul interſperſis articulis, qui generalem quandam atque concinnam diuerſarum ipſius artis partium, e. g. anatomiae, chemiae, botanices, e. ſ. p. hiſtoriam continent. In eo itaque laudem mereri videtur Cl. Auctor, quod ſingulari nec apud quemuis auctorem obuio candore in praefamine, ſuo operi praemiſſo, ipſe fateatur, in hoc toto aliud nullum ſe conſecutum eſſe meritum aliamque nullam gloriam, quam quod e variis, quos ibi enarrat, auctoribus compilauerit omnia, quae fini ſuo conuenire crediderit; e quibus principes eſſe intelligimus VAN DER LINDEN, FREIND, LE CLERC atque CLIFTON.

Quamuis interim quemlibet facile conceſſurum eſſe praeuideamus, ad exarandam artis alicuius hiſtoriam haud ſufficere auctores, qui de eo argumento iam ſcripſerunt, perlegiſſe; quin ab omnibus ita potius iudicatum iri opinemur, ut, qui talem in ſe ſuſcipere velit laborem, praeter illos eum quoque ipſos adire debere fontes putent et ex auctorum ſcriptis ſententias ipſis proprias cognoſcere, publicasque ſimul easque numeroſas librorum collectiones frequentare, quo variarum optimarumque editionum ſibi comparare queat cognitionem: attamen, quum tali conſcribendo operi paucorum tantum vires forte queant eſſe pares, is certe, qui vel compilatoris, quem vocant, munere ſe functurum eſſe profitetur, omnia, quae demum cunque poterit, colligere antea debet ſcripta, perluſtrare, examinare interque ſe conferre, quo vera diſcernere a falſis, utilia eligere ex ſuperfluis, et errores, ab aliis commiſſos, ab aliis vero detectos, indicare, ideoque tandem vere utilem praeſtare poſſit operam. Plurium quidem ideo requiri linguarum cognitionem, ſummam cu-

ram

ram ac acre et indefeſſum ſtudium fatemur lubenter; illi vero, cui ſedulitatis donum concedere noluit natura, ut ab eius modi opere abſtinere vellet, nos quidem auctores ſuaſoresque foremus.

Quam ob cauſam dolere omnino cogimur, nimis forte feſtinanter in componendo hocce libro laboraſſe Cl. Auctorem. Eleganti quidem gratoque utitur ſcribendi genere; non nulli quoque articuli, in primis qui veteres attinent medicos et in quibus exarandis iam ſeduli fuerunt alii, FREIND potiſſimum atque LE CLERC, et qui illos ex recentioribus ſpectant medicos, de quibus ſic dicta proſtant elogia, ſatis bene conſcripti ſunt: nihilo tamen minus multis aeque praeſtantibus, ac reliqui omnes, vel et optimi ad hocce opus adhibiti, aeſtimari iure poſſint, caruiſſe videtur auctoribus, quos ſingulari cum fructu conſulere potuiſſet, e. g. HERMANNO CONRING, IO. CONRADO BARCHVSEN, IO. HENRICO SCHVLZIO, CHRISTIANO GVILIELMO KESTNER, GOTTLIEB STOLLE, aliisque pluribus. Neque in colligendis hiſce ſuis collectaneis, quae ex variis coegerat vel excerpſerat potius libris, debitam adhibuit diligentiam, neque ea demum recognouiſſe videtur, adeo ut variis in locis ſibi ipſe contradicat; unum ſaepius eundemque auctorem ſub variis nominibus in medium afferat; permultos medicos, pluribus aliis, quos addictos inuenimus, non famae ſolum, ſed inſignium quoque meritorum laude longe illuſtriores, tempora potiſſimum quod attinet recentiora, prorſus omittat; ne quid iam dicamus de phyſicis ſtricte ſic dictis; inuenta auctorum et reliqua, quibus inclaruerunt, merita, quae primo loco exponi debuiſſent, permultis in locis commemorare obliuiſcatur; in enarrandis e contrario haud grauis ponderis atque curae ab iis geſtis rebus non numquam iuſto longior ſit; ſcriptorum, quem plurimis quidem ſubiunxit articulis, ſaepiſſime tamen mancum valde

Q 5 muti-

mutilumque conficiat indicem, anno potiſſimum et loco, quibus ea ſingula fuerunt edita, crebro neglectis vel quoque peruerſis; editionibus, quae prae reliquis aliquam habent praerogatiuam, raro indicatis; leuis argumenti diſſertationibus in medium adductis, eorundem contra vaſtis notatuque longe dignioribus auctorum operibus omiſſis, et quae ſunt reliqua. Fontes etiam, quos in praefatione quidem commemorat, ad ipſos tamen articulos, ex quibus hoſce hauſerit, quam rariſſime indigitat, ideoque lectorem vix non ſemper relinquit incertum, cuius fide ea, quae iam legit, accipere debeat?

Tantum itaque abeſt, ut eum, quem poterat, operi ſuo conciliauerit Cl. Auctor perfectionis gradum, ut illud potius uniuerſum ſat numeroſis ſcateat erroribus. Ne iniurii autem in illum eſſe videamur, quosdam ſaltem ex iis, qui nobis, librum percurrentibus paſſim obuenerunt, haud mala quidem mente, ſed eum modo in finem indicabimus, ut iam iam dicta comprobemus.

Tom.I. p. 13. MARTINVM AKAKIAM, patrem et filium, et utriusque ſcripta, prorſus confundit. Ille obiit anno 1551, hic vero 1588. *De morbis muliebribus libros duos* et *Conſilia medica*, filius, non pater, ſcripſit. Verum patris nomen audiiſſe *Sansmalice*, quod ex more illius ſeculi cum graeco nomine *Akakia* commutauerit, itemque eum Regis FRANCISCI primi fuiſſe archiatrum, haud commemorat.

p. 88. De IOANNIS ARGENTERII vita atque ſcriptis ſufficientem quidem exhibet notitiam in *Parte prima*, ſub titulo *Argentier*; in *Parte altera* vero de eodem, ſub titulo *Largentier* pauca dicit, neque illum citat articulum, quaſi de alio viro loquatur.

p. 159. FRANCISCVM DE LE BOE SYLVIVM ſub nomine *François du Bois de le Boe* adducit, eumque anno 1678 obiiſſe narrat, quem anno tamen 1672 deceſſiſſe conſtat. Chemiam cum laude coluiſſe et

eximium

eximium reliquiſſe dicit opus; ſed quodnam? et quo loco illud prodierit? tacet. Varia eius ſcripta, quae ſeparatim olim ediderat, poſt ipſius obitum in unum volumen collecta, ſub titulo *Opera medica*, prodiere Amſtelodami anno 1679 et deinde Traiecti ad Rhenum anno 1695, in forma, quam dicunt quartam. Quod primus fuerit in Academia Leydenſi, qui doctrinam de ſanguinis circulatione publice fuerit profeſſus; quod famoſo ſuo ſic dicto *triumuiratu humorum* ſtrenuas inter medicos ſui aeui excitauerit contentiones, ſuaque inde deriuata ſententia de naturali atque praeternaturali efferueſcentia omnem corporis et ſani et morboſi explicare voluerit oeconomiam; pluraque ſimilia ſicco, ut aiunt, pede tranſit.

IACOBVM atque IOANNEM SYLVIOS ſub titulo *du Bois* quoque nominat; ZACHARIAM SYLVIVM vero, medicum Roterodami ſeculo decimo ſeptimo medio florentem, potiſſimum propter auctam *Scholae Salernitanae* editionem cognitum factum omiſit.

De IOANNE BOHNIO, viro multis nominibus p. 176. ſemper laudando, quem anno 1679 Lipſiae fuiſſe Profeſſorem anatomenque docuiſſe dicit, mancum valde conſcripſit articulum. Quod is anno 1640 natus, variis apud uniuerſitatem noſtram muneribus functus, tandemque anno huius, quem agimus, ſeculi decimo octauo demum mortuus fuerit, et praeter *chymico-phyſicas*, quas ediderat, *diſſertationes* egregiis libris *de circulo anatomico-phyſiologico*, *de renunciatione vulnerum* et *de officio medici clinici et forenſis*, valde inclaruerit, cumque doctiſſimis ſui temporis medicis per uniuerſam fere Europam literarum habuerit commercium, ne verbum quidem profert.

Vt fidem mereri videamur, fere metuimus, p. 208. quando de CAIO PLINIO SECVNDO referimus, ipſius *Hiſtoriam Naturalem* ignoraſſe Cl. Auctorem. Nullum certe fert eius mentionem; e contrario autem

tem admodum largus eſt ipſique tribuit libros, quos illum haud ſcripſiſſe certum eſt, e quibus etiam *de re medica* libri quinque ſunt, qui anno 1509 Romae primum prodiere ſub titulo: *Pliniana medicina*, a non nullis PLINIO VALERIANO adſcripti; quos tamen ex illis PLINIIS neutrum, forſitan autem Gallum quendam, Burdegalenſem medicum, SIBVRIVM, qui tempore medici iſtius empirici, MARCELLI *Burdegalenſis*, ideóque ſub exitum quarti ſeculi vixerit, habuiſſe auctorem, b. Noſter GÜNZIVS aſſeruit *.

p. 255. Quam inſigni eruditionis uti et ampliſſimae, ſic etiam ſolidiſſimae fama iuſtiſſimaque laude et ſuo tempore conſpicuus fuerit HERMANNVS CONRING, et in poſterum quoque manſurus ſit, inter omnes conſtat. Perpauca tamen de eo refert Cl. Auctor, licet eius ſcripta, ſi facta ipſi fuiſſent cognita, *introductio* prae primis *in uniuerſam artem medicam*, quae deinde cum additamentis b. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMER edita fuit, egregie ipſum iuuare potuiſſent in hocce ſuo conſcribendo lexico.

p. 263. GVILIELMI COWPERI *Myotomiam reformatam*, quae 1694 luci expoſita fuit, indicat; ſplendidiſſimam vero eius editionem inſigniter auctam, quae curante RICHARDO MEAD anno 1724 accepimus, nondum vidiſſe videtur.

p. 341. Eadem quoque valet animaduerſio de BARTHOLOMAEI EVSTACHII *tabularum anatomicarum* recentiſſima, quam BERNARDO SIEGFRID ALBINO acceptam referimus, editione.

p. 346. Ferrariae atque Piſis antea publice docuiſſe anatomiam GABRIELEM FALLOPIVM, quam Patauium ideo fuerit vocatus, haud narrat. Anno aetatis ſuae

* vid. IVST. GODOFR. GÜNZII libellus de auctore operis *de re medica*, vulgo PLINIO VALERIANO adſcripti. Lipſiae, 1736. 4.

ſuae ſeptuageſimo tertio illum obiiſſe dicit, quum tamen anno Chriſti 1523 Mutinae natum, et anno eiusdem ſeculi ſexageſimo ſecundo vitam cum morte commutaſſe norimus; ideoque triginta nouem tantum annorum aetatem conſecutum fuiſſe pateat.

De ſingularibus ROBERTI FLVDD dogmatibus medicis nihil relatum legimus. Annus ipſius mortis fuit 1637, minime vero, uti hic legitur, 1627. p. 363.

CONRADI GESNERI patrem appellat *Pellionem*; ſed pellionis opificium is fecerat, non eo nomine uſus. Opera eius botanica, diu ſatis deſiderata, quae nuper anno 1753 Norimbergae in forma, quam vocant maximam, cura Ill. Virorum, TREWII et SCHMIEDELII prodire coeperunt, ad Cl. Auctorem adhuc nondum peruenere. p. 406.

GLANDORPIVS MATTHIAE ſaltem uſus fuit pronomine, licet plurimi auctores eum ſimul appellent LVDOVICVM. Obiit anno 1636; hanc lucem vero aſpexit anno 1595. p. 413.

GOMEZ-PEREIRA duos nactus fuit articulos, qui vitam eius continent; unum ſub titulo *Gomez* in *Parte prima*; alterum in *Parte ſecunda* ſub articulo *Pereira*, ac ſi unus idemque non eſſet auctor; uti idem quoque error in *Lindenio renouato* occurrit. In utroque loco eum fuiſſe narrat primum, qui animalia meras tantum eſſe machinas, anima ſenſitiua deſtitutas, docuerit. CARTESIVM ab eo hancce transſumſiſſe opinionem auctores non nulli aſſeruerant; qua in re vero Noſter ita titubat, ut in uno loco aſſertum haud eſſe putet probabile; in altero autem ſine ulla addita dubitatione, illud de CARTESIO ſimpliciter narret. p. 418.

Per errorem, uti coniicere licet, quem ANDREAS OTTO GOELIKE in priore *Hiſtoriae* ſuae *Anatomiae* editione commiſerat, in altera vero eaque non aucta ſolum, ſed correcta quoque, emendauerat, ſeduci ſe Noſter quoque paſſus fuit, quo NICOLAVM To. II. p. 5. et p. 52.

LAVM HABICOT et NICOLAVM HOBOKENVM confundat. Vtrumque vocat natione Gallum, etſi hic Vltraiecti natus et Harderouici Medicinae atque Matheſeos Profeſſor fuerit. Huic quoque tractatum de enchireſi anatomica, (*traité de la maniére de diſſéquer*,) tribuit, cuius tamen auctorem fuiſſe chirurgum illum, NIC. HABICOT ſeu HABICOTTVM, iam olim monuerat HERMANN CONRING.

p. 5. Vix ac ne vix quidem oculis noſtris fidere nos poſſe credidimus, quum de Ill. HALLERO ſequentem legeremus articulum: ALBERT HALLER *a donné un Traité intitulé: De muſculis diaphragmatis diſſertatio anatomica. Bernae*, 1733. 4. Num riſum, an potius indignationem, cohibere vellemus, dubii aegre nobis temperare poteramus, quin ipſum librum prorſus e manu ſeponeremus. Plurium deinde auctorum primi ordinis praeſtantiſſima Noſtrum ignoraſſe opera, vitam atque merita, haud amplius mirabamur.

p. 20. De Ill. HEISTERO pauca refert et ex eius ſcriptis, inter quae prae aliis eminent *Chirurgiae Inſtitutiones* ipſis neque Gallis eruditis incognitae, nullius, niſi *compendii anatomici*, mentionem iniicit.

p. 127. De Ill. LINNAEO perpauca etiam audiuiſſe nullumque de ſcriptis eius umquam vidiſſe videtur.

Proxime ſequens, deque MARTINO LISTERO exponens, articulus eodem prorſus modo ſe habet, cuius tamen egregia, *Hiſtoriam* in primis *animalium, Conchyliorum*, illuſtrantia ſcripta per totum fere ſeculum in doctorum virorum verſantur manibus, adeo ut leuiſſimam iſtam excuſationis ſpeciem, quae in illis iam indicatis recentiorum librorum indicibus locum habere poſſe videretur, ac ſi in Galliam iſti nondum peruenire potuerint, huic certe articulo, cui plures tamen reperiuntur ſimiles, haud competere poſſe pateat.

Idem

Idem quoque dictum valet de b. Noſtro PLAT- p. 289.
NERO, cuius vitam aliquo modo quidem adumbrat; de illius autem circa rem literariam meritis, eximio potiſſimum eius libro principe, *Inſtitutiones Chirurgiae* continente, ne verbum quidem dicit, *opuſcula* eius ſaltem commemorans.

Aliud erroris, in quem iam aliquoties inciderat p. 372.
Cl. Auctor, vel incuriae potius, occurrit documentum in articulo de LVDOVICO SEPTALIO. Feliciſſimi huius medici vitam atque ſcripta in eo loco ſatis accurate recenſet, uno tantum eoque vel et in Italia, uti legimus, valde raro ex eius libris omiſſo, *de inſtituenda* nimirum *et gubernanda familia*, Mediolani anno 1626 in forma, quam octauam vocant, edito. Poſt paucas vero tantum paginas vehementer mancus legitur articulus ſub titulo *Louis Settala*, quaſi hic plane alius eſſet vir, ac ille SEPTALIVS.

Proximi, qui hunc excipit, MARCI AVRELII p. 381.
SEVERINI vita non nimis ſolum breuis, ſed praecipui eius quoque lectuque digniſſimi *libri octo de recondita abſceſſuum natura*, uti et *libri* eius *tres de medicina efficaci* omiſſi ſunt. Natus is fuerat anno 1580 Tarſiae in Calabria, peſte autem extinctus Neapoli anno 1656.

GEORGIVS ERNESTVS STAHL aliud plane p. 390.
multoque uberius meruiſſet elogium, ac is hic loci nactus fuit. Quis enim fuerit? ubi degerit? Quidque praeſtiterit? nihil plane relatum legimus. Ex illius ſcriptis non nulla quidem adiecta ſunt, *Theoriam* autem eius *medicam veram*, ut princeps eius opus, cognoſcendi nullam Cl. Auctor habuit occaſionem. Quum absque omni dubio inſignia non circa chemiam ſolum, ſed et ipſam artem medicam, in primis clinicam, eius fuerint merita; et aſſeclarum, qui in verba eius paene iurauerant, quam numeroſiſſima fuerit copia; eiusque dogmata, quae in Germania quidem longe pauciores, ac olim, iam habent

defenſo-

defenſores, a doctiſſimis non nullis Anglis medicis, quin et uno alteroque ab ipſis Gallis adoptata publiceque propoſita ſint: ſyſtema eius certe de organiſmo corporis praeterire ſilentio non debuiſſet Cl. Auctor.

p. 395. De IOANNE SWAMMERDAM perpauca quoque legimus, nec eius meritis circa hiſtoriam naturalem, neque praecipuo eius opere, *bibliis naturae* dictis, BOERHAAVIO atque GAVBIO curantibus, anno 1739 editis, hic loci indicatis.

p. 444. A IOSEPHO, quem alii vocant, Noſter vero IOANNEM GVICHARD, DV VERNEY tractatum *de aure* tantum exaratum eſſe putat; quum varia tamen ab eo relicta eſſe ſcripta et ex his de morbis oſſium tractatum ante paucos annos editum eſſe conſtet, a nobis etiam ſuo tempore commemoratum *, ut non nullas, Regiae Scientiarum Academiae Pariſinae Hiſtoriae et diario eruditorum dicto, (*Journal des Scavans*) ab eo inſertas obſeruationes iam taceamus. Ex reliquis illo nomine inſignitis nullum praeter IACOBVM FRANCISCVM MARIAM DV VERNEY nominat, a quo Cl. GAVTIER in edenda tabularum ſuarum anatomicarum parte myologica adiutum fuiſſe alio tempore et nosmet etiam indicauimus **.

p. 452. IOANNES GEORGIVS WIRSVNGVS vel VIRSVNGVS ab aliis dictus, quem ex errore forſan typographico hic loci *Virſugus* appellatur, ductus pancreatici inuentor, non Bauarus, ſed Sueuus fuit, Auguſtae Vindelicorum natus, medicinam autem fecit Patauii in Italia, ibique e medio ſublatus.

Sed nunc indicata ſufficiant; in quibus tamen recenſendis iuſto meritoque forte longiores lubenter fuimus, tum ut ſupra latum iudicium defenderemus, cum ut eos, qui in libris exoticis germanice reddendis ſaepe nimis faciles atque citi eſſe ſolent, moneremus,

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 640.
** vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 720.

mus, ut tempus ſuum limatiori operi tribuant. Neque facere poſſumus, quin unicum addamus; nimirum quam maxime nos fuiſſe miratos, adeo inſignem eſſe doctiſſimorum virorum, qui deſiderantur, prae multis aliis locum meritorum copiam, ut vitas v. c. IOANNIS DOLAEI, FRANCISCI WILLOVGHBY, LEONARDI PLVKENET, IOANNIS SLOANE, RICHARDI MEAD, AVGVSTI QVIRINI RIVINI, CHRISTIANI VATERI, GERARDI VAN SWIETEN, aliorumque quam plurimorum fruſtra in hoc lexico quaeras. Plures certe Gallos, tum medicos, cum chirurgos, de quibus, uti ciuibus, longe facilius, quam exteri, nanciſci potuiſſe videtur Cl. Auctor notitiam, inuenturos nos eſſe ſperabamus; ſed hacce, quam prima vice librum videntes iucundiſſimam conceperamus, ſpe deiecti ne verbulum quidem inuenimus e. c. de Viris Clariſſimis, ANT. FERREIN, BERTIN, DE SAUVAGES, LE CAT, MACQVER, MALOVIN, LE DRAN, MORAND, aliisque pluribus; ut itaque ſummo iure optemus, velit Cl. Auctor in emendando perficiendoque, quantum fieri poterit, hoc opere in poſterum elaborare, quo laborem vere utilem ſuſcepiſſe, ideoque gratiam apud viros doctos meritus eſſe videatur.

VIII.

Diſſertatio Inauguralis de criſibus variolarum acceſſoriis. Praeſide D. CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG, Anat. et Chirurg. P. P. O. Collegii B. M. V. Collega et Acad. Reg. Scient. Boruſſ. Sodal. Reſpondente *Chriſtiano Amando Gebhardt.* Lipſ. 1755. 4. mai. plag. 4.

Vtiliſſimae huic aeque ac extricatu difficillimae, nec antea ſatis declaratae diſquiſitioni anſam dedit
p. 3. diſſertatio, quam Cl. Auctor *de diarrhoea in febribus acutis* publice propoſuit. Inter exempla enim, ex quibus aſſerta eius declaranda erant, omnino etiam diarrhoea, variolis ſuperueniens, diiudicanda fuiſſet. Variolis autem, tunc temporis epidemice graſſantibus, atque copioſam phaenomena circa easdem occurrentia obſeruandi occaſionem exhibentibus, hanc quidem ſigillatim exponere ſecum conſtituerat; comparatione vero, inter meditationes et collectas obſeruationes inſtituta, diarrhoeam, ut criſin acceſſoriam, in variolis ſaepe occurrentem, aſſumendam eſſe facile perſpexit. Cum igitur ſaliuationem, in variolis haud infrequentem, contemplaretur, et cum hac alias criſes, in varioloſo morbo obuenientes, compararet, criſes acceſſorias, in variolis potiſſimum ſolemnes, conſiderandas ſibi ſumſit. Ita vero in eius declaratione verſatur, ut, criſi eiusque cauſis ac ſpeciebus, nimirum metaſtatica et euacuatoria, nec non principe et acceſſoria, ſecundum principia, alibi iam explicata * expoſitis, arduam varioloſi morbi explicationem adgrediatur, atque in eius decurſu quinque ſtadia numeret, nimirum contagii, eruptionis, inflamma-

* Vid. eius Inſtitut. Patholog. Lipſ. 1754. 8. p. 159. ſeq. et Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 702. 703.

flammationis, ſuppurationis et deſquamationis, eiusque materiam incognitam eſſe iudicet, et in genere tantum affirmet, materiam morbi, per contagium ſuſceptam et agitatam, ad excretionem per ſudores diſponi; ſed cum imperfecte mutata nec plenarie cocta ſit, ad habitum cutis et loca ſimilia per criſin metaſtaticam propelli, ibique tandem prorſus mutari et diſſipari, ita, ut morbus eiusque cauſa prorſus diſpareat. Circa excretiones tamen potiſſimum reſpiciendum eſſe monet, utrum ſpontaneae, an ſymptomaticae, an verae criticae ſint *? Euacuationes enim non tantum acceſſorias criſes dici aſſerit, quoniam cum morbo varioloſo concurrunt, ſed ideo quoque, quoniam morbum varioloſum, ex variis cauſis grauiorem redditum, inſigniter leuant, et aliquam quoque materiae varioloſae partem ſubducunt. Licet enim praecipua materiae varioloſae mutatio in cute eiusque vaſculis ſubtiliſſimis perficiatur, reliquas tamen vias non prorſus liberas eſſe, ſed aliquam quoque materiae partem diſſipare concludit. Oſtendit vero ſudorem, ptyaliſmum et diarrhoeam, et in principio variolarum circa eruptionem et in febre ſecunda veras eſſe criſes acceſſorias. p. 12. p. 14.

Nam quod ad ſudorem attinet, puſtulas varioloſas cum ſudore vel cute madente ſaepius erumpere, et licet largi ſudores, circa initium febrium acutarum erumpentes, utplurimum maxime pernicioſi videantur, moderatos tamen ſudores ab initio ſalutares et vere criticos fuiſſe interdum perſpexit Cl. Auctor: et hoc non ſolum eo in caſu, ubi occaſio febris, in diſpoſitione varioloſa motae, a perſpiratione, quocunque modo ſuppreſſa, petenda eſt; ſed etiam, ubi cir- p. 16.

 ca

* Hanc diſtinctionem, qua medicus certior redditur, num excretorios tales motus ſupprimere, an ſibi relinquere et moderari, an ſuo modo adiuuare debeat, Cl. Auct. in diſſertatione de diarrhoea in febr. acutis §. VIII. p. 12. ſtabiliuit.

ca initium febris varioloſae ſiccitas cutis obſeruatur et
paulo poſt ſymptomata ingraueſcunt, immo ipſi mo-
tus conuulſiui accedunt; Cute enim perſpiratione au-
cta quodam modo madida facta, grauiſſima haec
ſymptomata ſoluta, variolas feliciter erumpentes, et
plures in cute non detentas diſſipari vidit Cl. Auctor.
In febre quoque ſecunda moderatus ſudor vere criti-
cus dici meretur: accedit enim coctione peracta,
ideoque multum materiae morboſae et varioloſae diſ-
ſipat et leuamen omnino adfert. Haec vero in pla-
cido rerum ſtatu obſeruata morbi ſolutio rarius ita in
p. 18. triſti et tumultuario ſuccedit. Obſeruauit tamen Cl.
Auctor in filiolo cariſſimo tenero et imbecilli quarto
aetatis anno ſudorem non ſolum ad varioloſam excre-
tionem acceſſiſſe, ſed morbum quoque, ſymptoma-
tum copia corruptum, ſudore critico ſolutum fuiſſe.
Variolae enim ad nonum uſque diem ex voto ſucce-
dentes tunc flaccidae cinericiae fiebant et febre haud
adeo valida grauibusque ſymptomatibus ſtipata die
decimo quarto catarrhum ſuffocatiuum minabantur.
Infuſum vero ſcordii aquoſum perſpirationem excita-
uit, qua in ſudorem mutata, et hoc in poſterum
diem continuato, aeger tandem feliciter euaſit.

p. 20. Difficile quidem definiri poteſt, cur naturalis ſa-
liuae et digeſtioni inſeruiens ſecretio per morbum
varioloſum in excrementitiam mutetur: quilibet vero
perſpicit, nimium humorum impetum verſus ſupe-
riora, ex tumore capitis facile cognoſcendum et in
variolis adeo inſignem, per excretionem hancce lar-
giorem admodum infringi. Angina quoque, vario-
lis haud raro ſuperueniens, profluuio ſaliuae praeſen-
p. 22. te haud adeo periculoſa obſeruatur. Sufficiens itaque
ſaliuationis, ut criſeos acceſſoriae, continuatio non
ſolum morbum grauioribus etiam ſymptomatibus ſti-
patum ad felicem finem perducit, ſed Cl. Auctor
quoque in morbo interdum iam finito, ſi quaedam
miaſmatis particulae relictae fuerunt, ptyaliſmum

ortum

ortum omnem morbi materiam ex voto diſſipaſſe ali-
quoties in aegris ſuis perſpexit; non paucos quoque
infantes, ad minimum pueros ſeptem circiter anno-
rum vidit, qui hunc fluxum in variolis etiam experti
ſunt.

Et quanquam diarrhoea in principio varioloſae
febris ut ſpontanea conſideranda videatur, quae a
ſaburra humorum in primis viis collecta prouenïens
vix critica dici poſſit, nullum tamen relinquitur du- p. 24.
bium, diarrhoeam tunc temporis oriundam, dum
peruerſos humores ex corpore expellit, aliquam quo-
que materiae varioloſae partem diſſipare poſſe. Ob-
ſeruatio etiam non raro docuit in principio et omni
progreſſu morbi varioloſi, diarrhoeas omnino ſaluta-
res fuiſſe grauiſſimaque ſymptomata mitigaſſe, licet
nimia copia ſaburrae, in primis viis motae, ſaepius
et in variolis exitioſa fuerit. Maiorem vero attentio-
nem diarrhoea, in febre ſecunda variolarum prae-
ſens, exigit. Haec enim raro in tranquillo rerum
ſtatu accidit, et licet ab humoribus impetuoſe nimis
verſus interiora recedentibus perturbatio critica exti-
meſcenda ſit, experientia tamen docuit, has diar-
rhoeas, circa febrim ſecundam obortas, ſaepius ſalu-
tares, vix moderandas, ſed non nunquam promouen-
das, quin immo aluum obſtructam, ſi ſpasmi abdo-
minales urgent, clyſmatibus et mannatis liberam red-
dendam eſſe. Humores enim in confluentibus va- p. 26.
riolis, ubi cutis habitus omnis ad perſpirationem ine-
ptus redditur, ad peripheriam ducti, cordi reſiſtunt,
et anxietates praecordiorum, ſpasmos aliaque incom-
moda producunt, quae non, niſi materia per am-
pliſſimum inteſtinorum colatorium expulſa, ceſſant.

Reliquis ſolemnior illa narium haemorrhagia, ſub
ingreſſum morbi vel eruptionis tempore vel paulo
poſt plethoram in variolis noxiam coercens, coctio-
nem facilem et criſin felicem reddit, et licet in cru-
ditate praecipue oriatur, dubitari tamen non poteſt,

inſignem ſanguinis copiam effuſam magnam quoque materiae varioloſae copiam diſſipare, et motus progreſſiui impetus infringendo, motus etiam inteſtinos, per quos contagium varioloſum euoluitur, magis magisque cohibere, et hinc ſuo modo criſin ac-
p. 27. ceſſoriam dici poſſe. De excretionibus ſeroſis v. c. per urinam, tuſſim, coryzam et illacrymationem, utpote minus ſolemnibus, pauca tantum addidit Cl. Auctor, inſimul tamen oſtendit, quomodo illarum quaeuis morbum alleuare et ſuo modo criſin acceſſoriam praeſtare poſſit?

p. 29. Exanthemata vero peregrina, cum variolis in cutem delata, ut purpuram albam rubramque, ex indole propria diiudicanda, et pro differentia bonitatis vel malignitatis euentum quoque felicem vel triſtem declarandum eſſe arbitratur. Additae tandem regulae therapeuticae medicum ita inſtruunt, ut ſingulares quosdam huius morbi euentus ſuo conſilio dirigere, euacuationes nimias coercere, limitatas permittere, et ita, ſi viribus vitae ſuſtinetur, ad felicem finem deducere poſſit.



IX.

IX.

L'Inoculation juſtifiée, ou diſſertation pratique et apologetique ſur cette methode. Avec un Eſſai ſur la Muë de la Voix, Par Mr. TISSOT, D. M. de la Faculté de Montpelier. A Lauſanne, Chez Marc-Michel Bouſquet et Compagnie. 1754. In 12. mai. plag. 7½ abſque praefat. et dedicat.

i. e.

Variolarum inſitio defenſa, ſeu methodi eiusdem diſſertatio practico-apologetica. Vna cum tentamine de illa vocis mutatione, quae pubertatis tempore accidit. Auctore Cl. TISSOT.

Ad oppugnanda praecipue illa, quae contra variolarum inſitionem formari ſolent, praeiudicia, nec non ad operationis illius methodum, in Galliae Heluetiaeque prouinciis ulterius commendandam, opuſculum hocce potiſſimum conſcripſit, atque, in tredecim ſectionibus, inoculationis hiſtoriam, neceſſitatem, tam rationibus quam grauibus amicisque ſummorum virorum teſtimoniis probatam, ſucceſſum, theoriam, praeparationem, puris inſertionem, morbi decurſum, et obiectiones contra eandem, ex principiis moralibus atque phyſicis petitas, diſcuſſit Cl. Auctor, interſperſis ſubinde propriis obſeruationibus cogitatisque, quorum notatu digniora cum lectoribus noſtris communicaſſe haud diſplicebit.

Variolas et morbillos a venenatis particulis incognitis in aere obuolitantibus oriri arbitratur, quae naturam humorum noſtrorum, ſi illos ſemel certo quodam modo affecerint, ita mutent, ut eosdem altera vice vel prorſus non, vel diuerſo tantum modo afficere poſſint. Atque hinc etiam eſſe, quod p. 31.

variolae, eodem modo, uti peſtis hominem bis aggredi nequeant. Certo vero perſuaſus eſt, variolas neu-
p. 49. tiquam remediis internis praecaueri poſſe. Venaeſectio ante variolarum inſitionem praeparationis tempore ipſi non adhibenda eſſe videtur, niſi in ſtatu plethorico; in omni alio enim caſu illam admodum
p. 51. nocere autumat. Plerique ideo adulti, praecipue feminae illa facile, ex ipſius ſententia, carere poterunt; ab anno vero decimo quinto ad ſeptimum iudicium de venaeſectionis neceſſitate ex circumſtantiarum concurſu formandum erit, et tot plerumque inuenientur, quibus illa opus non eſt, quot eadem neceſſaria deprehenditur: raro infra ſeptimum annum
p. 57. locum inueniet. Duae vero alui purgationes ante inoculationem ſemper neceſſariae ſunt, et ſerum lactis, quod admodum commendat, unicum remedium eſſe perhibet, quod praeparationis tempore interne ſumi
p. 59. poſſit. Et licet adultis temperamento ſicco, inflammabili, melancholico, aut infantibus cute dura, craſſa, ſquamoſa praeditis balnea atque pediluuia neceſſaria ſint, et cum ſucceſſu adhibeantur, haec tamen non omnibus conuenire, quin potius quibusdam admodum nocere poſſe arbitratur. Methodus enim, qua Clariſſimi CRAMER et IOLY Geneuae quolibet veſperi per horae quadrantem pediluuia applicare curabant, ideo ſeſe non ubique commendauit, quia illi, qui plurimum pediluuiis uſi erant, non ii eſſe deprehendebantur, quibus pauciſſimae variolae in facie
p. 62. eruperant: id quod ab eo dependere putat, quod in quibusdam hominibus loco relaxationis effectus prorſus alienos, ſpasmum nimirum partium inferiorum producunt, qui humores verſus ſuperiora pellendo, ſtatim, uti ſaepius vidit, palpitationes cordis, lipothymias, capitis dolores, vertigines, conuulſiones, faciem rubore ſuffuſam et inſomnia excitauit, qui ſpasmus etiam interdum diu durauit et ad alias partes
p. 63. ſeſe propagauit. Quodſi quis igitur pediluuia ferre

non

non poſſit, fomentationes particulares iis in locis adhibendas eſſe ſuadet, ubi vaſa maiora fere prorſus nuda ſunt.

Variolarum vero inſitionem nec grauedinis tempore nec tunc fieri oportere, quando aegri vel de minimo dolore in quadam corporis parte conqueruntur. Leuis enim digiti dolor neglectus, de quo infans ſeptem annorum inſitionis tempore conquerebatur, viginti quatuor horarum interuallo in paronychiam inſignem degenerauit, quae morbum maxime exacerbare potuiſſet. Monet praeter ea fila varioloſo pure tincta, quibus inſitio perficitur, coloris eſſe debere flauiuſculi, alba enim indicare, pus non ſatis coctum fuiſſe, id quod varia incommoda producere poſſet *. Poſt ſuperatum vero morbum binae vel tres alui purgationes antiphlogiſticae ſufficiunt, et nihil magis ad citam reſtitutionem ipſi conducere videtur, quam decoctionis ſudorificae tonicaeque, per quatuor vel quinque dies mane in lecto ſumtae, uſus. Diuturniori puris ex inciſionibus effluxui deligatione ſicca et ptiſana diuretica facile occurri poſſe, eandemque hanc ſiccam deligationem unicum remedium eſſe aſſerit, quo nimis cita inciſionum coalitio impediri queat. Iis, qui obiiciunt, per variolarum inſitionem contagium magis ſpargi, Cl. Auctor reſpondet, variolas quidem morbum eſſe contagioſum, attamen ſeſe non tam per contagium, quam per infectionem aeris, a cauſis nobis incognitis productam, propagare, et, ſi variolarum inoculatio easdem latius diſſeminet, hoc potius nos commouere debere, ut vario-

p. 64.
p. 66.
p. 75.
p. 77.
p. 102.

 las

* Cl FREWIN vero ex applicatione liquidi in erumpentibus puſtulis contenti, quando adhuc in limpido ſtatu eſt, nullam aliam differentiam ſe obſeruaſſe aſſerit, quam quod quodam modo lentius operatio ſucceſſerit. Vid. KIRCKPATRICK Analyſis of Inoculation etc. London 1754. in 8. ſection. VI. p. 131. et Comment. noſtror. Vol. IV. Part. I. pag. 140.

las eo crebrius inſeramus: Cum enim variolarum periculum ab inimica anni tempeſtate, et alius cuiusdam morbi epidemice regnantis complicatione fere unice dependeat, et variolae contra non niſi anni tempeſtate fauente, et quando nullus morbus epidemice graſſatur, inſerantur, hinc facile perſpici poſſe, eos, qui ab inoculatis inficiuntur, ſub eius modi circumſtantiis longe facilius emerſuros eſſe.

p. 118. Negat quod per variolarum inſitionem alius
p. 120. morbus communicari poſſit, atque illum a Cl. GVIOT adductum caſum*, quo ipſi viſum eſt, ac ſi feminae cuidam una cum variolis pertinax quaedam ophthalmia communicata ſit, ex ipſius Cl. GVIOT ipſi reuelatis circumſtantiis ita explicat, ut ab omni ſuſpicio-
p. 124. ne liberetur. Et cum incipientes ſcrophulae quotidie per quasdam febris acceſſiones ſolui videantur, ſpecificum forſitan contra hunc morbum fore credit, ſi variolas eiusmodi hominibus plus ſimplici vice communicare poſſemus. Sic quoque homines debilioris conſtitutionis a variolarum inſitione non excludendos eſſe cenſet, licet enim longe maius periculum incurrant, hoc tamen eo, quod ipſis a naturali variolarum infectione imminet, longe minus fore
p. 143. certo aſſerit. Et ſi quis obiiciat, variolarum inſitionem, licet euentus bene reſpondeat, moleſta tamen ſymptomata relinquere, Cl. Auctor hoc primo negat, et ſi quando tarda quoque conualeſcentia, paſſio hyſterica, ophthalmiae et alia variolarum inſi-
p. 147. tionem excipiant, Cl. Auctor tamen certiſſime perſuaſum habet, haec neutiquam inſitioni in ſe ſpectatae, ſed potius praeparationi nimium protractae adſcribenda eſſe, aegrique viribus hinc adeo fractis, ut debilitas inde orta cruditatibus anſam dederit, ſufficientesque criſes impediuerit. In qualibet enim febre, et praecipue varioloſa, ſecretiones ita turbari aſſerit, ut ſanguis particulis alias ad excretionem deſtinatis obruatur,

* Memoires de l'Acad. royale de Chirurgie T. II. p. 556.

ruatur, quae, ſi febris debito gradu ſuſtineatur, per euacuationes criticas ſeu per ſuppurationem puſtularum eliminarentur. Quodſi vero per praeparationem nimis longam vires neceſſariae ita frangantur, ut puſtulae ad ſuppurationem peruenire nequeant, ſed materia morbi prorſus reſoluatur, tunc eſſentiam huius morbi et naturam variolarum prorſus mutatam ad claſſem morborum deprauatorum pertinere arbitratur, quorum conſectaria ſemper timenda ſint. Filium enim ſeptem annorum unicum aeſtate 1753 ruri degentem, ubi variolae benigniſſimae graſſabantur, parentes naturali via variolis infici optabant, eundemque, ut eo felicius emergeret, per purgationes reiteratas, exactamque quoad quantitatem et qualitatem alimentorum diaetam praeparabant. Ex voto tandem filius variolis adeo benignis inficiebatur, ut omnes ſeſe per reſolutionem terminarent, h.e. omnes creſcendo absque ulla ſuppuratione exſiccarentur. Et quamuis aluus poſt ſuperatum morbum ſepties vel octies repetitis vicibus purgaretur, maculis tamen in cornea per octo, et quod excurrit, menſes vexatus oculos admodum debiles retinuit. Suppurationem igitur, ſi eius modi error commiſſus ſit, per remedia apta adiuuandam; quod ſi vero variolae iam absque ſuppuratione deſquamatae ſint, priſtinaque ſanitas non niſi aegre recuperari poſſit, tunc aegro conſuetarum alui purgationum loco ptiſanam diureticam vel ſudorificam praecipue tonicam, ceu unicum remedium, exhibendam eſſe ſuadet.

p. 150. p. 151.

In tentamine de illa vocis mutatione, quae pubertatis tempore accidit, Cl. Auctor Cl. FERREIN ſyſtema, qui vocis organon bichordo-pneumaticum eſſe demonſtrauit, fundamenti loco aſſumens, mutationem tunc temporis accidentem ab eo deriuat, quod fibrae, chordas vocales componentes, maiorem diametrum absque longitudinis augmento acquirant, et ſic eodem temporis interuallo pauciores vibrationes p. 157.

perſi-

perficiendo tonum grauiorem reddant. Ex quo principio dein varias diuerſorum hominum et morborum vocis mutationes ſpeciminis loco explicauit, et de illa tandem auium quadrupedumque mutatione, qua nouis plumis pilisque induuntur, pauca addidit.

X.

Tractatio chirurgico-medica proponens quaeſtionem: An variolas in noſtris regionibus inoculare ſit conſulendum? Auctore IOSEPHO RENATO MARIA IOACHIM Emerito I. V. C. Phil. ac Medic. Doct. Argentorati ſumptib. Ioh. Dan. Dulſeckeri, 1755. in 8. pl. 9.

In conſcribendo hocce libello Cl. Auctor ita verſatus eſt, ut poſt variolarum naturalium deſcriptionem atque diuiſionem, earum periculoſiſſima ſymptomata per quatuor periodos, cauſas atque curationis methodos varias diſquirat, hinc ad artificiales progrediatur atque inſitionis hiſtoriam et fata, quae Conſtantinopoli, in Anglia aliisque regionibus transmarinis, ut et in Gallia experta eſt, deſcribat. Hinc claram et diſtinctam inſitionis variolarum ideam exhibere conatur, variasque variolas inſerendi methodos ponderat, methodumque Anglicanam atque Geneuenſem tanquam omnibus aliis praeferendam laudat, praeparationis methodum atque ſymptomatum variolarum artificialium et naturalium diuerſitatem per experientiam et rationem probat, et tandem variis ex religione, experientia, ratione et politia deſumtis obiectionibus reſpondet. Licet vero Cl. Auctor hanc compilationem nec ex ipſis fontibus, Anglorum ſcilicet praecipue ſcriptis, hauſerit, nec quidquam propriae cogitationis vel obſeruationis adiecerit, nec ipſe liber ob latini ſermonis elegantiam ſeſe admo-

admodum commendet; attamen illis utilitatem quandam praeſtare poſſe ſperamus, qui anglicarum gallicarumque litterarum ignari inoculationis ideam quandam ſibi formare cupiunt.

XI.

Plantarum, quae in agro Veronenſi reperiuntur, ſupplementum ſeu volumen tertium. Opera IO. FRANCISCI SEGVIERII. Veronae. Ex typographia Anton. Andreonii. 1754. 8. pl. 20. tab. aen. 8.

Hanc Cl. SEGVIERII, cuius in hiſtoriam botanicam litterariam merita cuique cognita ſunt, plantarum Veronenſium deſcriptionem inta&tam relinquere noluimus, quod ab eo, qui Italiae floram deſerendo ad Galliam patriam ſe recepit, illius theſauros amplius colle&tum iri non ſit ſperandum. Sed quum de prioribus tomis, eaque, quam ſuam fecerit, methodo nondum nobis dicere licuerit, breuem totius operis delineationem dediſſe expediet *.

Quum enim plantarum cognitionem, per ſe admodum difficilem, nunquam certiorem reddi poſſe bene intelligeret Cl. Au&tor, niſi methodo concinna illae diſponerentur, ipſe vero eam, quae a TOVRNEFORTIO propoſita eſt, atque a multis recepta, diſquirentem multum iuuare poſſe perſpiceret, eam quoque retinuit, non tamen plane eandem, ſiquidem et PONTEDERAE uſus fuerit emendationibus et ſuas addiderit. Herbas quidem et ſuffrutices, ab arboribus

* Prodiit hoc titulo opus: Plantae Veronenſes ſeu ſtirpium, quae in agro Veronenſi reperiuntur, methodica ſynopſis. Au&tore IO. FRANC. SEGVIERIO Nemauſenſi. Accedit Eiusd. Bibliothecae botanicae ſupplementum. Vol. I. Veronae 1745. 8. c. fig. Vol. II. ibid. eod. c. fig.

ribus atque fruticibus diſtinxit, in claſſes ſingulares eaſdem referens, petalorum tamen numerum, ut notam non omnino inconſtantem, ſimul conſiderandum eſſe duxit. Exponemus claſſes illas plantarum, a Cl. Auctore conſtitutas, quas, ſi cum Tournefortianis conferre libuerit, quantum diſcrepent, facillime erit dignoſcendum. Sunt earum viginti et una. Claſſis *prima* agit: de plantis et herbis, mediae inter πεταλώδεις et ἀπεταλώδεις naturae: *ſecunda* de herbis flore apetalo: *tertia* de herbis et ſuffruticibus flore monopetalo campaniformi, infandibuliformi et rotato: *quarta* de herbis et ſuffruticibus flore anomalo: *quinta* de herbis et ſuffruticibus flore monopetalo labiato: *ſexta* de herbis flore dipetalo: *ſeptima* de herbis et ſuffruticibus flore tripetalo: *octaua* de herbis et ſuffruticibus flore tetrapetalo: *nona* de herbis et ſuffruticibus flore pentapetalo: *decima* de herbis et ſuffruticibus flore pentapetalo umbellifero: *undecima* de herbis et ſuffruticibus flore liliaceo: *duodecima* de herbis et ſuffruticibus flore leguminoſo: *decima tertia* de herbis et ſuffruticibus flore polypetalo anomalo: *decima quarta* de herbis et ſuffruticibus flore floſculoſo: *decima quinta* de herbis et ſuffruticibus flore ſemifloſculoſo: *decima ſexta* de herbis et ſuffruticibus flore radiato: *decima ſeptima* de arboribus et fruticibus flore apetalo: *decima octaua* de arboribus et fruticibus flore amentaceo: *decima nona* de arboribus et fruticibus flore monopetalo: *viceſima* de arboribus et fruticibus flore tetrapetalo et pentapetalo: *viceſima prima* de arboribus et fruticibus flore leguminoſo.

Harum claſſium itaque nouem priores primum volumen, reliquas alterum exponit, ſupplementum vero, quicquid illis addi debebat, vel emendari. Earum potiſſimum claſſium, quae magnam admodum ſtirpium copiam ſibi ſubiectam habent, nouas aliquas ſubdiuiſiones fecit, quod ea propter neceſſarium fuiſſe iudicamus, quo praecipue ſecurius procedant,

cedant, qui uberrimi corporum horum naturalium prouentus clariorem expectant perueſtigationem.

Prima hinc claſſis in tres iterum ſectiones diuiditur, in fungos nimirum, muſcos et plantas filicinas: *altera* cyperos ſcirpos iuncosque et his affines ſimul complectitur, gramina petalis dotata, excludit. *Tertia*, pro inſcriptionis ratione in tres ſectiones diuiditur. Gentiana ex corollae forma, quarum aliae calathoides ſunt, aliae tubuloſae, in *Gentianam* et *Gentianellam* diſtribuitur. *Tithymali foliis breuibus aculeatis* CB. pin. 292. noua deſcriptio et icon traditur. Hanc Pityuſam vocat MATTHIOLVS, mala vero expreſſit icone. *Linnaea*, quam inter campanulas repoſuerat TOVRNEFORTIVS, nouo exponit genere Noſter. *Quinta*, in duas abit ſectiones, quarum altera pauciſſimas ſub ſe habet non frumentaceas, Circaeam et Stellariam, altera vero gramina uſque affines continet, et has quidem MICHELIO demonſtrante viam, inter dipetalas refert. Graminum autem diſtinctiones ulteriores cum SCHEVCHZERO a ſimilitudine creſcendi cum lolio, auena, milio, deſumit, nec non paniculata atque ſpicata a ſe inuicem diſcernit. Num vero arundo ob radicis craſſitiem, ſcapi altitudinem et internodiorum magnitudinem a graminibus ſit ſeparanda, aliis diiudicandum relinquimus. Cum claſſe *nona*, qua pentapetalae plantae recenſentur, conueniunt aliquae fructificationis natura, quas eapropter ab illis ſeiungere non placuit Cl. Auctori, hinc easdem in primis, quod petalorum numerus quandoque variat, in appendicem huius claſſis repoſuit: utique tamen Butomum, Veratrum, Pulſatillam, Salicariam hexapetalis accenſendas eſſe arbitraremur, ſiquidem earum petala conſtantiora deprehendamus.

Volumen ſecundum eodem modo reliquas perſequitur claſſes, generaque methodo Tournefortiana et Pontederiana definiuntur, ſingulis auctorum ſynonyma

nonyma ſubiiciuntur, quaedam accuratius deſcribuntur et delineantur. Ad finem eiusdem recenſio additur plantarum, quas alii in agro Veronenſi repertas memorant, a Cl. Auctore tamen non viſas, neque eapropter negligendas. Triplici totum opus inſtruitur indice, quorum primus nomina generum, alter pharmacopolis uſitata, tertius virtutum plantarum recenſet. Recuſum ſimul additur FRANC. CALCEOLARII iter in Baldum montem, et bibliothecae botanicae ſupplementum.

Icones primi voluminis tabulis duodecim ſiſtuntur: *prima* refert: Caricem, Cyperoidem, Filiculam, *ſecunda* plantam habitu ſuo ab equiſeto non multum diuerſam, florem eius et ſemina non inuenit Noſter, repetita tamen diſquiſitione, ut in ſupplemento deinde docet, eam *Limnopeucen* CORDI eſſe vidit; *tertia* Tithymalum foliis breuibus aculeatis C. BAVH. et Veronicam paruam ſaxatilem cauliculis nudis RAI. Hiſt. I. p. 846. caule nudo ſimplici, in ſummitate florifero, conſtat, folia radicalia, lingulata, integraque ſunt; *quarta* graminum flores et locuſtas, praeter ea Alyſſon vulgare, Polygoni folio, caule nudo, et Papauer alpinum ſaxatile, coriandri folio TOVRN. *quinta* tres alſines ſpecies, nempe alſinen ſerpilli folio, multicaulem et multifloram, deinde alſinen tenuifoliam muſcoſam, quae, quum tetrapetala ſit, hic pentapetala pingitur, ſed in ſupplemento emendatior additur, tandem alſinen puſillam gramineam, flore tetrapetalo: *ſexta* alſinen tenuifoliam, et lychnidem minorem, ſaxifragam PLVKENET: *ſeptima* et *octaua* caryophylli ſpecies, ſylueſtrem proliferum, ſylueſtrem flore rubro, ſylueſtrem flore rubro, inodoro, barbatum et barbatum anguſtifolium: *nona* ſaxifragas quatuor, aliam ſedi folio anguſto, ſerrato, aliam alpinam minimam, alpinam ericoidem, aliamque foliis partim integris partim trifidis: *decima* geranium argenteum, alpinum, longius

radica-

radicatum: *undecima*, thaliſtrum alpinum minus, ſaxatile, rutae folio, ſtaminibus luteis: *duodecima* ranunculum alpinum humilem, album, folio ſubrotundo.

Secundus tomus quatuor tabulas habet, quarum numerus cum prioris tabulis continuat. Hinc tabula *decima tertia* ſiſtit liguſticum alpinum, perenne, ferulae folio, floribus albis: *decima quarta* phalangium alpinum, paluſtre Iridis folio: *decima quinta* orchidum flores eorundemque decem et nouem ſpecies, *decima* tandem *ſexta* ſedi ſpeciem, ex diario gallico *Galleria di Minerua* repetitam, ſcilicet ſedum petraeum rotundifolium, flore luteo, ſtellato montis Baldi.

In ſupplemento porro numeroſa adhuc plantarum ſeries occurrit, quae nouis itineribus cognitae redditae fuerunt Cl. Auctori, ad ſuas iterum claſſes relatae, non nullae exactius deſcriptae, iconibus illuſtrantur. Muſci, de quibus primo loco refertur, nominibus Dillenianis interdiſtinguuntur, emendanturque ſimul aliae, olim iam notatae. Inter Filices, p. 52.
cuius ſpecies foliolorum inciſurae et peripheria determinat, tres delineantur, ſcil.: *Filix non ramoſa alpina, foliolis, quae ad alas, rotundioribus, omnibus autem dentatis.* PONTED. Comp. Tab. Bot. 13. n. 13. Tab. I.
Dentes pinnularum breuibus muniuntur aculeis: Porro *Filicula alpina, foliolis rotundioribus et crenatis.* IDEM *ibid.* 19. n. 1. foliola ſubrotunda habet, ſaepiſſime ſex denticulis inſtructa: Nec non *Filicula alpina, criſpa.* C. B. pin. 358. cuius habitus tenerior frondes, ut plurimum nouem pinnis inſtructas oſtendit, quarum ſingula in ſex minores ſubdiuiditur, unaquaque in ſummitate bifida exiſtente. Praeter alias, Cyperi quoque ſpecies duae deſcribuntur et iconibus exprimuntur: *Cyperus paruus, panicula conglobata,* p. 66.
ſpicis compreſſis, ſpadiceo-viridibus. Culmum habet Tab. II.
triquetrum nudum, foliis ſub panicula tribus. ſpicae ſeſſiles, diſtichae, glumae dorſo virides, verſus axin

 elegan-

eleganter rubrae. *Cyperus aquaticus Italicus, procerior, locuſtis tenuiſſimis, in racemum denſe congeſtis, ſemine cinereo, longo, peranguſto.* Mich. Nou. Pl. Gen. 45. n. 12. nunc, quum a MONTIO iam delineatus fuerit, melius tantum exprimitur. Caules habet triquetros, ſtriatos, capitula florum conglomeratorum triangularia, paniculae folia tria carinata ſubſunt. Ex his capitulis tria plerumque ſeſſilia, reliqua pedunculis inſtructa, ſenſim longiora redduntur. Glumae ſpadiceae.

Tab.III. *Cyperoides* porro *alpinum, ſpicis ſeminiferis pendu-*
p. 83. *lis, binis in ſummo caule,* depingitur. Folia propullalant graminea, anguſta, ex radice fibroſa, culmi, duobus foliis veſtiti, ſpicas pendulas inferius unam ſaepe, ſemper ſuperius duas, itidem dependentes atque minorem floriferam, fere erectam, continent.
p. 97. Deſcribitur etiam *Alcea procerior, magno flore,* quae ſolis foliis, inferioribus ſimplicibus, ſuperioribus quinquepartitis differt a vulgari, florumque magni-
p. 117. tudine, et *Veronica alpina frutescens, flore albeſcente,* ab illa, quae a BAVHINO hoc nomine indigitatur,
p. 125. floris colore diſcrepat: inter ſpecies *Pedicularis* refertur *pedicularis caulibus reflexis, ſpica laxa purpurea,* et eius varietas, *ſpica alba,* quae multum conuenit cum *Pediculari foliis pinnatis, pinnulis obtuſis, dentatis, galea roſtrata.* HALLER Helu. Caules in terram proſtrati, flores in ſummitate gerunt, quorum baſis fo-
p. 127. liolo multipartito ſuſtinetur. Plane a cognitis autem diſcrepat: *Pedicularis alpina, acaulis, flore magno,* foliis ornata pinnatis, longe petiolatis, pinnulis laciniatis, floribus ſex vel ſeptem magnis, purpureis, galea obtuſa intus piloſa, labio inferiori amplo, trifido. Deſcripſit autem Noſter exſiccatam. Inter gra-
p. 146. mina occurrit: *Gramen loliaceum ſerotinum, panicula diſpanſa,* Tab. III. fig. 2. delineatum, ſpica ramoſa, ramis alternis, unusquisque quinque vel pauciores locuſtas complectitur, gluma altera ariſta breuiſſima

inſtru-

inſtruitur. Alſines genus quibusdam denuo ſpeciebus auctum eſt, nempe adducitur: *Alſine pentaſtemon, gramineis foliis, geniculata:* caules habet in terram reclinatos, flores ex alis ramorum, pentapetalos, petalis integris, calyce petalis duplo longiore, piloſo: *Alſine alpina, multiflora, capillaceo folio, flore minore,* qua floris nota ab alia, ſic nominata TOVRNEFORTII conſtantius diſcrepat: porro *Alſine polygonoides, foliis breuibus, flore albo.* Caules plures, folia oppoſita, linearia, leuiter acuminata gerit, ramulos alternos, decaſtemon eſt, ſiſtit eam fig. 1. *Alſine caryophylloides glabra, florum pediculis longiſſimis.* Pedunculi dichotomi, intermedio ſummi caulis ſimplice, petala calyce duplo longiora, alba, ſubrotunda. Decaſtemon, ſtaminibus alternatim longioribus, capſula ſeminum decem laciniis inſtructa. Pedunculi poſt marceſcentem florem erecti reſtant. *Cherleria* HALLERI cum flore et ſemine proponitur eadem tabula fig. 3. addita etiam deſcriptione pleniore. p. 175. Tab. IV.

Ex iis autem, quae iam adduximus, remur nos confirmaſſe, induſtriam Cl. Auctoris et ſedulitatem in diſquirendis comparandisque plantis non fuiſſe vulgarem, ſed, quum in eius modi plantarum collectionibus methodicis de ſingulis exponi non poſſit, indicabimus adhuc, quae additis in tabulis reliquis, a quinta ad octauam proponuntur. *Quinta Lychnidem* ſiſtit *alpinam, foliis anguſtis, reflexis, petalis quadripartitis* et duas Saxifragae ſpecies: *Saxifragam alpinam, foliis glaucis, acutis, monanthon, caule folioſo,* nec non *Saxifragam alpinam muſcoidem, foliis ſuperioribus oblongis, inferioribus rotundioribus et circumactis.* Huius iam ſuperius mentio facta fuerat, nunc tantum accuratius delineata atque deſcripta proponitur. *Sexta* dicata eſt Helianthemis, cuius tres ſpecies iunguntur, *prima: alpinum vulgari ſimile, latioribus foliis* nominatur, *ſecunda: alpinum ſerpilli* p. 186. p. 201. p. 203. p. 193. p. 195.

 folio

p. 197. *folio nigricante et hirſuto*, flores inodoros fert: *tertia*: *annuum humile foliis ouatis, flore fugaci.* Superiora folia ex ouatis oblonga fiunt, omnia tomentoſa ſunt, oppoſita. *Septima* rarius deprehendendam plantam refert,
p. 227. nempe: *Laſerpitium Peucedanoides, foliorum ſegmentis anguſtiſſimis.* Folia illis peucedani ſimilia ſunt, longe petiolata, ſegmentis trifidis et quinquifidis, anguſtiſſimis. Vmbellae quinque ad decem, radiorum inuolucro uniuerſali et particulari inſtructae. Semen hinc ſtriatum, liris foliaceis ornatum, illinc planum. Orchidum plures quidem ſuperius iam exhibuerat ſpecies Cl. Auctor, nunc tamen denuo *tabula octaua* undecim diuerſos flores ſiſtit. Sciendum autem eſt, eum hoc nomine ſimul Helleborines ſpecies quasdam et Epipactra HALLERI comprehendiſſe.

XII.

Specimen Phyſiologiae Plantarum I, quo Dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem proponuntur. Auctore C. F. IAMPERT, M. D. Halae, 1755. 4. pl. 3.

et

Specimen Phyſiologiae Plantarum II, quo Dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem continuantur. Praeſide C. F. IAMPERT, Phil. et Med. Doct. Reſpondente *F. C. Schwalbe*, Quedlinb. Halae, 1755. 4. pl. 2½.

Quamuis plantarum etiam anatome noſtra aetate exculta magis, eiusque ope ſtructura ipſarum indagata fuit penitius; quae tamen adhuc detegant accuratiusue demonſtrent, multa ſibi relicta hic eſſe deprehendunt ſcrutatores. Atque in hoc opere, et in primis in diſquirenda ſitus verticalis plantarum ad horizontem ratione, nuper occupatus Cl. IAMPERT eumdem in finem ſimul in vaſorum, quibus gaudent plantae,

plantae, ſollicite quum inquireret praeſentiam aeque ac naturam, multa adeo ipſi indaganti circa eadem ſeſe obtulerunt dubia, ut, miſſo primo labore, iam duobus ſpeciminibus, quae indicamus, vaſorum in plantis exiſtentiam et dubiam reddere et pernegare prorſus ſuſtineat. Talia vero, ſe negare ipſe confite- p. 8.
tur, dari in plantis vaſa, qualia a botanicis exhibentur, ſuccifera, adeo exigua, ut lumen eorum nullis umquam detegi queat microſcopiis; minime autem ſe omnium vaſorum contendit idem reiicere velle praeſentiam. Quae adſerta Cl. Auctoris communi botanicorum conſenſu receptam quum infringere ſententiam atque adeo noua quaſi eſſe videantur, eorum ſummam iuuabit expoſuiſſe in praeſens paullo plenius.

Vt igitur ad ſuam declarandam melius dubiam p. 9.
mentem viam ſibi quaſi panderet; praemiſſa plantae in genere definitione, non nulla monet, quae in diſquirenda plantarum ſtructura indagatoribus vel obſeruanda ſunt, vel obſtitiſſe adhuc videntur, quo referri merentur obiectorum exiguitas, ſtructura ſimplicior atque ſolidior, euidentioris utilitatis defectus, inſtituti denique ratio tam uniuerſalis nimis, quam inuerſa prorſus. Docere idem putat Noſter vaſorum p. 13.
in plantis ideam, qualis a botanicis huc uſque data fuerit, quum eadem dicant eſſe cauitates oblongas, adeo ſolidis praeditas parietibus, ut fluida continere queant, idque cum vel ſine motu; quum porro eorum ſpecies adſumant ſuccoſa, quae ſuccos, et cartilaginea et lignea, quae aerem, interdum etiam ſuccos vehant; quum ipſa ſuccoſa affirment eſſe cylindrica, ſecundum longitudinem plerumque poſita, in utraque extremitate hiantia, atque ex aliis minoribus compoſita, quorum lumen vel armatos fugiat oculos. Fallaciam vero hic in eo poſitam credit Noſter, quod indagatores illi omnes fere, ſtylo neglecto philoſophico, definitiones adaequatas adſertorum ſuorum

neque exhibuerint, neque ſufficienti rationum pondere comprobauerint; quamuis etiam multum fefellerit veri ſpecie adparens analogia cum animalibus.
p. 16. Iam ipſam vaſorum eiusmodi poſſibilitatem aeque ac exiſtentiam infringere adgreditur Noſter ſequentem in modum, ut primo aliorum botanicorum, quae dederunt pro demonſtranda vaſorum in plantis exiſtentia, argumenta et exponat et refellat ſimul, deinde vero ſua, quae fouet ipſe de iisdem, ſubnectat cogitata. Loquitur autem de ſuccoſis vaſis, de aereis alio acturus tempore.

Praeter PONTEDERAM igitur, qui tacite putatur negaſſe vaſa illa ſic dicta ſuccifera, reliqui fere omnes botanici horum praeſentiam demonſtraſſe dicuntur ex fluidi aquoſi in plantis praeſentia, variaque ſuccorum diuerſorum ſecretione, tandem ex ſucci, qui in ſecta trunci ſuperficie apparet, profluxu: quum vero alias adhuc eſſe poſſe praeter vaſa ſucci vias aliosque ſecretionum modos infra demonſtraturus ſit Cl. Auctor, parum valere illa argumenta putat idem.
p. 18. Porro proprietates vaſculorum ſic dictorum quod attinet, et figura eorum cylindrica et caui exiguitas tanta, quae nullis detegi queat microſcopiis, valde dubia Noſtro viſa eſt, quin per exemplum folii tiliae, adſumta quadam vaſorum eius copia, factaque ramuſculorum inuicem ad ramos ſuos et petiolum relatione, contendit vix mente concipi eam poſſe, obſtare ipſi, quae inde ſequeretur neceſſario, diuiſionem in infinitum, obſtare et ſucci preſſionem vaſculorumque ipſorum teneriorem iuſto ſoliditatem; id, quod in gemma, quo minor vaſculorum huius dia-
p. 20. meter eſt, plus adhuc valebit. Praeterea certo ſuo fundamento deſtituta etiam vaſorum putatorum ramoſitas. In foliis, in dauci radice, in fructu ſtramonii apparentes anaſtomoſes, non vero veras vidit Noſter ramoſitates. Trunci deficiunt, deficit proportionata ramorum imminutio, obſtant denique leges

ges motus. Forte autem adhuc pro vaſis illis putatis militaret ipſa fluidi, quod vehunt, ſubtilitas tanta, quae vel optimorum vitrorum focos fugiat. Quod lubens concedit Cl. IAMPERT, ſi ſucci plantarum mere aquoſi eſſent, ſed ſunt illi ſaponacei, ſalinis nimirum oleoſisque mixti particulis, quarum craſſities maiorque cohaeſio vetat intrare vaſculorum eiusmodi diametros. In primis vero terra, qua abundant variarum plantarum ſucci, negabit ire per eadem. Aliud adhuc ſupereſt argumentum, quod vaſorum il- p. 23. lorum ſucciferorum vindicare poſſet praeſentiam, ab analogia nimirum cum homine deſumtum. Et ſimilitudo neruorum et delineatio foetus multum fauet iſti de vaſculis plantarum ſententiae. Verum ſtructura neruorum ipſa adhuc dubia eſt minusque demonſtrata, ſi vero celluloſa eadem eſt, quod non nulli adfirmant, illud magis pugnabit contra vaſculorum praeſentiam. Analogia porro ſecretionis fluidi neruei in cerebri vaſis capillaribus parum huc quadrat; plantarum enim ſucci ſpiſſiores, vaſa contra centies plus minora nihil exhibent analogi. Quin repletio horum negata, quam admittunt corticis cerebri vaſcula, multum oſtendit diſcriminis. Inſuper fluida illa, quibus replentur vaſa animalium, in ſtatu ſuo naturali ſpiſſiora ſunt, quam inde paratum oleum vel ſpiritus, atque nihilo minus recuſant haec iniici in putata iſta plantarum vaſcula. Circa delineationem embryonis tandem permulta adhuc occurrunt obſcura atque dubia, quae vel in plantis, quo ſimplicior earum fabrica eſt, indagari ſollertius deberent, ut inde forte animalium generatio illuſtrari poſſet melius. Ceterum perfecta delineatio embryonis valde ambigua eſt, partialis aliqua ſufficit.

Haec ad poſſibilitatem vaſorum in plantis infrin- p. 27. gendam dicta ſint; iam in altero ſpecimine pergit Cl. IAMPERT demonſtrare, per diuerſas eundo partes plantarum, talia in iisdem actu non exiſtere. Partes

 autem

autem plantarum ſunt vel conſtituentes, vel conſtitutae ſiue compoſitae ex illis: illae ſunt cuticula, parenchyma, liber, alburnum, medulla: hae radix, bulbus, caudex, petiolus, thalamus, flos, fructus, ſemen. *Cuticula* ſquamulis conſtat, poroſque habet, vaſa vero et nudus et armatus oculus nulla umquam
p. 28. potuit detegere. *Parenchyma* ſub hac latet, conſtans utriculis; qui ſunt plerumque contextus celluloſus ſimplex, interdum fibris vel vaſis ligneis cartilagineisque pertextus, ſucco ſemper turgidus; hinc debent adeſſe pori, hinc motus ſucci in iis, ut docent diſſectae plantae lacteſcentes. Neque obſtat illud, quod in utraque ſuperficie diſſectus caudex ploret, docet tantum niſum ſucci verſus minorem reſiſtentiam, qui
p. 30. niſus in naturali ſtatu ſurſum directus eſt. *Medulla* a parenchymate non niſi loco differt, medium ubique occupat, fibris caret, ſuccos vehit. In non nullis quidem plantis, in primis in umbellatis et aquaticis, nec non in iis, quae folia ſeſſilia habent, fibrae ſeu vaſa intertexta parenchymati ſunt, illud vero ex eo pendet, quod eius utriculi inferiores ſuperiorum pondus non ſuſtinerent, niſi fulcra dediſſet natura: quibus medulla opus non habet, quum vis externa eam haud feriat, quum ſuperiores huius utriculi magis ſuſtententur, quum ſucci copia tanta non adſit, et ſi qua eſt, denſior etiam atque ſolidior fabrica ſit, quum ea denique circum circa incluſa firmiter haereat. Ex quibus iam dictis ſatis patere cenſet Noſter, dari ſine vaſis poſſibilem aeque ac actualem ſucci mo-
p. 32. tum in utriculis. Enim vero *liber* et *alburnum* vaſa habent, ille ſuccoſa, hoc cartilaginea. Praeter ſupra adductas rationes, iisdem fauet obſeruatio, qua arbores, ligno omni remoto, ſaluas manſiſſe, adeoque per librum moueri ſuccos conſtitit. Cui aliam Noſter obiicit obſeruationem, in pinis nuperrime caeſis factam; ſuccus enim per omnem ligni aream ita prorumpit, ut non in linea fibrarum lignearum,

ſed

ſed ad interſtitia earumdem primum prodeat, tandem vero oras celluloſi contextus ob copiam tranſcendens, fibris ligneis denſioribus adhaereat facilius. Porro fabrica alburni et geneſis, quae monſtrat celluloſam inter duas laminas telam, quae ante annum vel duos fuerat parenchyma, pro vaſis putatis non militat. Fibrae enim eius ligneae cauae non ſunt, neque fundunt liquidum diſſectae. Facilior conceptu eſt utriculorum per hyemem ſenſim facta exſiccatio, et induratio, quam Noſter explicare uberius alio tempore pollicetur. Tandem geneſis lignorum petrefactorum intra celluloſam haerentem materiam lapideam monſtrat. Neque obſtare ſibi credit Cl. Auctor fibras Mansfeldenſium aliorumque lignorum petrefactorum lapidea materie repletas adeo, ut nulla earum ſuperſint veſtigia, atque hinc peruias fuiſſe oporteat; materiem enim iſtam concedit ipſe penetrare in interſtitia fibrarum, ſenſimque earum induere figuram, ſed acrem eandem plerumque, deſtructis fibris ligneis, earum occupare locum; multam ceterum poſtulari putat adhuc fiduciam, ut, quae habentur pro petrificatis lignis, eadem etiam ſint.

Ad partes conſtitutas ſiue compoſitas progreditur Noſter, atque *radicem* eiusque varias ſpecies primo loco examinat. Fibroſa non ſecus, ac omnis radix, abſorbet humores per poros, eosque cum planta communicat. Semper autem parenchyma eius primum turget ſucco, qui deinde ope ductuum radiatim excurrentium trans fibras ligneas vehitur ad medullam. Quo minor radicula, eo pauciores fibrae vel vaſa, eo maior tamen abſorptio, ut adeo conſtet moueri ſuccum in primis in utriculis. Id, quod euidentius patet in *tuberoſis* radicibus: eas enim omnes fere affirmant botanici vaſis deſtitui ſucciferis. Fabrica earum tota celluloſa eſt, ſuccos tamen vehunt et praeparant et germen euoluunt. Forte autem vaſis gaudent *fuſi* vel *napiformes* radices; habent

p. 35.
p. 36.

quidem copioſas fibras vel vaſa putata, copioſiorem tamen ſimul medullam atque parenchyma. Haec abundant primo anno, quum planta marceſcat, alteroque anno contrahuntur et anguſtantur, fibrae contra relatiue augentur, certo omnino indicio, neceſſarios eſſe ad abſoluendam vegetationem utriculos. *Bulboſarum* eadem fabrica eſt, ac tuberoſarum, vel cum ſemine analogia, de quo infra. De *caudice* valent, quae iam dicta ſunt de libro et alburno; unicum illud addit Noſter, ſi ſuccus non per parenchyma, ſed per vaſa ſuccoſa tantum moueretur, ſequi inde, ubi vaſa haec copioſa eſſent, ibi etiam adeſſe debere ſuccum copioſum lautiusque incrementum, ſed contrarium docere exiſtimat plantas aquaticas, bulboſas, ſucculentas, fungos, e celluloſo maximam partem conſtructas contextu. Neque umquam etiam in iis plantis, ut iuglande, aliis, terreis copioſe inſtructis particulis, vaſorum putatorum detegi potuit
p. 37. diameter. In *petiolis* quando fatetur Cl. THÜMMIG ſe vidiſſe medullae caua, non vero oſtia vaſculorum, quae ſint ſolidiora nimis, poſſintque comprimi facilius, contra ſe pugnare cenſet Cl. IAMPERT ex eo, quod omnis lamella tenuis pelluceat, ſolidumque vas
p. 38. haud patiatur ſe comprimi. *Thalamus* nulla vaſa, ſed contextum celluloſum tantum exhibet. In heliantho quidem vaſculum tale apparet, illud tamen euaneſcit rurſus ante ſeminis praeparationem. Copioſos ceteroquin vehit praeparatque ſuccos thalamus et flori et ſemini in primis lacteſcenti, ut adeo
p. 39. vaſa neceſſaria non ſint. Diu multumque in contemplandis *ſtaminibus antherarumque* puluere occupatus Cl. IAMPERT, euitatis caute, quae ſaepe hic offendunt, fallaciis omnibus, neque in filamentis ſtaminum, neque in antheris ulla unquam detexit vaſcula, copioſam vero ubique vidit celluloſam, et quos in interna antherarum facie conſpexit eminentes, villos credit elongatos utriculos vel reliquias

celluloſi

celluloſi contextus, ut adeo et hic in celluloſa moueatur ſuccus, praeparetur que antherarum puluis. Et p. 40.
ſtylus et *ſtigma* eius fabrica gaudet mere cellulari, atque vaſis caret, teſte etiam Cl. LVDWIGIO. *Ouarium* habet partem magis eſſentialem et minus eſſentialem. Haec eſt vel ſucculenta, ut fructus, vel ſicca, uti capſulae; illam conſtituunt cotyledones et germen. *Capſula* omnis vaſis deſtituta eſt, iunior abundat celluloſo habitu. *Fructus* vel ſolis conſtant utriculis, paucis intertextis vaſculis ſeu fibris. In diſſectis non ex vaſis iſtis, ſed ex utriculis ſuccus profluit: Neque ulla eſt vaſculorum horum ad utriculos proportio: magna enim dantur ſpatia utriculorum, nullis pertexta, quae ſuccos aduehérent, vaſculis: Ipſa denique cuticula vaſis etiam caret, nullaque ad eam pertingunt e media pulpa vaſa. Tandem *cotyledones* ſunt omnium conſenſu parenchyma pulpoſum, ſucco lacteo, farinaceo ſcatens, facile tamen in germinis vegetationem ſolubili; id, quod etiam valet de ſquamis radicum bulboſarum, ut ſupra dictum fuit. p. 41.

Atque haec eſſet dubiorum, quae vaſorum in plantis probabilitati oppoſuit Cl. IAMPERT, ſumma; iam ſuam, quam ipſe fouet de iis, proponit ſententiam. Vaſa nimirum ſic dicta ſuccoſa, ſiue fibrae faſciculatim excurrentes, cauae, dicuntur ipſi oſſa plantarum, uti dudum iam ita dictae ſunt fibrae ligneae. Variat quidem eorum rigiditas atque ſoliditas, inde vero fluit diſtinctio inter oſſa totius plantae et inter oſſa utriculorum; hinc etiam ſitum varium habent, vel per medium vel proxime circa parenchyma et medullam poſita. Totius plantae pondus robuſtiores fibras pro fulcris poſtulauit, utriculorum illud debiliores. Exempla dant fructus omnes ſucculenti. Negato itaque per fibras ſolidas ſeu putata vaſa ſuccifera motu ſuccorum, eidem operi ſufficit utricularis ſubſtantia, in primis quum mutua eius ſa- p. 42. p. 43.

tis

tis pateat communicatio. Neque vero omnia negat Noſter in plantis vaſa, interſtitiis maioribus, in fibrarum faſciculis ſaepe patulis, concedens vaſorum officium, praeſertim ſi forte ſpecifica ſucci ad ſecretiones eius opus ſit directione; ſufficere tamen arbitratur etiam utricularem ſubſtantiam. Pro diuerſa enim utriculorum fabrica diuerſi etiam ibi parantur ſucci; et inteſtinus eorum, a quo omnis ſecretio pendet, hic celebrari poterit motus; fauet denique etiam Noſtro Cll. PONTEDERAE atque DV HAMEL aucto-
p. 44. ritas. Sub finem unicum adhuc adfert Noſter exemplum plantarum ſiccioris ſtructurae, ut ſunt muſci, lichenes, corallia, quae omnes vaſis carent, tela contra celluloſa abundant. Quae forte ſupereſſent, de repletione vaſorum fallaci, de modo fiendi motus ſuccorum, de vaſis aereis, aliis, in aliud tempus haec ſibi reſeruare voluit Noſter omnia.

XIII.

Herrn MICH. CHRISTOPH HANOWS, *Profeſſors der Weltweisheit und Bibliothecarii an dem Academiſchen Gymnaſio zu Danzig, Seltenheiten der Natur und Oeconomie, nebſt deren kurzen Beſchreibung und Erörterung, aus den Danziger Erfahrungen und Nachrichten zu mehrerem Nutzen und Vergnügen ausgezogen, und herausgegeben von* IOHANN DANIEL TITIVS, *der Weltw. Magiſter. Dritter Band. Nebſt den Kupfern zu allen drey Bänden. Leipzig, in Lankiſchens Handlung, 1755. 8. 1 Alph. 22½ Bogen, und ſechs Kupfertafeln.*

i. e.

MICH. CHRISTOPH. HANOVII rariora phyſica et oeconomica, ex Gedanenſium obſeruationum collectione extracta et edita per M. IOHANNEM DANIEL TITIVM. Tom. III. cum tabulis aeneis VI. ad Tom. I. II. et III. pertinentibus.

Cum duo priores rariorum phyſicorum et oeconomicorum tomos ſuo tempore iam indicauimus *, tertium huncce et forſitan ultimum tomum, quem praecedentibus duobus, quoad rerum pertractatarum copiam et dignitatem haud inferiorem deprehendimus, ſilentio non prorſus praetereundum eſſe arbitramur. Ordo vero in hocce tomo a prioribus duobus parum mutatus inuenitur, Cl. Editor enim ob deficientem tantum rerum varietatem, tot claſſes, ſectiones et partes inferiores non conſtituere potuit, varias tamen in Gedanenſium obſeruationibus occurrentes

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 515 ſeq.

rentes tractationes, quae ſub nullum commode prio-
rum ſectionum titulum reduci poterant, in quartam
et acceſſoriam partem de phyſica in genere coniecit.
Cum vero tantum obſeruationum campum emetiri,
omniaque, quorum pauca ad nos propius ſpectant,
recenſere nequeamus, lectoribus noſtris, librum
ipſum perlegendi cupidis, notatu digniorum titulos
ſaltem indicaſſe procul dubio ſufficiet. In partis igi-
tur primae ſectione prima, de obſeruationibus in
p. 3. hominibus factis, praeter relationem de Cl. RICH-
p. 38. MANNI morte ſubitanea, morborum ſeries per ſe-
decim annos continuata legitur, quam Cl. KNAP-
PIVS ab anno 1739 ad annum 1754 Gedani per ſin-
p. 106. gulos menſes obſeruauit ſeduloque annotauit. Se-
ctio ſecunda, obſeruationes in animalibus inſtitutas
continens, varia notatu digna, v. g. ouum anſeri-
num fractum et in anſere ipſa rurſus coalitum, ga-
p. 115. leos, canis Carchariae ſpeciem, neonatos, et in pri-
mis eorum burſam vel ſaccum umbilico adhaeren-
tem, ſpinas incogniti cuiusdam piſcis venenatas, oua
percae impraegnata, gallinarum aſcarides, animalcu-
la marina algae inſidentia, teredinem naualem, et
ſtellam marinam arboreſcentem variaque alia exhibet.
p. 194. In hac ultima vero ſtella marina, quam Cl. Auctor,
in Ruſſorum Lapponia captam, coctam accepit,
anum, quem Cl. LINNAEVS in parte ſuperiore eſſe
voluit, fruſtra quaeſiuit, et hinc cum RONDELE-
TIO potius ſibi perſuaſit, hanc minimum huius Zoo-
phyti ſpeciem ano deſtitui, atque deglutitorum ani-
malculorum reliquias, polyporum more, per os in
p. 203. inferiore parte poſitum rurſus eructare debere Pars
ſecunda, de rarioribus plantarum et fructuum agens,
varias adcuratasque deſcriptiones mali aurantii intus
germinantis virentisque, iridis ſuſianae, mali citri
grauidi, nec non diſquiſitiones ligni ſplendentis, an-
nui arborum incrementi, et caulium multiplices ari-
ſtas ferentium continet, quarum ultimam vero Cl.
Editor

Editor ex latino ſermone in vernaculam tranſtulit *.
Tertia pars aeris phaenomena et effectus tradens, doctas difficilesque diſquiſitiones, de aeris mutata denſitate, de motu aeris ſeu vento ex mutata eiusdem grauitate determinando, ut et de ſummo infimoque thermometrorum, in primis Fahrenheitiani, gradu rite conſtituendo, in qua de optimis quoque thermometris agitur, continet. Has, praeter alia huc ſpectantia, tentamina quaedam excipiunt, eum in finem inſtituta, ut congelationis aquae principium maxima, qua fieri poteſt, cum certitudine determinetur, quae vero a Cl. Auctore ulterius continuata, et alibi quoque iam publici iuris facta, indicauimus **. Obſeruationes tandem duorum parheliorum, aeris phaenomena Gedani per ſedecim annos a 1739-1754 continuata, nec non explicatio, quam ob cauſam coelum interdum, uti exeunte Decembri 1754 per integros quatuordecim dies nubilum eſſe poſſit, cum barometra tamen grauem aerem eſſe indicarent, agmen huius tertiae partis claudunt. Miſcellaneae tandem in quarta parte contentae diſquiſitiones ex uniuerſa phyſica depromtae v. g. tentamina cum aqua marina prope Helam inſtituta, exploratio aquae ope ſtaterae, item lactis examen, an aqua adulteratum ſit, et methodus altitudinem poli ex umbra tempore aequinoctiali facile inueniendi, variaque alia utilitate ſua non carent. Licet vero variae adhuc in Gedanenſium obſeruationibus, quae adhuc dum continuantur, ad oeconomiam, tempeſtatum varietatem et hiſtoriam naturalem ſpectantia, una cum tabulis meteorologicis et neonatorum mortuorumque per ſingulos menſes continuatis variaque alia conti-

p. 325. p. 593.

* Ex Cl. HANOVII meditament. nou. argum. philoſ. et litterarii ſpec. II. Gedani 1742. 4.

** In Tentaminibus et Commentariis Societatis naturae indagatorum Gedanenſis. Tom. II. No. 4. p. 160 ſeq. et Comment. noſtror. Vol. IV. P. II. p. 310.

contineantur, Cl. Editor tamen ideo, quod haec non omnibus utilia eſſe cenſeat, nullum amplius tomum promittit. Quo vero harum rerum curioſi, in tanta Gedanenſium obſeruationum raritate, cum vix octo homines easdem complete poſſideant, haec omnia tamen pro lubitu euoluere atque perluſtrare, ipſisque neceſſaria in ſuos uſus conuertere poſſint, Cl. Editor unicum et completum exemplar ſedecim voluminibus conſtans in officina libraria Lankiſiana in publicos uſus depoſuit.

XIV.

De Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentarii Tomus III. Bononiae ex typographia Laelii a Vulpe 1755. 4to. mai. alph. 2. pl. 18. tab aen. 13.

Dum tertium hunc tomum commentariorum de Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia indicamus, Lectoribus noſtris haud ingratum fore arbitramur, ſi ea, quae ad hiſtoriam huius inſtituti atque academiae pertinent, breuiter enarremus. ALOYSIVS FERDINANDVS, ex nobili et veteri MARSILIORVM familia natus, qui militari virtute, litterarum laude et ita operibus ſplendide editis pariter inclaruit, in itineribus ſuis omnia congeſſerat, quae hiſtoricam et phyſicam corporum naturalium cognitionem aliasque ſcientias et artes illuſtrant, inde etiam exemplo ſuo varios eruditos Bononienſes excitauerat, ut his diſciplinis excolendis operam nauarent. Senatui itaque Bononienſi anno duodecimo huius ſeculi ſupellectilem hanc litterariam collectosque naturae et artis theſauros dono dedit, quo is de inſtituto amplificando ſollicitus eſſet. In hac re vero praeſtanda munificentia ſummi pontificis maximopere laudanda eſt, qui permiſit, ut pecuniae ex vectigali-

bus

bus et aliae publicae in inſtitutum erogarentur. Emta itaque fuit ampla domus, apta ſatis ad cimelia haec collocanda et rite diſponenda; conſtituti fuerunt Profeſſores ſex aſtronomiae nimirum, architecturae militaris, phyſices, naturalis hiſtoriae, chemiae, et bibliothecarius, nec non praeſes, a ſecretis qui erat et tres ſubſtituti. Hi non tantum omnia diligenter curant, quae ad ſuas diſciplinas pertinent, ſed octauo quoque die in aedibus inſtituti conueniunt, et recentiſſima et nobiliſſima ſummorum virorum inuenta publice demonſtrant. Inſtituto poſtea quoque iuncta fuit academia pictorum, ſculptorum et architectorum, quae et ante inſtitutum conditum in aedibus Marſilianis floruit, idque optimo conſilio factum eſt, cum artes et ſcientiae mutuo ſtudio adiuuentur et perficiantur. Non vero his tantum, ſed aliis variis commodis publicisque donationibus auctum fuit inſtitutum Bononienſe, ut in ſcientiarum et artium incrementum omnino floreat et euehatur.

Dicendum vero etiam eſt de bononienſis inſtituti academia. Anno nonageſimo ſeculi praecedentis in aedibus EVSTACHII MANFREDII, tunc temporis adoleſcentis, alii ſimilis aetatis eruditi ad exercitia litteraria ſuſcipienda conuenerunt, et academiarum more, inſignia lemma, et nomen *Inquietorum* ſibi elegerunt. Alia ſimilis academia in aedibus IOHANNIS ANTONII DE VIA ſtabiliebatur, ad quam varii acceſſerunt adoleſcentes, poſtea viri eruditione clari facti, haec tamen academicis in varias partes diſtractis breui diſſoluta fuit. Prior vero, quae per quatuor annos apud MANFREDIVM manſit, poſtea in aedes IACOBI SANDRII migrauit. Exigua haec academiae initia ideo quoque indicanda erant, quo pateret, quid adoleſcentum quoque docta aemulatio in perficiendis ſcientiis praeſtet. Cum enim ex his academicis non nulli eruditione inclareſcerent, facile perſpexerunt in diſceptationibus inutilium ſaepe quae-

ſtionum, in quibus enodandis tantum occupati erant, veram eruditionem non poſitam eſſe; hinc IOHANN BAPTISTA MORGAGNIVS, EVSTACIVS MANFREDIVS et VICTORIVS FRANCISCVS STANCARIVS de eo cogitarunt, ut optimis legibus propoſitis academiae noua forma daretur, quod anno 1704 factum eſt. Diſciplinae igitur tractandae, ſcientia phyſico - mathematica, hiſtoria naturalis, chemia, anatome, medicina inter academicos diſtributae et certi dies conuentibus publicis deſtinati fuerunt, in quibus et praeſes et alii noua inuenta proponebant. Floruit itaque Academia Bononienſis et ita celebris facta fuit, ut et exteri accederent, in primis Helueti SCHEVCHZERI nimirum fratres et IACOBVS HERMANNVS.

MARSILIVS Comes licet tunc temporis in Gallia verſaretur, de academiae flore tamen certior redditus, eandem in aedes ſuas inuitauit, ideoque cum per decem annos in aedibus SANDRII floruiſſet, anno quinto huius ſeculi in domum Marſiliam translata fuit. Sed rebus vix rite diſpoſitis MORGAGNIVS aliique eruditi ſocii Bononiam relinquebant, eoque tempore mors STANCARII accidebat, ita ut his calamitatibus ſuppreſſa academia ferme diſſoluta fuiſſet, niſi BECCARIVS et GALEATIVS eandem ab interitu vindicaſſent. Cum itaque MARSILIVS cum ſenatu Bononienſi de condendo inſtituto ageret, cumque eum academiae quoque cura vehementer ſollicitaret, id etiam a ſenatu petiit, ut academiae in aedibus inſtituti locus quoque concederetur. Obtinuit hoc facillime Vir de ſcientiarum incremento adeo ſollicitus, et leges a MORGAGNIO olim propoſitae paululum mutatae et ad praeſentem ſtatum accommodatae fuerunt, inſtituti praeſes primum locum, alterum academiae praeſes in conuentibus publicis occupabat. Sociorum numerus ita praefiniebatur, ut ordinariorum duodecim, numerariorum viginti quatuor,

tuor, honorariorum indefinitus eſſet. Laboribus itaque inter ſocios diſtributis, optimoque ordine per leges praeſcripto anno decimo quarto huius ſeculi menſe martio, cum nouum ſcientiarum inſtitutum primum aperiretur, academia quoque in illo conſeſſu pulcherrime ſtetit. Ab eo tempore Inſtitutum et Academia Bononienſis magno cum eruditorum applauſu floruerunt, et acceſſu celeberrimorum virorum tum Italorum tum exterorum nobilitata commentarios ſuos quoque cum orbe erudito communicauit.

Quae nunc breuiter de eius hiſtoria expoſuimus, ex primo tomo commentariorum, quem FRANCISCVS MARIA ZANOTTVS 1731 edidit, excerpſimus * et eos, qui accuratiorem deſcriptionem exigunt, ad hunc librum ablegamus. Hic vero primus tom. praeter hiſtoricam deſcriptionem Inſtituti et Academiae Bononienſis, opuſcula quoque continet, quae ab academia condita ad annum vigeſimum ſecundum huius ſeculi ab academicis elaborata fuerunt, quo nimirum tempore ZANOTTVS a ſecretis academiae conſtitutus fuit. Proponuntur vero primum commentarii ſiue hiſtorica recenſio earum rerum, quae in academia agitatae fuerunt, et praeterea annectuntur ipſa opuſcula, diſſertationes ſcilicet varii argumenti ab academicis elaboratae.

T 2 Poſt

* Comparauimus cuncta cum libello, qui 1751. Bononiae 8vo prodiit. *Dell' origine e de' progreſſi dell' inſtituto delle Scienze di Bologna e di tutte le Academie ad eſſo unita, con la deſcrizione delle più notabili coſe, che ad uſo del mondo letterario nello ſteſſo Inſtituto ſi conſervano, operetta in grazia degli eruditi compilata da* GIVSEPPE GAETANO BOLLETTI *ſacerdote e cittadino bologneſe.* In quo tamen ea, quae a ZANOTTO propoſita fuerunt, maximam partem repetuntur, adiecta tamen aedium inſtituti delineatione accurata, non tantum faciem externam, ſed internas quoque concamerationes ſiſtente.

Poſt tredecim annos tomus ſecundus editus fuit, isque in tres partes diuiſus; prima enim, quae 1745 prodiit, hiſtoricam tantum relationem rerum propoſitarum exhibet, anno 1746 pars ſecunda et anno ſequenti pars tertia euulgatae fuerunt, in quibus binis ipſa opuſcula ſiue diſſertationes continentur. Tertius nunc tomus, in fronte a nobis indicatus, ſequitur, ita certe comparatus, ut praecipua eius argumenta cum lectoribus noſtris communicanda ſint.

p. 1. Enumerantur primo in nouem capitibus ea, quae ad inſtituti et academiae bononienſis florem et incrementum pertinent, BENEDICTI XIV. ſummi Pontificis cura in ſtudiis euehendis maximis celebratur laudibus, enarrantur ſenatores inſtituti praefecti et profeſſores, FRANCISCVM MARIVM ZANOTTVM academiae quidem et nunc a ſecretis eſſe, ob tenuem tamen eius valetudinem IGNATIVM SCANDELLARIVM medicum eidem adiunctum eſſe. Poſtea varia artium et ſcientiarum incrementa et adiumenta, nec non bibliothecae augmenta deſcribuntur, ea, quae ſpeciatim pictorum academiam concernunt, commemorantur, in fine quoque exponitur, quomodo ſcientiarum academia fere langueſcens, nouis beneficiis ſummi pontificis aucta fuerit et excitata. Cum enim hic Panolinianum Collegium pro auctoritate ſua tolleret, non paucos illius reditus inſtituto et horum partem academiae tribuit, et viginti quatuor academicos elegit, quos ducto a ſe nomine Benedictinos appellauit, et iis, qui diebus conſtitutis ſcripta recitant erudite elaborata, praemium annuum decreuit aliaque varia egregie ſtabiliuit, quibus omnibus academia in ſpem quandam immortalitatis erigi viſa fuit.

p. 27. Sequuntur nunc commentarii de iis rebus et inuentis, quae a decem abhinc annis in inſtituto et academia propoſita fuerunt, ſumma ſcilicet eruditorum opuſculorum ad hiſtoriam naturalem, chemiam, anatomen, phyſicam et matheſin ſpectantium, quos

quidem

quidem omnes pro inſtituti noſtri ratione huc tranſcribere poſſemus, cum ea, quae in opuſculis ipſis traduntur, ſuccincte enarrent; maluimus tamen ipſa opuſcula perlegere, examinare et cum aliorum auctorum laboribus conferre, quam eruditam tantum expoſitionem, ab eo factam, qui academiae a ſecretis eſt, aſſumere. Monemus tamen non omnia opuſcula, quorum ſumma traditur, in hoc tomo contineri, ſed in ſequenti tandem, qui proxime prodibit, reliqua expectanda eſſe.

1) Cl. IOSEPHVS MONTIVS *de mucore* experimenta inſtituta recenſet. Spontaneam inſectorum generationem veritati minime conſonam eſſe REDIVS demonſtrauit, et licet MALPIGHIVS idem in vegetabilibus tentauerit, eaque ſine ſemine oriri non poſſe oſtenderit, abſolutam tamen non propoſuit hanc doctrinam, MARSILIVS potius aliique ex lento humore putrilaginem aemulante, vel ex quadam ſalis et ſulphuris commixtione coniuncta terrae pinguedini, vel ex ſucco nutritio in utriculis transuerſalibus plantarum adhuc ſuperſtite potius, quam ſeminibus declarare annisi fuerunt *. Cum mucore itaque Noſter inſtituit experimenta, quibus generatio minimarum harum plantarum egregie illuſtratur **. Mucorem itaque et vulgarem et aliquas ſpecies, ramoſum ſcilicet aliumque filis longiſſimis inſtructum delineare curauit, p. 145.

* Controverſas autorum ſententias collegit, et ſua quoque experimenta et obſeruationes adiecit LVDOVICVS FERDINANDVS MARSILIVS in diſſertatione *de generatione Fungorum*, ad IOANNEM MARIAM LANCISIVM, quae cum huius reſponſione aliisque diſſertationibus et egregiis iconibus prodiit Romae 1714. fol. p. 14. et paſſim.

** Conueniunt cum experimentis, quae Cl. GLEDITSCH propoſuit in *Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin* ad annum 1749. p. 26. vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 389.

curauit, et in genere monet, LINNAEVM quidem byſſum MICHELII, cum aſpergillo et botritide in unum genus coegiſſe, et mucilaginem lycogalam et mucorem quoque coniunxiſſe, ſe vero multoties obſeruaſſe, mucorem aſpergillum et botritidem eandem aſſequi originem.

Varia itaque corpora, quae facilius mucefcunt v. c. cucurbitaceos et pulpoſos alios fructus recentes et elixatos, cocta pulmenta et animalium carnes etc. elegit, eaque vario modo vitris tecta in diuerſis aedium partibus diſpoſuit, quo generationem mucoris in iis
p. 149. obſeruaret. Licet vero aliis corporibus ſemina inſpergeret, aliis vero nulla, duobus tamen vix diebus elapſis in omnibus filamenta alba exorta fuerunt, capitulis diaphanis et nigris praedita, in iis vero, quae ſata fuerant, inter longiora filamenta breuiora alia oriri vidit, a particulis iam conſiti mucoris orta. In ſegmentis fructuum ſalinis variis humoribus imbutis, mucoris geneſin ſpontaneam non vidit, ſemine autem aſperſo intra octo dies breuiſſima filamenta oriri cognouit Noſter, idque tantum in fruſtis vino et aceto ſaturatis. Docuerunt vero experimenta fruſta haec in diuerſis aedium partibus diſpoſita geneſin mucoris intra duos dies praeſtitiſſe, id autem promtius perfici, ſi vitris inuerſis, vel alio modo in occluſo et
p. 155. humido aere detineantur. An ex tranſpiratione ſuppreſſa, uti Cl. Auctor ſuppoſuit, id fiat dubitamus, cum ex aliis experimentis pateat, perſpirationem vegetationem iuuare. Licet enim, ut ipſe monet, in vaſis clauſis incrementum non prorſus tollatur, extrinſeci tamen aeris alienationem per machinam pneumaticam, nec non vaſorum obturationem cera, ſubere, et bubula veſica factam, huic exortui officere, oſtenſum fuit. Et ignis facultas inter potiora obſtacula incrementi mucoris habita fuit, aqua ferventi enim perfuſa corpora mucores quidem produxerunt, quae vero diutius iuſto aeſtum eiusdem aquae ſuſtinuerunt,

ne

ne minimum quidem mucoris ſignum exhibuerunt, dummodo paulo poſt cooperta ſeruarentur.

His verò et aliis experimentis praemiſſis et diiudicatis, circa aequiuocam et uniuocam mucoris generationem Noſter adhuc ambiguus relinquitur, et variis phaenomenis recenſitis illud dubium mouet: an tenuiſſima illa materies, vel puluis vegetationem in his plantis continuans, verum ſemen dici mereatur? maximeque procliuis eſt ad eam ſententiam defendendam, tam fungos quam mucores aliaque vegetabilia, de quibus ſuſpicari licet ea ex aequiuoca generatione naſci, *non per ſimplices puluiſculos multiplicari, ſed potius per eorundem particulas ab ipſis non ſeparabiles undique ab aere delatas, quas ſeminum officio fungi non denegauit*, confirmatus vero fuit in ſua ſententia per aſſertum Cl. BVFFONII, qui oſtendere annititur per moleculas ſeu particulas organicas corporum naturalium, quae contabeſcunt, infinitum numerum aliorum corporum organicorum viuentium atque vegetantium procreari poſſe. Miramur, quod ad analogiam harum plantarum cum polypis non reſpexerit. p. 157

2) *De plantis venenatis* idem Auctor diſſerit, et oſtendit hederam trifoliam canadenſem CORNVTI, quae a TOVRNEFORTIO ad toxicodendri genus relata fuit *, in primis venenatis ſuccis ſcatere. Licet enim et nomen vim venenatam indicare videatur, et BODAEVS A STAPEL in commentariis in THEOPHRASTVM plantam lacte acri et feruente ſcatere monuerit, tamen ab ea non magis, quam ab apocyni, tithymali et ſimilium plantarum ſucco cauendum eſſe credidit Cl. Auctor. Experientia tamen reiterata et in ſe ipſo et in filiis aliisque rhizotomis cognouit ſucco inquinatam cutim in manibus, facie et in pri- p. 160.

 mis

* *Eſt Rhus foliis ternatis, foliolis petiolatis, ouatis nudis, integerrimis, caule radicante.* LINNAEI Sp. pl. p. 266. n. 6.

mis palpebris eroſiones et ulcuſcula paſſam fuiſſe. Quae cuncta, ne fallacia ſubeſſe videatur, ſollicite deſcribit et effectus in variis hominibus declarauit; commemorat quidem unum ex rhizotomis ſine euidenti laeſione plantam tractaſſe, immo decoctum cum aqua factum ſine ulla noxa expreſſiſſe, eius tamen uxor ramos reſciſſos ex horto reiiciens, acrem veneni vim experta eſt. Noſter quoque et filius caſu quodam decocto aſperſi, incommodis ſupra memoratis tentati fuerunt.

p. 167. Neque dubium eſt et alias toxicodendri ſpecies ſimili venenato ſucco infectas eſſe, ſic enim *toxicodendron, foliis alatis, fructu rhomboide* DILLENII, quae eſt *arbor iaponica vernicifera, fructu racemoſo* KAEMPFERI * cortice inciſo lacteum humorem exhibet, quo ex huius viri teſtimonio cutis exanthematibus et ulcuſculis foeda redditur. Panis autem decocto toxicodendri ſupra citati ſaturatus, nec in felibus, nec in gallinis venenatum effectum edidit. Cl. Auctor vero de auxilio cogitauit, et ſtatim ac puſtulae herpetibus non abſimiles eruperunt, calcis aquam addito pauxillo ſalis ſaturni adhibuit, ſed ab his aliisque repellentibus magis inflammatae fuerunt, et lac cum aqua florum ſambuci parum emolumenti praeſtitit, optimum auxilium in decoctione foliorum maluae et ſambuci extremitatum poſitum fuit.

p. 169. 3) *De perſpectiua in theorema unum redacta,* tractatio EVSTACHII ZANOTTI proponitur.

p. 177. 4) *De moſcho* DOMINICI GVSMANNI GALEATII obſeruationes traduntur. Moſchum inter medicamenta efficaciora relatum et exigua ſemper doſi exhibitum fuiſſe Noſter primum declarat, monet tamen

* *Sitz* ſiue *Sitz - dſin* iaponenſium eſt *Rhus foliis pinnatis, integerrimis, petiolo integro.* LINNAEI Sp. pl. p. 265. n. 4.

tamen inter recentiores varios exſtitiſſe, qui doſi magis aucta hoc medicamentum exhibuerint, quorum exemplo excitatus ipſe quoque hanc efficaciorem medicinam tentauit, ſummam obſeruationum hic propoſuit et effectus tandem erudite diiudicauit.

Iuuenis tredecim annorum temperamenti bilioſi, habitus corporis gracilis, in infantia ſpina ventoſa affectus et aptis remediis inde liberatus, poſt diuturnam et inordinatam ciborum etiam acidorum ingurgitationem dolore capitis et ſtomachi periodico aegrotauerat, qui matutino tempore potiſſimum tam acutus erat, ut epigaſtricam regionem vix attingi pateretur, verſus veſperam autem remittebat; clyſmata oleoſa blanda aliaque medicamenta paregorica leue ſolatium praebuerunt et febris ſimul excitata, larga venaeſectione vix compeſcenda, capitis et ventriculi dolorem acerbiorem reliquit, qui die vigeſimo quarto morbi adeo increuit, ut ad deliria et ſpaſticos motus deduceretur aeger. Hi morbi inſultus primo ſemel de die et horis quidem matutinis, deinde bis et ter aliis quoque horis recurrebant, neque a praeſtantiſſimis medicinis leuabantur. Praeter alia morbi ſymptomata, quae hic amplius recenſentur, magnus obſeruabatur abdominis tumor, in primis ad hypochondria et in epigaſtrio. In triſti illo ſtatu aeger uſque ad trigeſimum diem permanſit, ubi tandem moſchi efficacia in eo tentata fuit, tria enim grana huius medicamenti, ſex nitri et totidem oculorum cancrorum cum ſyrupo papaueris albi in formam boli redigebantur, mox poſt aſſumtum medicamentum hypochondriorum tumor et dolor euanuerunt, medicamenti uſu itaque continuato, poſtquam quadraginta circiter grana ordine haud interrupto aſſumſerat, aeger a deliriis et ſpaſmo liberatus fuit, relicta tantum mingendi difficultate, quae tamen moſcho in clyſmate applicato ceſſauit.

p. 182.

p. 185. Similis euentus fuit in puero decem annorum, qui a iuuentute ſanus exiſtens inſultibus ſpaſticis et deliriis repente tentatus fuit, paroxyſmo ſaepius et per interualla redeunte, hic tamen continuato moſchi uſu tandem conualuit. Puella quoque decem annorum poſt terrorem conuulſionibus vexata, paroxyſmis per biennium duodecies et ultra recurrentibus, et morbo poſtmodum grauiori reddito, tribus granis moſchi cum ſex nitri et aequali doſi cinnabaris antimonii per decem continuatos dies exhibitis, ab eo-
p. 187. dem libera reddita fuit. Optimis his moſchi effectibus recenſitis, Noſter quoque alios caſus exponit, in quibus medicamentum exhibitum vel moleſtiam aliquam, vel utilitatem nullam, immo damnum attuliſſe viſum eſt. Virgo monialis viginti quinque annos nata, hemicrania primum affecta, poſtea conuulſionibus cum animi abalienatione tentata, moſchum primo ad ſex, poſtea ad duodecim grana, partitis doſibus de die aſſumſit, ſed capitis dolore et calore moleſto, cum rubore faciei agitata, inimicum ſenſit moſchi uſum, eundemque continuare non potuit, tentamen vero hoc in caſu non prorſus inutile fuit, quoniam poſtea leuiter tantum inſultus ſpaſmodicos ſuſtinuit. Inutilis autem minime vero moleſtus fuit moſchi uſus in iuuene octodecim annorum, qui poſt morbillos ſeptimo aetatis anno male iudicatos, in febrim lentam cum tuſſi moleſta incidit, et poſtea tremore artuum aliisque ſpaſmodicis inſultibus vexatus fuit. Hic itaque poſtquam per duodecim annos plura medicamenta incaſſum aſſumſerat, a moſcho tandem per viginti dies exhibito parum vel nihil ſolatii percepit. In puella nouem annorum, ab incunabulis dextri brachii et pedis paralyſi affecta, tandem ſpaſtici inſultus ſuperuenerunt, his vero cum moſchi uſu auctis, medentes commoti fuerunt, ut ab huius medicamenti uſu deſiſterent.

Moſchum

Moſchum ſulphureis et ſalinis volatilibus particulis conſtare Noſter, ex odoris potiſſimum fragrantia aſſumit, eidem attenuandi et exſiccandi, nec non fibrarum et neruorum laxitatem et atoniam corrigendi vim tribuit, hinc in flatibus et doloribus ventris reliquisque ſpaſmis, a craſſis et viſcidis humoribus, nec non a nimia partium diſtenſione ortis, locum habere confirmat, quae cuncta Cl. Auctor ulterius declarat, et medicamentis huius vires accuratius definire tentat. p. 191.

5) *De figuris quibusdam ſolidis in ſphaera inſcribendis* diſſertatio Cl. GREGORII CASALII traditur. p. 194.

6) *De electricitate coeleſti* agit Cl. IOSEPHVS VERATTI. Hic enim experimentis Cl. FRANCKLINI in America inſtitutis et ab aliis in Europa repetitis, excitatus fuit, ut in obſeruatorio inſtituti, ut loco editiore, ſimilia experimenta caperet; ex variis igitur obſeruationibus fuſius deſcriptis colligit *materiam, in qua electricitas conſiſtere creditur, eandem ferme eſſe, atque illam, qua conſtant fulmina.* p. 200.

7) Similia experimenta *de electricitate coeleſti ſiue ut alii vocant naturali,* propoſuit Cl. THOMAS MARINI. Hic vero non editiſſima loca, ſed depreſſum aliquem in domo, quam inhabitabat, cui multa et ex omni parte celſiſſima aedificia imminent, elegit, et nihilominus effectus electricitatis obſeruare potuit. Catenulam enim ferream ſeptuaginta pedes longam, in conclaui varie inflectendo extendit, reliquam partem extra feneſtram ita diſpoſuit, ut ſurſum in apertum aerem porrigeretur, et per chordas ſericeas ad haſtam ligneam ſub tecto haerentem firmaretur, totum vero apparatum aptis tegminibus a madore pluuiae defendit. Obſeruationes a ſecundo auguſti die anni huius ſeculi quinquageſimi ſecundi, uſque ad diem vigeſimum ſextum aprilis factas accurate deſcribit p. 205.

bit Cl. Auctor, et in poſterum in his in primis aeſtate continuandis occupatum ſe fore promittit. Nos
p. 211. his miſſis quaedam tantum conſectaria addimus. Electricitas non niſi poſt aliquas guttas pluuiae delapſas, et potiſſimum africano vento regnante ſe oſtendit, illa vero inſtante pluuia imminuitur, et hac ceſſante rurſus augetur, maximam etiam fuiſſe electricitatis vim, ſi ſicca tempeſtas praeceſſerit, obſeruatione conſtitit. Multis argumentis etiam confirmare tentat Noſter, electricitatem hanc minime coeleſtem, ſed potius terreſtrem dicendam eſſe, quoniam non ex nubibus deſcendere, ſed potius, ex terra aſcendere videtur. Sic pluuia cadente fermentationem quandam excitari credit, qua electricitas euoluitur, et ideo quoque hyeme nullum, vere autem tardiorem acceſſum ſenſit. Monet vero Cl. Auctor ſe hanc hypotheſin tantum proponere, nec citius eandem ſe amplexurum eſſe, niſi illa per obſeruationes continuatas confirmetur. Perpetuo etiam obſeruauit, ſi fulgura ſupra nos ſunt, electricitatis effectus citius obſeruari, quam fulguris, ſi vero iuxta horizontem, praecedere fulgura electricitatem. Licet autem hanc rem per paucas adeo obſeruationes ad omnimodam certitudinem deducere non potuerit, tamen et inde electricitatem, ut ait, terreſtrem euincendam ſibi ſumſit.

p. 217. 8) Traditur porro diſſertatio, *qua methodus trigonometrica ſupputandi cometarum orbitas exponitur*, cui accedunt

Obſeruationes et theoria cometae Anni MDCCLII. Auctore Cl. EVSTACHIO ZANOTTI.

p. 241. 9) *De foſſilibus lignis* diſſertationem et quidem eius partem primam proponit Cl. IOSEPHVS MONTIVS. Magna eſt differentia eorum corporum, quae ligni foſſilis nomine e terra eruuntur, et Noſter occaſione ligni foſſilis, quod et praecedente ſeculo a

CAESIO

CAESIO et STELLVTO deſcriptum, et his ipſis temporibus ſimili ratione in agro Tiburtino erutum fuit, in eorum differentiam inquirere anniſus fuit. STELLVTVS quidem et alii ex creta progigni aſſeruerunt, quae ſenſim ignis ſubterranei vi et aquae ſulphureae adminiculo in lignum vertitur, cui tamen ſententiae non ſubſcribit Noſter, et poſtquam in hac prima parte non nulla generalia praemiſit, in altera ad eius accuratius examen progreditur.

Foſſilia ligna in duas claſſes diſtribuit, quarum prima ea complectitur, quae vel noſtris vel non valde a noſtris remotis temporibus terreo ſtrato obruta fuerunt, altera vero ea ligna, quae vel a remotiſſimis temporibus vel ipſa uniuerſali mundi inundatione in terris ſepulta exſtiterunt. Ad ligna primae claſſis ea refert, quae praeter leuitatem haud inſignem ſubierunt mutationem, ſpecimina enim produxit, quae igni expoſita, in cineres fatiſcunt rubro colore inſignes, alia vero fruſta vel materia tartarea incruſtantur, vel ea tota imbuuntur, vegetabilium autem veras fibras adhuc oſtendunt, non nunquam enim partes lapideae ita concreſcunt, ut lignum petrefactum mentiantur. Haec ligna foſſilia calcareae indolis ſunt, et, ſi validiſſimo igne afficiuntur, in calcem fatiſcunt, ſecundae vero claſſis ligna, ſi ad ignis examen reuocantur, ad vitrificationem ſe diſponunt. p. 244. p. 246.

Examinauit poſtea fruſta lignea, quae MARSILIVS ad ripas Vnnae inuenit, et in opere danubiali delineauit. Haec in ſpiritibus acidis illaeſa manebant, neque igne fortiſſimo mutabantur, ſed fibras tantum paulo diſtinctiores oſtendebant, ea itaque aſbeſtina ſiue amianthina appellat. De hac re certior quoque redditus fuit Cl. MONTIVS, cum alcalinas ſolutiones ad eas explorandas adhiberet, licet enim cum oleo tartari per deliquium et liquore nitri fixi coctura parum mutarentur, ſaponariorum tamen magiſtra, fortius nimirum alkali, dicta haec ligni

fruſtula

fruſtula adeo flexilia reddidit, ut analogia cum vero aſbeſto inde appareret. Neque tamen omnia fruſta aeque flexilia reddita fuerunt, magis enim cedebat lignum ſalici ſimile, quam quernum putatum. Hac occaſione Noſter de ligno laricis, a veteribus incombuſtibili credito, diſſerit, et aſſertum hoc figmentis annumerat, lignum porro ebenum foſſile deſcribit, et de vitriolo, ferro, pyrite et bitumine, quae cum foſſilibus lignis interdum reperiuntur, pauca annectit.

p. 251. 10) In altera diſſertationis huius parte *de foſſilibus lignis* porro agit Cl. MONTIVS et praecipue diſquirit, num Tidurtinum lignum ad mineralia, num ad vegetabilia pertineat. Oſtendit in principio nec pondus, nec duritiem, nec admixtas mineralium partes euincere poſſe, hoc foſſile ad mineralia referendum eſſe, praecipuum vero argumentum ex deſtillatione facta deſumſit, qua declarat, libram huius ligni unciam dimidiam phlegmatis inſipidi, tres uncias et dimidiam ſpiritus, tres uncias olei rubicundi et ſupernatantis et craſſioris nigri fundum petentis exhibuiſſe, ita, ut unciae tres nigrae materiei carboni-
p. 254. bus ſimilis in fundo retortae remanſerint. Comparationem poſtea cum ligno foſſili pruſſico, in quo ſuccinum deprehenditur, inſtituit, quam non tangimus, cum ad HARTMANNI experimenta potiſſimum prouocet et SENDELII iteratas diſquiſitiones non ſatis examinauerit, nec venam lignoſam ſuccini pruſſici ipſe perquiſiuerit, monet tamen ſuccina in vicinia ligni Tudertini non deprehenſa fuiſſe, ex ligno tantum reſinam odoratam obtinuit, quae ad ignem deliqueſcens, eo propius admoto flammam concepit.

p. 257. Progreditur porro ad carbonum foſſilium conſiderationem, cum hi, a ligno tamen ſeparati, in agro Tidurtino quoque reperiantur, et per deſtillationem euincit, carbones et lignum diſtincta foſſilia eſſe, nec hos

ex

ex illis transmutatione productos fuiſſe, carbones enim non tantam olei et ſpiritus copiam, nullam vero prorſus reſinam exhibuerunt. Oſtendit tandem Cl. Auctor ligni huius oleum cum oleo ſuccini conuenire et reſinam inde eductam guaiacinae ſimilem eſſe, et in medicos uſus adhiberi poſſe.

11) *De ſeparandis indeterminatis* agit FRANCISCVS MARIA ZANOTTI. p. 261.

12) PETRI PAVLI MOLINELLI *obſeruationes de ligatis ſectisque neruis octaui paris.* Experimentis variorum auctorum circa hunc neruum inſtitutis excitatus Cl. MOLINELLI ea repetere et accuratius attendere in animum induxit; in quinque igitur canibus et ligauit et diſſecuit neruos hos, et mutationes, vel in oculis vel in motu cordis, vel in aliis animalium actionibus obſeruatas, attente conſignauit, tandem in perluſtratione partis huius mutatae, poſt mortem animalis ſuſcepta, mutationes neruorum per ligaturam inductas declarare annifus eſt. Nos, qui has obſeruationes omnes enarrare non poſſumus, ideam rei ex conſectariis inde deductis dabimus. p. 280.

Non nulli obſeruatores poſt ligaturam utriusque nerui animalia vel ex inſtanti perire, vel diu non viuere aſſeruerunt, Noſter vero contrarium euicit, cum unico tantum in caſu, altero nimirum neruo vix ligato, canis periret, licet carotidem arteriam non ſimul conſtrinxiſſet, reliqui canes poſt ligaturas ſolutas iterum ſanati fuerunt. p. 289.

Ligaturam alterius nerui octaui paris ſequitur languor eius oculi, qui ad eandem partem pertinet, praeterea rubor adnatae, expanſio membranae angularis cartilagineae, ſupra corneam interdum etiam bulbi depreſſio, mutatio diametri in pupilla, lippitudo, lacrymatio etc. Hanc oculi mutationem ſolus PETITVS obſeruauerat, quae a Cl. Auctore nunc ut perpetua confirmatur, p. 290.

tur, qui etiam frequentiam et celeritatem in cordis motibus ut perpetuam declarat. Haec vero, et alia phaenomena, quae variant, neruo arcte ligato ſtatimque ſoluto aeque accidere vidit, uti ſecto, nec tempore quodam praeterlapſo, ſed ſtatim.

Aſſeruit VALSALVA neruis his ligatis, et illico ſolutis canem inter aliquot dies ita mori, ac ſi nerui illi amputati eſſent, ſed Noſter neruum unius lateris in cane duobus in locis ligauit, ſolutis tamen temporis tractu ligaturis et vulnere curato conualuit ille, poſtea ligato et mox ſoluto neruo altero, licet omnia phaenomena ligaturam ſubſequentia obſeruarentur, canis tamen iterum conualuit. Differentia igitur attendenda eſt, ſi nerui ambo uno vel diuerſo tempore ligantur. Cum etiam VALSALVA aſſerat, neruos nullum ſenſibilis laeſionis ſignum exhibere, Noſter et nerui tumorem et colorem in rubrum vergentem, ut certa ſigna affert, qui humorum, per neruos excurrentium in primis ſanguinis, motum interclusum declarant.

p. 292. Nerui, non tantum octaui paris, ſed et alii peculiarem quandam ſtructuram in ſuperficie oſtendunt, qua vermium terreſtrium ſeu tracheae in modum criſpari videntur, id quod a membranis inuoluentibus dependet, quae ita applicatae ſunt, quo motus in ipſa nerui ſubſtantia liberior fieri queat. Idea haec Cl. Auctoris a dura menynge deſumta eſt, cui quoque motum compreſſorium cerebri adſcribit, uti nimirum in via longa et difficili neruorum, praeter primum impulſum a cerebro factum ganglia et arteriae circumfuſae impetum augent, ſic et fortaſſe neruorum flexilis tunica. Neruos vero ſupra ligaturam, vel ſectionem intumeſcere vidit Noſter, et ita in iconibus additis delineauit, ut vere cognoſcatur ſubſtantiam ipſam nerui minime vero inuolucra intumeſcere, quod magna quidem ex parte a vaſorum ſanguinem vehentium tumeſcentia pendet. Cum tamen tumor

non

non ſubito oriatur, ſed ſenſim increſcat, dubium omnino eſt, an non alius liquor in neruis hanc craſſitiem faciat? Sic videtur Cl. Auctori, qui in neruo paris octaui ſiniſtro paruae canis ad linearum aliquot ſpatium ſupra ligaturam cellulas, ad rectangularem figuram accedentes, et in varios ordines, per neruoſas fibras transuerſim diſpoſitas et liquore tenuiſſimo albo repletas obſeruauit. Haec tamen fabrica et concluſiones inde deducendae ulterioribus experimentis declarandae ſunt.

13) *De roſtro rhinocerotis* agit Cl. CAIETANVS MONTIVS. Indica auis ex coruino genere eſt, cuius roſtrum cornu inſtructum diſquiſiuit Noſter *, hoc cornu quidem non eum in uſum datum eſſe videtur, ut animal ab iniuriis ſe defendat, vel aliis animalibus vim inferat, ſed receptaculum eſt condendae cellulari ſubſtantiae, quae cum oſſibus ſpongioſis ſeu turbinatis, in animalium naribus reconditis, conuenit, quo olfactus organum in hoc animali augeatur, quod cadauerum victu nutritur et ideo ſenſum exquiſitiorem ad eſcam quaerendam exigit **. p. 298.

14) GRE-

* Eſt *Naſutus rhinoceros* I. T. KLEINII in Hiſt. auium prodromo Lubec. 1750. 4. p. 38. cuius accurata delineatio nondum proſtat, caput tamen cornu inſtructum delinearunt, IACOBVS BONTIVS in Hiſtoria naturali et medica Indiae orientalis, edita cum GVILIELMI PISONIS tractatione de indiae utriuſque re naturali et medica, *Coruus indicus cornutus ſeu rhinoceris auis* Amſtelodami 1658. fol. p. 63. Vid. quoque VLYSSIS ALDROVANDI Ornithologiam *de rhinocerote aue* Bononiae 1599. fol. p. 804. Variantes figuras duas exhibet FRANCISCVS WILLVGHBEIVS in ornithologia Londini 1676. fol. Tab. XVII. quarum prior haud adeo differt a capite corui indici in citata tabula et in BONTIO l. c. p. 62 delineati.

** OL. WORMIVS in Muſeo. Amſtelodami 1655. fol

p.303. 14) GREGORIVS CASALIVS *de cochlea* agit et machinae huius rationem et vires examinat.

p.312. 15) VINCENTII MENGHINII Tractatio *de camphora.* Cognouerat quidem Cl. Auctor ſcriptores practicos in definiendis camphorae viribus, et exhibenda eius doſi quam maxime variare, in animum itaque induxerat cum hoc nobili medicamento in brutis animantibus ſimili ferme ratione experimenta inſtituere, qua WEPFERVS in venenatas cicutae vires inquiſiuerat. Obſeruationes has ex parte collectas et in poſterum continuandas nunc tantum promittit, et in praeſenti alias tantum cum inſectis inſtitutas, ad quas caſu quodam deductus fuit, tradit. Dum enim fruſtulum camphorae manu teneret, in fauces animalis cuiusdam intrudendum, turmam formicarum, ex oſtio quodam terrae egredientium vidit, collocauit fruſtulum hoc ante oſtium et cognouit animalcula haec maximae perturbari et in motus velociſſimos deduci; remota camphora tranquilliores erant formicae, eadem vero iterum appoſita, denuo commouebantur. Fortuita haec obſeruatio experimentis cum cura inſtituendis occaſionem dedit, inſecta igitur varia in ampullas vitreas, quarum orificium charta obtegi poterat, collegit, quo additis camphorae granis ſex vires huius medicamenti experiretur. Veſpae citiſſime enecatae fuerunt, ita, ut ne dimidiam horam vixerint. Muſcae itidem prius volitarunt, paulo poſt oſtium quaeſiuerunt, tandem ad fundum ceciderunt et aliquoties adhuc motae trepidantes tandem perierunt; ſimilia ferme in pulicibus, ſcorpionibus, araneis, formicis et non nullis ſcarabeis ab addita camphora vidit phaenomena. Monet vero non aequam horum

p. 293. *Topau auis indicae* caput deſcribens hunc uſum quoque attendere videtur, cum *inter cornu et roſtrum foramina parua odoratui procul dubio inſeruientia,* obſeruauerit.

horum halituum vim in inſecta quocunque anni tempore extitiſſe, aeſtate enim citius moriebantur, quam autumno, quod omnino effluuiis camphorae per aeſtatem vehementioribus tribuendum erat.

Cum vero cognoſceret Cl. Auctor et halitum iam tam vehementes effectus in inſectis producere, varia ex veteribus ſcriptoribus remedia, ad fugandos et interficiendos vermes apta, adducit, poſtea experimenta deſcribit, quae cum camphora accenſa inſtituit, ubi potiſſimum tineas ſub vitris cylindricis collocatas enecauit, experimentis cum uno, altero et tertio grano repetitis, quo declararet maiorem copiam reſoluti per ignem vaporis citius haec inſecta interficere. p. 318.

16) *De quadam balanorum congerie* diſſerit. Cl. IOSEPHVS MONTIVS. In torrente quodam in Idicem influente, lapis inſolitae figurae inuentus fuit, et hiſtoriae naturalis indagatores dubios reddidit, num ſit antiqui monumenti, ingentis forte artificialis pinei coni pars, an corpus naturale petrefactum. Noſter vero poſtquam eundem cum variis madreporis aliisque lithophytis comparauerat, nullamque inuenerat ſimilitudinem, ad teſtacea reſpexit animalia et congeriem balanorum eſſe aſſeruit. Dedit itaque deſcriptionem et delineationem aptam, ſubſtantiam nimirum non multum a ſilicea duritie recedere et chalybe tentatam ſcintillas emittere cognouit; in eo vero cum ſilice culinari non conueniebat, quod opacitatem omnimodam haberet, nec fracta in ſuperficie ſplenderet, ſed ſtrias albas cryſtallinas interſperſas oſtenderet. Veſtigia quoque pyritis aeroſi et ferri in hoc lapide deprehenſa fuerunt. Cum vero ſcrobiculi ſeu cauitates balanorum, in hoc lapide deprehenſorum, ab aliis balanis vel marinis vel petrefactis multum differrent, nouam et nondum deſcriptam ſpeciem eſſe Cl. Auctor monet, accuratam dimenſionem p. 323.

 exponit,

exponit, et varia dubia, quae contra eius ſententiam proferri poſſent, remouet.

p. 331. 17) IANI PLANCI Ariminenſis *de mola piſce* epiſtola altera ad IOSEPHVM MONTIVM Bononienſem. Prior de hoc argumento epiſtola viginti duobus abhinc annis in Commentariis Bononienſibus * propoſita fuit, molam ibi deſcripſerat cum SALVIANI et RONDELETII iconibus vix conuenientem, ante hos tres annos vero aliam molam inuenit, ad ipſas illas icones magis accedentem, priorem igitur ab hac genere, vel ut nos putamus, ſpecie differre ex annotationibus additis et comparatione imaginum patet. Nunc enim deſcripta pinnas laterales rotundas, corio aſpero obductas, olim vero deſcriptae hac longe minores oblongas et laeues pinnas corio deſtitutas habebant. Illa pinnam caudae corio quoque obductam et ſuper caudam faſciam rugoſam, hae membranam pellucidam ſeu tenuem cartilaginem pulchris penicillis inſtructam loco pinnae caudae obtinebant. Figura vero nunc propoſita porro exprimit caudam crenatam, et fimbriis craſſis et ſubrotundis inſtructam, quam RONDELETII ** et SALVIANI figurae non oſtendunt. Tandem etiam oſſa huius piſcis cartilagineam tantum ſubſtantiam inſtar raiarum exhibent, cum olim deſcriptarum molarum oſſa dura magis eſſent.

p. 335. 18) *Obſeruationes cometae An.* 1744. EVSTACHII ZANOTTI et PETRONII MATHEVCCII, quibus acce-

* Tom. II. Part. II. p. 331.

** *Orthragoriſcus ſiue luna piſcis* RONDELETII de piſcibus Lib. XV. cap. VII. p. 424. Edit. Lugdunenſis 1554. fol. *Mola* SALVIANI et FRANCISCI WILLVGHBEII. Hiſtoria piſcium Oxonii 1686. fol. Tab. J. 26. Lib. IV. cap. VI. p. 151.

accedunt aliae aſtronomicae laudatorum virorum: de defectu ſolis 1748. mane d. 25 Iulii. Eclipſis lunae d. 1 Nouembris 1743. Congreſſus mercurii cum ſole d. 5. Nouembris 1743. Eclipſis ſolis d. 8 Ianuarii 1750. Eclipſis lunae d. 19 Iunii 1750.

19) *De corporibus quibusdam ſphaera circumſcriptis* differit FRANCISCVS MARIA ZANOTTI. p. 362.

20) *De medicatis Recobarii aquis* obſeruationes IACOBI BARTHOLOMAEI BECCARII. De medicinali aqua, e Recobario monte in Vicetina regione ſcaturiente, non nulla in academia propoſuerat IOHANNES ANTONIVS GALLVS, et ſedimenta varia ulteriori diſquiſitioni exhibuerat, quem laborem Noſter magna cum cura ſuſcepit. p. 374.

Sedimentum primum, ad fontem ipſum collectum, canalibus perfluenti aquae ſubiectis cruſta non adeo tenui adhaeret, et coloris flaui et rubri eſt. Ochra haec magnete non commota fuit, in fuſorio autem vaſculo candefacta flocculos martis exhibuit. Ea quidem aqua non ſoluebatur nec liquoribus alcalinis, cum ſpiritu vitrioli tamen efferbuit. Liquor hic colore ſanguineo tinctus odorem ſuccini praebuit, et addito gallarum decocto in nigrum tranſiit colorem. p. 376.

Secundum ſedimentum poſt deſtillationem vel euaporationem, aquae reſiduum terreum erat colore ex flauo rubeſcente, inſperſis miculis albis, ſalinis viſis. Sedimentum ab euaporatione reſiduum, aquam ſtillatitiam colore aureo tinctam exhibuit, et remanſit terra cruſtoſa, quae, cum acido vitriolico efferueſcens, non tota ſoluta fuit, ſed praeter alcalinam terram etiam ſeleniticae veſtigia monſtrauit. Liquor aureus, euaporatione iterum inſpiſſatus, ſyrupi violarum colorem non mutauit, nec ſolutio argenti, in ſpiritu nitri facta, turbata fuit, ex quo phaenomeno ſalis marini abſentia in his aquis euincitur. Liquor p. 378.

vero nunc propoſitus alcali addito albeſcere et in grumos coire incepit, in eo autem per microſcopia et priſmata et iam lamellae apparuerunt, quae ultimae ſelenitidis praeſentiam oſtendebant, relicta terra violarum ſyrupum non mutauit, cum ſpiritu vitrioli vero impenſe efferbuit.

p. 383. Vtriusque et deſtillatione et euaporatione parati ſedimenti portiones, poſtquam aqua affuſa fuit, per ſucceſſiuos gradus in ſummum calorem deductae fuerunt, prius inde efferueſcendo in bullas intumuit, altero vix moto. Vtrum hoc phaenomenon a reſiduo ſpiritu, cuius vis tanta in aquis ipſis eſt, dependeat, an a tenuitate et leuitate partium, Cl. Auctor ſubdubitat. Coctura hac aliquid ſedimenti ſeceſſit, a deſtillationis ſedimento pars tertia, ab euaporationis duae tertiae, relicta portio, ferri particeps erat, ſolutio autem inſpiſſata concretiones ſeleniticas offerebat.

p. 386. Hinc ad tertii ſedimenti conſiderationem ducitur Noſter, hoc et colore albo et figura particulas ſalis concretas referebat, quae tamen ſaporis expertes inueniebantur. Seleniticum ſal appellatur, quod ex aciditate vitriolica cum terrae peculiari genere concreſcit. Concretiones hae ſalinae cum ſalis tartari triplo pondere in vaſculo fuſorio calcinatae et candefactae, puluere carbonum addito, ſulphuris odorem praebuerunt, aceto ſtillatitio poſtea affuſo, veſtigia ſulphuris veri apparuerunt, cuius acidum utpote vitriolicum, non niſi ex concretionibus dictis repeti poterat. Solutione in via humida facta et alcali addito, tartarus vitriolatus productus fuit, remanſit tamen terra alcalina, quae vitriolicis partibus imbuta, ſoluta, et euaporata ſeleniticum ſal iterum produxit.

p. 389. His experimentis abſolutis Cl. BECCARIVS alia, cum recobarii aquis in tribus lagenis, ſcilicet terrea, vitrea et ſtannea, omnibus bene obturatis Bononiam allatis, inſtituit et porro diligenter deſcribit. In omnibus his lagenis, licet accurate in loco ſcaturiginis

repletis,

repletis, ſpatium ſuperius vacuum erat, quod oſtendere videbatur aquas a ſpiritu contento rariores exiſtentes, nunc magis condenſatas eſſe, praeſentia tamen ſpiritus relicti experimento quodam conſtitit, phiala enim ad duas tertias repleta et aliquoties vehementer agitata, in digitum, oſtium comprimentem, niſum exercuit et hoc remoto ſibilum edidit, qui, quod a ſimplici agitatione non dependeret, ex eo patuit, quia experimento ſemel iterumque repetito, nullus amplius ſibilus obſeruatus fuit. In elaſticum hunc ſpiritum ulterius inquirit Noſter et oſtendit, addito vini ſpiritu aquas non tantum albeſcere, ſed elaſtico elemento vires ad ſe ſe expediendum addi, cum e contrario ſpiritus alcalini elaſticis aquae principiis aduerſentur et ita contrariam vim habeant. Aqua prius agitata, elaſtico principio exploſo ſpirituque vini tunc affuſo, plus ſedimenti ſelenitici exhibuit, quam aqua ante ſpiritus vini affuſionem non agitata.

Argenti viui ſolutio in ſpiritu nitri turbidas has p. 398.
aquas reddidit, et ſedimentum flauum turpethi mineralis indicia exhibuit, quod ex acido vitriolico aquis inhaerente et argento viuo ortum fuit, addito enim ſale communi decrepitato et maſſa ad ſublimationem diſpoſita mercurius verus ſublimatus producebatur. His omnibus acidi vitriolici praeſentia euincitur, quod in ſelenitide terrae propriae indolis annexum fuit, Cl. Auctor quoque, qui ſuperius iam marini ſalis abſentiam declarauit, et nunc experimentis reiteratis euicit, praeter ſelenitidem nullum ſal euidens in aquis his deprehendi aſſerit. Subiungamus nunc ſummam omnium experimentorum ſequentibus verbis expoſitam. *Ineſt ergo in recobarii aquis et principem inter* p. 403.
caetera earum initia locum habet, ſpiritus quidam ſubtiliſſimus, quo cum et vis elaſtica multo inſigniſſima et ſaporis acumen plane ſingulare coniuncta ſunt, qui nempe acor, ſi ad ullum genus, ad vitriolicum certe videtur pertinere. Incertum eſt autem his duabus facultatibus una

tantum natura ſubſit, an plures, et cauſam quidem, cur hac de re dubitemus, non unam aſſignauimus. Sed quicquid ſtatuatur, illud minime dubium eſt, recobarienſem ſcaturiginem actuoſi huius principii copia et ſingulari virtute nulli vel celeberrimo fonti eſſe conceſſuram. Neque minus diuites ſunt aquae iſtae ferrearum partium aut ſaltem eorum principiorum, quibus ferri natura continetur. Praeterea vim non modicam in ſe recondunt alcalinae terrae, longe autem maximam eius concretionis, quam ſeleniticum ſalem, probatiſſimos Auctores ſequuti, appellauimus. In fine tandem ampliſſimae huius tractationis, de compoſitione et decompoſitione harum, aliarumque aquarum mineralium non nulla generalia ſubnectit.

p.406. 21) *De quorundam vitrorum fracturis* tractatio GREGORII CASALII. Bononienſes ampullas, quae ex fornace extractae ſtatim aeri libero exponuntur, immiſſis lapillorum fruſtulis fiſſuras agere, phaenomenon eſt notiſſimum, in cuius cauſam non nulli phyſicorum inquiſiuerunt, in vitris tamen aliis haec quoque euenire nemo obſeruauerat, caſu vero cognitum fuit adamantes in vitris ſeruatos in iis varios rimas producere. Vaſcula autem in cylindri modum conformata ad baſin annexam habebant ſuperficiem conicam introrſum ſpectantem, collo non nihil exſurgente et in os expanſo. In ſimilia vaſcula ſimul iterumque et ſub vario ſitu adamantes diuerſi ponderis immiſſi fuerunt, fiſſuris ſemper, ſed ſub vario temporis interuallo, ſuccedentibus. Experimenta igitur Noſter cum aliis lapidibus v. c. cryſtallo montana, achate, iaſpide, chalcedonio, ſilice, cryſtallo calcarea etc. inſtituit et horum partes in fruſta ſectas vaſculis vitreis immiſit, vix tamen alia vaſcula fiſſa fuerunt, quam ea, in quibus achatis partes reconditae erant. Cum igitur nondum pateret, cur non lapides aeque duri ac achates idem praeſtarent, cryſtallum montanam

nam malleo in partes diffregit Noſter, quo cognoſceret, an non anguli fragmentorum in diſrumpendis vitris aliquid praeſtarent, et certe res ita euenit, non tantum enim in quibusdam vitris poſt aliquot horas fiſſurae factae fuerunt, ſed unum, ex quo fruſtula cryſtalli iam exempta erant, quadrageſimo primo demum die ex improuiſo fiſſum fuit.

His obſeruationibus et experimentis fuſe et accurate deſcriptis Cl. Auctor ſuas ſubiungit cogitationes, et animaduertit non duritiem tantum lapidum, ſed et grauitatem et acumen angulorum, quibus ſe tangunt, effectum producere, reſiſtentiam quoque, quam lapidibus vitrum rumpendum opponit, virium partem elidere cenſet. Aſſerit porro legem valere, quam Cl. LAGHIVS in bononienſibus ampullis obſeruauit, ſcilicet has fiſſuras fieri ab iis ſubſtantiis, *quae preſſae aliquantulum et per vitri ſuperficiem ductae veſtigium relinquunt.* De ipſis etiam vaſculis notat, omnia ante experimenta inſtituta ab altitudine duorum, trium et quatuor pedum ſine laeſione cecidiſſe, quo pateat illa integra et ſine ullo defectu fuiſſe. p. 412.

Rationem fractorum vitrorum ſequentem, licet, ut ipſe monet, dubiam adhuc, proponit Cl. CASALIVS. Multam aeris quantitatem in vitris deliteſcere certiſſimum eſt, aer autem in vitro calefacto maximam patitur dilatationem, vitro frigeſcente et aer in interſtitiis contentus frigeſcit, et, ut vitrum, conſtringitur, manet tamen aer in vitro multo expanſior aere externo ambiente. Dum igitur angulus lapidis vix ſecare incipit ſuperficiem vitri, aer externus ingreditur per exiguum vulnus, et ſpatiola aerem valde expanſum continentia penetrat, ſic ingreſſus aer e primis ſpatiolis in vicina pergit, et vitrum eo adigit, ut diſrumpatur. p. 416.

Tabula addita icones vaſculorum et figuras fiſſurarum in illis occurrentium declarat, addita explica-

tione, ſub quonam experimento una, vel altera fiſſura inducta fuerit.

p.419. 22) *De quibusdam ſolſtitiorum obſeruationibus ac de quantitate anni tropici medii,* diſſertatio EVSTACHII ZANOTTI.

p.432. 23) *De inueniendis datarum formularum irrationalium reciprocis.* Tractatio GABRIELIS MANFREDII.

p.454. 24) *De Electricitate medica* obſeruationes IOSEPHI VERATTI. Electricitatis effectus eo, quo nunc viuimus, tempore ad curationes morborum applicari res eſt notiſſima. Prouocat in primis Noſter ad Cl. PIRATVM, qui Venetiis experimenta inſtituit, et primum ſimplici electricitatis applicatione, poſtea vitris, in quibus efficaciſſima medicamenta recondebantur, electricitatis vi adiutis, diuerſorum morborum curam tentauit. Cum autem PIRATVS ſoli electricitati parum tribueret, plus autem vitris medicamentis plenis et vi electrica excitatis, diſſenſus aliquis ortus fuit, ad quem diſcutiendum Cl. VERATTI ſua quoque adiungere voluit obſeruata, ita tamen, ut hic tantum primam quaeſtionem, quid nimirum ſimplex electricitas praeſtet? variis obſeruationibus oſtendat, et potiſſimum ad eos morbos reſpiciat, qui ab humore ſeroſo ac tenui in partibus cumulato, praecipue in decubitu lymphae ad articulos ortum habent.

p.457. Obſ. I. Oſtendit aegrotum morbo iſchiadico laborantem, qui extractis electricis ſcintillis ex iſchiadis regione et coxa, per quatuordecim horae minuta, primo quidem ſubſultibus muſculorum agitatus fuit, dolore in brachium propulſo, tandem vero poſt quartam electricitatis applicationem immunis manſit.

Obſ. 2. Mulierem iuuenem ſiſtit, quae poſt ſcabiem per annum toleratam, ſanitati quidem reſtituta fuit,

fuit, cuius tamen dextrum brachium poſtea dolor vehementior, per interualla exacerbatus occupauerat, doloroſa haec affectio grauiditatis quidem tempore ceſſabat, iterum tamen excitata per quatuordecim annos durauerat, cum electricitatis auxilium applicaretur, quod tamen aliquoties repetitum omnem dolorem diſcuſſit.

Obſ. 3. docet dolores capitis, ſi a ſeroſa colluuie ortum trahunt, hoc auxilio quoque leuari, non aeque in aliis cauſis, a ſanguine vel vitio oſſium inductis.

Obſ. 4. Obſeruata in muliere ſeptuagenaria proponit, quae auditus grauitate laborabat. A cauſa ſeroſa effectum hunc pendere exinde patebat, quod iam antea decubitus tales ad caput et artus, cum tumore et rheumatico dolore experta fuerat. In hac electricitas auri applicata ruborem induxit, et repetita applicatione conualuit aegra; in aliis vero, in quibus forte nimia humorum viſciditas erat, experimentum non ſucceſſit. p. 460.

Obſ. 5. Mulierem ſiſtit, quae poſt grauem ophthalmiam, dolorem in oculis remanentem ſenſit, poſt electricam autem vim applicatam non tantum melius ſe habuit, ſed per quinquennium, ad haec uſque tempora, a dolore libera manſit.

Obſ. 6. Vir quadraginta ſex annorum habitus corporis ſeroſi et pallidi, atrociſſimis doloribus, cum tumoribus coniunctis, in capite et potiſſimum in facie vexatur, in dorſo pedis tumorem obtinuerat, qui pure moto vix conſolidari poterat, hyemali tempore ex improuiſo quoque ſputo cruento laborauerat, ſuperatis his incommodis, dolore et tumore in genu afficiebatur, electricitate itaque, per ſeptem dies non ſine metu applicata pulſum durum et frequentem ſenſit, cuius cauſa quidem praeter diſpoſitionem corporis, in regimine poſt electricitatem applicatam neglecto, poſita erat, venaeſectione quidem ob hanc cauſam aliquoties adminiſtrata, motus ſuppreſſi fuerunt, p. 463.

runt, ſed adeo debilitatum reddidit aegrum, ut, perſiſtente licet dolore, electricitas ulterius tentari non poſſet.

Obſ. 7. Vir articulorum doloribus per multos annos excruciatus, dolore poſtea brachii ad carpum uſque vexatus, balneo urinae calidae his partibus applicato, tumorem inſignem cum motus difficultate expertus eſt, variis itaque auxiliis fruſtra tentatis, electricitas continuata et dolorem et tumorem diſcuſſit.

Obſ. 8. Monialis quadraginta quinque annos nata, arthriticis doloribus per triennium miſere excruciata, electrica vi aliquo quidem modo leuata fuit, cum autem dolor non prorſus ceſſaret, ipſa electricitas poſt inunctum balſamum peruuianum nigrum meliorem effectum praeſtitit, in hac vero et ſedimentum in urina, et perſpiratio aucta, et libera alui excretio materiae morboſae, eiusque diſcuſſae indicia exhibuerunt.

p. 468. Obſ. 9. Vir triginta annorum, magno metu perculſus in virium inciderat imbecillitatem, et licet nec tuſſis, nec dyſpnoea, nec febris adeſſet, appetitus tamen proſtratio, nauſea ciborum, taciturnitas, tremor artuum ita, ut erectus vix ſtare poſſet aeger, imbecillitatem dictam ſatis declarabant. Praeter alia medicorum auxilia indicationi reſpondentia quidem, ſed fruſtra applicata, electricitatis vires tandem tentatae fuerunt. Tremor primum obſeruatus eſt et ſudor ſiue perſpiratio aucta, phoſphori odorem edens, leuamen praeceſſit, poſtea enim pulſus frequentior redditus fuit, et aliqua ſalutis ſpes apparuit, quo facto terebinthina, thus, balſamum tolutanum adiecta camphora et bdellio in vitra electrica recondita fuerunt, quae euidentiores ediderunt effectus, ita, ut aeger paulatim ad conſueta munia redire poſſet.

Obſ. 10. Ea tradit, quae in paralyſi et affinibus morbis circa electricitatis effectus obſeruata fuerunt. Exoptatus fuit in moniali, quae poſt rheumaticos dolores

lores, iam diſſipatos, inſtantibus menſtruis acutiſſimum dolorem capitis, ad collum et ſcapulas productum, ſiniſtrum tandem brachium ſtupore affectum ſenſit, electricitatis tamen continuato uſu curata fuit. Aliter res euenit in muliere, quae poſt dolorem brachii dextri, huius tandem impotentiam ad motum experta eſt. Nec leuatus fuit puer decem annorum, qui ſine euidenti cauſa motum ſiniſtri lateris ſenſim languidiorem, et tandem plenariam motus impotentiam ſenſit. Subnectit quoque Cl. Auctor quasdam concluſiones ex praecedentibus ductas, quibus morbos electricitate diſſipandos quodam modo definire tentat.

25) *De natura et proprietatibus quarundam curuarum, quae ſimul cum tractoria generantur, quaeque proinde ſyntractoriae nominabuntur,* diſſerit Cl. VINCENTIVS RICCATI. p. 479.

XV.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Funfzehnter Band. Hamburg und Leipzig. Bey G. C. Grund, und A. H. Holle. 1755. 8. 1 Alph. 19 pl.

i. e.

Promtuarium Hamburgenſe ſiue Collectio Scriptorum ex ſcientia naturali et litteris humanioribus generatim depromtorum. Vol. XV.

Part. *I. No.* 1. *Experimenta cum calce viua facta* ab auctore anonymo leguntur. Calx viua, quam natura non praeparat, ſed ars, componitur ex ſubſtantia alcalino-terrea volatili atque ex terra fixa; p. 3.

igneas

igneas vero non habet particulas. Lapides autem calcarei, multo ſulphure praediti, calcinatione volatilem partem eius quum amittant, fixamque cum terra uniant firmius, alcali inde naſcitur, et reliqua pars, acido nondum ſaturata, inter extinguendum remanet. Vnde etiam multo imbuta eſt calx viua acido, illudque eſt acidum ſalis; id, quod multis comprobat Noſter a ſe factis experimentis. Acido huic tribuit ebullitionem calcis cum aqua, confirmatque variis tentaminibus. Ex eiusdem acidi defectu etiam deriuatur illa calcis, diu aeri libero expoſitae, inertia, qua cum aqua recuſat efferueſcere, et cum arena admixta in tenacem non concreſcit maſſam. Poſt haec varii calcis viuae recenſentur effectus, quos edit tamquam menſtruum, variis addita corporibus naturalibus, ex quibus non nullos adduxiſſe iuuabit, experimenta ipſa, quibus eosdem demonſtrat, vetat inſtituti ratio enarrare plenius. Calcis viuae ope ex metallicis ſolutionibus reducuntur, ut loquuntur chemici, metalla; ſulphura ſoluuntur, exemplum eſt ex antimonio extractum ſulphur; quam vim etiam habet aqua calcis viuae; quae inſuper metallicis variis addita medicinis, ut floribus antimonii, tartaro emetico, mercurio vitae, earum virulentiam mitigat, ut tuto et cum fructu interne poſſint adhiberi. Salia volatilia ex animali regno calx viua ab oleo ſuo liberat, ut facilius auolare queant; Porro etiam olea empyreumatica, addita calce viua, ut ita cum chemicis loqui liceat, dulcificantur, et poſt repetitas deſtillationes aquae limpidiſſimae inſtar apparent. Tandem ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce viua paratus, vim fortiorem nanciſcitur, ac cum cineribus clauellatis factus idem, cum ſpiritu vini facile ſoluitur, cum acido non efferueſcit, neque minus tamen producitur inde ſal medium liquidum. Cum quo varia fecit Noſter tentamina, inuenitque illud, additis variis menſtruis, ſemper liquidum, cum acidis

dis non efferueſcens, et ut efficacem medicinam in multis morbis valdopere laudat. Spiritus hicce ſalis ammoniaci ſoluit porro melius calces metallorum, idemque praecipitat ſolutiones metallicas, mercurii viui, eiusque ſublimati, martis in aqua regia factam, vitrioli, zinci, aluminis, boracis. Alia tentamina plura, quae Noſter inſtituit cum calce viua, ad explorandas, quae in tingendis variis corporibus, eius ope ſeſe produnt, mutationes, adhuc ſilet, donec ſollertiori repetita diſquiſitione certiora alio tempore hoc de argumento propoſiturus ſit.

No. 2. Experimentum exponitur, quod *veritatem transmutationis metallorum*, nimirum *argenti in aurum*, euincit, ab auctore anonymo plus ſimplici vice inſtitutum. Paratur nimirum ex partibus duabus nitri, et una arſenici igne libero arſenicum fixum; cui poſt additur aequalis portio ſcoriarum, quae ex regulo antimonii, cum tartaro et nitro facto, ſupermanent; haec inuicem mixta, ampliorique immiſſa retortae, igne forti urgentur, colloque retortae ſeſe adplicat ſubſtantia rubra, inſtar cinnabaris. Quae deinde cum contuſis lateribus, inter laminas argenti, per ſtrata in vas immittitur cementationi aptum; quibus omnibus ſtratum ſalis communis decrepitati ſuperimponitur. Igne libero haec fundenda, atque poſt laminae argenti eluendae ſunt aqua, denique in aqua forti ſolutae dant exoptatam auri calcem. Tentet idem, quem forte tenet auri ſacra fames! p. 30.

No. 3. Experimenta recenſentur non nulla, quibus metallicam illam maſſam, *Tombac* dictam, variis modis ſe paraſſe profitetur Cl. Auctor anonymus. Viride aeris in primis, vitriolum album hungaricum, zincum, ſal ammoniacum et tartarum optime conficiendae iſti compoſitioni apta deprehendit idem. Curcumae radix aureum conciliauit eidem colorem. p. 34.

No. 4. *Maſſae pilularum, quibus gonorrhoea virulenta et lues ipſa venerea fuerunt perſanatae*, exponitur p. 36.

compoſi-

compoſitionis ratio. Mercurius viuus huc uſque externo tantum uſu corpori adplicatus, interno uſui quibusdam minus idoneus viſus fuit: Cl. Auctor anonymus docet etiam interne datum mercurium viuum in virus venereum ſeſe exhibuiſſe efficacem. Dat vero eumdem in pilulis, quae componuntur ex partibus tribus mercurii viui, qui ex cinnabari antimonii iterum reſuſcitatus fuit, et parte una terebinthinae venetae; quibus probe inuicem frictu commixtis additur pars una rhabarbari, et dimidia praeparati ſuccini. Inde paratur iſta maſſa pilularum. Duobus exemplis adductis earum confirmatur efficacia.

p. 38. *No. 5. Experimenta circa chalybis formationem veramque huius rationem et parandi modum facta.* Ferrumne natura formet, an ars, diu multumque inter mineralogos diſputatum fuit. Anonymus Auctor artis productum eſſe illud cenſet, quoniam nullibi in terrae gremio occurrit purum ductileque ferrum, ſed terra martialis ſemper, addito inflammabili, in illud conuertitur. Confirmat id BECHERI experimentum, quo ex limo et oleo lini igne forti parauit ferrum. Cum alcali autem iſtud mixtum mutatur igne vehementiori in vitrum; facilius haec eueniunt cum croco ferri, ob defectum partium inflammabilium. Vbique terrarum occurrunt quidem partes ferrum conſtituentes; hinc multi tribuunt ferri particulas omnibus fere vegetabilibus aeque ac animalibus, easque magnetis ope demonſtrant. Verum eos ſeſe valdopere decipere veri ſpecie, Noſter multis experimentis comprobat, quibus multa variaque vegetabilia, et eorum partes ac ſuccos inſpiſſatos cum magnete, cum gallis, cum nucibus cupreſſi, et corticibus granatorum diſquiſiuit, numquam vel coloris vel aliam mutationem obſeruauit, ferri vero praeſentiam ſtatim deprehendit, ſi eadem corpora calcinata prius fuerint igne libero. Atque in eo poſita eſt ipſius fallaciae multorum ratio, quum corporibus, quae per

tempus

tempus igni expoſuerunt, et quae deinde magnete trahuntur, vere ineſſe ferrum ſibi perſuadeant. Namque calcinatione demum oleoſae, hisque adınixtae acidae particulae, accuratius miſcentur cum terreis, ferrumque ita formant, quod prius non adfuerat. Terreae iſtae copioſae ferri recuſant etiam formare cum mercurio amalgama, itemque ſolutionem cum acidis mineralibus, quae oportet ante diluere ſatis aqua. Praemiſſis his Noſter ipſa experimenta enar- p. 47.
rat, quibus chalybis ex ferro geneſin declarare ſtuduit; duplici vero modo hoc negotium perfecit, nimirum caementatione et fuſione. Illud in olla, tres quartas ulnae circiter profunda, nullaque lithargyrii obducta lamina, inſtituit, immittendo eidem bacillos ferri, 3. digit. diametro, unam quartam ulnae longos, atque dein circum circa ponendo per ſtrata reliqua corpora, quae huic operi apta iudicauerat Noſter. Vſus vero in primis eſt carbonibus, ſale communi, ramentis corii, cornubus et ungulis bubulis et equinis, itemque pilis canum aliisque, oſſibus animalium, fuligine, terra martiali et haematite. Haec inuicem varia proportione commiſcuit, non omnia ſimul, ſed modo haec, modo alia, atque in iſta olla poſt igne forti tractauit; quibus poſtea, igne extincto, remotis, bacillos ſuos deprehendit in chalybem mutatos. Singulorum experimentorum ſummam exponere hic quum haud liceat, illud unicum adducamus, quod optimum Noſtro reddidit chalybem. Adhibuerat nimirum Noſter fuliginis 3 libr. p. 64.
carbonum 3 libr. ungularum equi 2 libr. quas ipſas inciſas, illa vero contrita ſubtiliſſime, poſt inuicem commixta, circum bacillos ferreos per ſtrata circumpoſuerat, denique haec omnia in olla ſimili per duas horas igne libero tractata, remouit, et aqua frigida extinxit. Chalybem bacilli ferrei praebuerunt duritie reliquisque qualitatibus prae aliis excellentiorem. Haec caementationis ope peracta ſunt; ſola vero fu- p. 65.

ſione in igne libero paratur ex ferri minera chalybs, ſi carbonibus multum ſalis communis addatur. Noſter vero ita ferrum tractauit, ut illud primum igne excandeſceret, multumque ſalis communis ſuperiniiceret, vel potius carbonibus ſub ferro adiiceret, poſt vero ſubito illud citoque in fimo extingueret, quo optimum obtinuit chalybem. Vltimo demum loco modus oſtenditur ferro ductilitatem conciliandi. Id, quod facile perficitur, ſi oſſa calcinata cum carbonibus ligni commixta, poſt ea vero cum ferro fuſo diu igne detinentur, ferrum inde obtinetur ductile, malleoque quod tractari poteſt. Cum calce viua ferrum igne diu tractatum, eandem acquirit malleabilitatem.

p. 66. *No.* 6. M. E. F. SCHMERSAHL *de praecipua quercus colendi ratione.* Quum magna in multis regionibus iam ſit lignorum caritas, Noſter, * alio loco de vegetatione quercuum qui egit, iam de cultura earum copioſe expoſuit, multaque hunc in finem dedit conſilia, oeconomicis valde accommodata uſibus.

p. 100. *No.* 7. *De nouo lapide pretioſo* Excerptum ex litteris ad Cl. KAESTNER datis agit. Dubia varia contra nouam hanc lapidis pretioſi ſpeciem, quam Cl. DE IVSTI in *nouis ſuis veritatibus*, quas edidit, *in incrementum phyſices et commoda vitae hominum politicae*, deſcripſit atque depinxit, proponuntur.

p. 115. *Pars II. No.* 1. *Deſcriptio medicamenti cuiusdam ſpecifici* factaque cum eodem in variis morbis tentamina exponuntur. Componitur illud ex reguli martialis cum antimonio parati libra una, nitri depurati libris duabus, quibus igne fuſis adduntur duae unciae calcis ſolis; quae omnia probe contuſa, cucurbitae immittuntur, atque dein librae quatuor menſtrui, quod ipſe, uniuerſale appellat ſuperadfunduntur. Menſtru-

* *Hamburgiſches Magazin dritter Band, a. d.* 648 *Seite, und die Oeconomiſchen Nachrichten* 1 *Band, auf der* 403 *Seite.*

Menſtruum vero ex alcohole et ſale alcalino deſtillationis ope paratum liquidum eſt. Reliquam praeparationis methodum, monitaque anonymi auctoris circa eandem facta fuſius, taciti praeterimus, illud adhuc unicum de inſigni medicamenti huius virtute medica additurі, quam nimirum in multis morbis, ut lue venerea, gonorrhoea, fluore albo, purpura, menſtruorum vitiis et aliis, adductis morborum eiusmodi exemplis, ſeſe obſeruaſſe confitetur Noſter efficaciſſimam. Vtrum vero panaceae iſti, quam vocat, an reliquis medicamentis ſimul adhibitis multa illa tribuenda ſit virtus, non liquet. Certe panaceae nomen non meretur adeo compoſitum diuerſorum corporum chaos!

No. 2. Experimenta recenſentur *circa colorem purpureum filorum goſſypinorum, Cairo ex Aegypto ad nos delatorum.* p. 158. Color filorum iſtorum, quae vocamus *türkiſches Garn*, ſingularis eſt, quem noſtris in terris adhuc fruſtra aemulati ſunt tinctores. Quid circa eandem rem tentauerit, quoue ſucceſſu, iam exponit copioſe Cl. Auctor anonymus. Primo vero loco, quas ipſa fila turcica, cum variis ſi miſceantur liquoribus, patiuntur, mutationes recenſitae leguntur: quibus conſtat colorem filorum iſtorum neque ab acidis mineralibus, neque ab alcalinis deſtrui, quin potius extolli; neque ſpiritu nitri fumante turbari eundem, iſti tamen ſpiritui ſi adhuc addideris quartam partem Colcotharis, atque ita cum filis combinaueris, ſubito ſua orbari pulcritudine, mutarique in alium colorem teterrimum. His praemiſſis, expoſitaque prius adhuc liquorum, quibus menſtruorum loco uſus eſt Noſter, praeparationis methodo, ad ipſa experimenta progreditur, accurate fuſeque eorum exponens ſummam. Nos tantum illud paucis indicamus, Cl. Auctorem ad tingendum goſſypium adhibuiſſe nunc coccionellam, nunc rubiam tinctorum, nunc ſerratulam, lignum ſantali rubri,

radicem curcumae, orleanam, tinctoque ita poſt eidem et acida et alcalina, ut coloris mutationes experiretur, addidiſſe, quibus vero omnibus nondum ſimilem, ac turcica fila, goſſypium Noſtri patet induiſſe conſtanterque retinuiſſe colorem.

p. 181. *No. 3.* G. F. B. *methodus datam figuram rectilineam, data certa ratione, diuidendi absque ullo calculo*, exponitur.

p. 190. *No. 4. De ſalium generatione* tractatio legitur. Ex qua intelligimus auctorem anonymum id in primis demonſtrare ſuſtinuiſſe, quotquot a chemicis cognoſcantur ſalium ſpecies, eas omnes generari ex unica ſubſtantia ſimplici acida aetherea. Vt autem hanc ſuam poſſet comprobare commodius hypotheſin, praemiſit is ſalis ideam generalem, eiusque in acidum et alcalinum et neutrum, in volatile et fixum, nec non in naturale et artificiale diuiſionem; poſt in ipſorum principia conſtitutiua inquiſiuit ſollertius, atque duo conſtituit omnibus communia, nimirum corpuſcula ſiue puncta rigida acuta pungentia, atque terreas particulas obtuſas, quae illis quaſi hoſpitii loco ſeruiunt; a differentia harum illorum etiam dependet diuerſa forma, unde tanta ſalium varietas. Puncta vero illa rigida acuta ſunt unica ſubſtantia ſimplex acida aetherea ſiue ſal uniuerſale, cauſa omnis motus, fluiditatis, luminis, calorisque, a ſole ſuam trahens originem. Fuſe haec experientiis multis iuxta ac rationibus comprobare Noſter annifus eſt; quae tamen breuitatis ſtudioſi iam mittimus atque * acidum aliquod commune non negantes, verumne illud, quotquot dantur ſalium genera, omnium mater ſit unica, eaque aetherea, ſuſpendimus iudicium.

p. 227. *Part. III. No.* I. Cl. POTT *examen chemicum acidi vitrioli atque ſalis ammoniaci, ac, quae ex utriusque miſcela naſcantur, productorum recenſio*, translata fuit ex

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 680 ſeqq.

ex *Hiſtoire de l' Acad. Royal. des Scienc. à Berlin. ann.* 1752. *p.* 54.

No. 2. *Obſeruationes meteorologicae atque in primis frigoris ſummi anno* 1755. *ianuario et februario menſibus Francofurti ad Moenum factae*, in tabula accurate enarrantur, indicatis, ſingulis diebus ventorum et tempeſtatis viciſſitudine et thermometri barometrique gradibus Fahrenheitianis. p. 270.

No. 3. Cl. FRIDERICI CHRISTIANI LESSERI, Paſt. S. Iacobi Nordhuſani, *de* Reu. AVGVSTI SCHVLZII, Canonici Eccleſiae diui Petri et Pauli Magdeburgenſis, *gazophylacio rerum naturalium breuis traditur relatio.* Cl. LINNAEI ſyſtema naturae ordines et claſſes obtulit, in quas inſignis iſte rerum naturalium theſaurus diſpoſitus fuit. p. 277.

N. 5. *Hiſtoria epilepſiae, caſu quodam perſanatae* traditur. Iuuenis, viginti et unum annos natus, diu vehementerque epilepſiae excruciatus inſultibus, poſt multa variaque fruſtra adhibita medicamina, tandem caſu, dum ad medicum acceſſerat, incidit in electuarium, ex melle, ſemine cynae atque radice ialappae compoſitum, illudque omne deglutiuit; vix domum redux in lectum dum ſe contulerat, ſubito expergefactus cogebatur deponere aluum, quo facto ingentem vermium copiam ſimul eliminauit, ſuoque ita poſt liberatus fuit malo. p. 313.

No. 6. *Obſeruatio menſtruorum, in matrona ſexaginta et octo annorum, redeuntium, ſolutique inde morbi cuiusdam, quo ipſa laboraret, grauiſſimi* recenſetur. Menſtrua, quae iam ante quindecim annos in matrona iſta ceſſauerant fluere, tandem inter mira valde complicata ſymptomata, nullis adhuc cedentia medicinis, iterum redierunt, ſolutoque morbo, ac in virgine, tenuerunt ordinem. p. 324.

Part. IV. No. 1. *Structurae et incrementi ſeminis cerealis deſcriptio* traditur, ex diario, *Iournal Oecon. Avril* 1751, translata. p. 339.

p. 354. *No.* 2. CHRISTIAN. FRID. SCHVLZII *de lignorum petrificatorum origine, differentia et qualitatibus* tractatio, quam lingua vernacula conſcriptam edidit: atque

p. 360. *No.* 3. *Eiusdem diſquiſitio phytotypolithorum*, quae etiam prodiit germanice, breui recenſione illuſtrantur.

p. 366. *No.* 4. *Febris tertianae in quartanam, atque poſt in lentam mutatae, tandem vomitu reiectis fruſtis oſſeis perſanatae*, legitur hiſtoria. Virum quendam triginta ſex annorum inuaſerat febris tertiana diuque vexauit, tuſſis ſicca acceſſit et ſudores nocturni cum debilitate inſigni, nec non haemoptyſis; quae quidem, aptis adhibitis medicinis, coeperunt ſenſim miteſcere, prorſusque ceſſarunt; ſed haud longo tempore poſt quartana febris acceſſit, parcum frigus, multus longusque calor, ſomnus inordinatus, ſumma corporis laſſitudo, rediitque etiam tuſſis vehementior, ac prius, nullisque mitiganda remediis, donec inter inſignes anxietates praecordiorum pungentesque laterum dolores, vomitu reiiceret aeger multa dura corpuſcula, pure et ſanguine inuoluta, quae munda poſt reddita et acidis et calcis viuae lixiuio examinata, vera deprehenſa fuerunt oſſicula, quae vero quo modo, quaue via ad pulmones peruenerint, anonymus auctor in dubio relinquit.

p. 400. *No.* 5. *De Topazio* legitur diſquiſitio. Gemmarum pretium creſcit cum earum magnitudine. Si quis igitur parua earum fragmenta fuſione in maius cogere poſſet volumen absque eo, ut durities earum imminueretur atque ſplendor, magnum ipſum perfeciſſe opus ſibi perſuadere poſſet. Quo duriores enim deprehenduntur gemmae, eo fortius fuſioni reſiſtunt, quin ſolo igne ſe fundi haud patiuntur: Menſtruum autem quodcumque adhibueris, funduntur quidem lapides iſti pretioſi, ſed fieri omnino non poteſt, quin multum ſuae duritiei et ſplendoris

ſuſi

ſuſi amitterent. Noſter Auctor anonymus hunc in finem cum gemma topazio varia inſtituit tentamina, eorumque hic breuiter recenſet ſummam. Topazios vero, qui prope *Schneckenbergam* effodiuntur, adhibuit. Ignis fortiſſimus eorum duritiem prorſus non mutauit, nitorem autem abſtulit atque pelluciditatem, ut eſſent ſilicibus albis opacis ſimiles. Neque alcali in topazium valuit ulla efficacia. Cum lithargyrio funditur quidem lapis, ſed pelluciditate orbatur. Cum borace, ſi ſolus additur, idem effectus; neque aequales partes nitri et boracis duplo topazii additae alium ediderunt effectum: alcali vero cum arſenico combinati, et boracis aequa portio duplo topazii in puluerem contriti adiecta, igne fuſa produxit maſſam nitidam, pellucidam, topazio, praeter duritiem, prorſus ſimilem. Vt adeo ex dictis, ſi reliqua mittamus, quae adhuc Auctor exponit, iam ſatis pateat in hac lapidum pretioſorum transmutatione prae natura parum adhuc valuiſſe artem.

No. 7. *Argumenta pro refellenda acidi ventriculi in digeſtione perficienda efficacia,* ex Cl. VALLISNERI Operibus * Italico idiomate conſcriptis verſa exhibentur, cum nouis additionibus aucta. p. 416.

No. 8. Ex D. IOH. ADAM. KÜLBELII *diſſertatione de vera fertilitatis diuerſarum terrarum cauſa,* quae ab Academia Regia Scientiarum Bordegalenſi anno 1739 praemium retulit **, gallico latinoque conſcripta ſermone, germanice verſum Excerptum a CHRISTIAN. FRID. SCHVLZIO exhibetur. p. 435.

X 4 *Part. V.*

* conf. *Opere fiſico-mediche del* ANT. VALLISNERI. *Tomo III. in Venez. 1733. fol. pag. 139.*

** *Diſſertation ſur la cauſe de la fertilité des terres, qui a remporté le prix au jugement de l' Academie Royale des Belles Lettres, Sciences & Arts par* M. KÜLBEL. *à Bordeaux* 1741. 4.

p. 513. *Part. V. No.* 3. IOH. LVLOFII *Introductio in mathematicam et phyſicam telluris cognitionem*, ex belgico ſermone germanice verſa ab ABRAH. GOTTHELF KAESTNERO, breui recenſione illuſtratur.

p. 523. *No.* 4. *De fele cornuta relatio* ex laudati VALLISNERI operibus * huc translata legitur.

p. 526. *No.* 5. *Teſticuli venerei, a ſuppreſſa gonorrhoea maligna orti, feliciterque curati* traditur hiſtoria. Iuuenis gonorrhoeam virulentam, qua laborauit cum phimoſi coniunctam, et quae iam coepit poſt uſum variorum medicaminum miteſcere, ſubito ſuppreſſit hauſtu vini hiſpanici, lithargyrio forte mangoniſati, ad teſticulos facta veneni venerei metaſtaſi: quorum tumor et inflammatio poſt longum demum aptorum remediorum uſum ceſſauit.

p. 532. *No.* 6. *Catalogus foſſilium naturaliumque corporum ex omni naturae regno petitorum, quae offert Lipſienſis ager*, exhibetur, in tres diuiſus claſſes, quarum prima comprehendit mineralia; altera animalia et tertia vegetabilia, petrificata in primis habent.

p. 537. *No.* 7. *De puella, quae mercurii ſublimati unciam ſemis in os ingeſſerat, idque ſine noxa*, legimus relationem. Quum Auctor, nomen ſuum non profeſſus, aliquando ad praeparandum mercurium dulcem, ſublimati eiusdem libram unam in marmoreo mortario contineret, et iam ex conclaui, ut adferret adhuc mercurii viui librae tres quartas partes, abiiſſet, en! neſcio, quo fato, intrat in conclaue illud puellula quatuor circiter annorum, et cernens ſublimatum mercurium, ſtatim in os ingerit eius ſat magnam copiam, albo huius, inſtar ſacchari, decepta colore. Verum vix dum adſumeret illud, acceſſit Noſter, ſtrepitu quodam, quem audiuerat in conclaui dicto, commotus, infantisque miſerae ſtatim abraſit pri-

mum

* conf. *Opere fiſico mediche del* ANT. VALLISNERI. *Tomo II. Relazioni di varj moſtri con alcune Rifleſſioni*, n. 18. pag. 78.

mum cultello, ac abluit dein abſterſitque lacte tepido linguam. Olei amygdalarum uncia una cum drachma ſemis theriacae inſuper puellulae in os infuſa, eamdem in lectum portauit. Poſt ſomnum tranquillum expergefacta ſitiensque lac tepidum deglutiit; lingua eius multis obſita veſiculis atque multum conſtricta, tertio die poſt cuticulam depoſuit, puella ceterum ſalua atque ſoſpite. Facile vero patet ex dictis, puellulam nihil adhuc ſublimati deglutiiſſe, ſed hoc ipſo adhuc in ore detento, a medico mox remoto, etiam ſaluam manſiſſe eandem.

No. 8. *Oui petrefacti* occurrit *deſcriptio.* Ruſticus p. 546. quidam aliquando ſub muro effoſſam molem, limi inſtar, libram unam cum dimidia aequantem pondere, duos circiter pugnos volumine, multisque ſplendentibus obſitam lamellulis, Auctori obtulit, ut in illud inquireret, auri forte latentis intus ſitiens cupidine. Noſter maſſam hanc aqua dum ſolueret, remoto, qui exteriorem occupabat eius faciem, limo, intus detexit ouum petrefactum, tres quartas librae pondere adaequans. Forma externa erat inſtar oui gallinacei, color fuſcus, omnis ſuperficies rimulis perforata. Diffracto ouo, ſtatim apparuit diſtincte cortex exterior friabilis, reliqua maſſa ex albo fuſca, facilis contritu, odoris putridi; ſtriae quaedam albae et luteae adhuc ſupererant vitelli albuminisque veſtigia. Porro carbonibus ſuperiniecta maſſa ſimilem, ut oua vera, ſparſit foetorem, atque eum acidis mineralibus efferueſcentiam excitauit aeque ac foetorem ſimilem, ut ex his omnibus certo conſtaret maſſam hanc eſſe ouum verum petrificatum.

Part. VI. No. 1. D. IOH. CAROL. FOERSTERI Diſſ. *de uſu temperati aeris in morbis curandis*, Halae diſputata *, verſione germanica donata occurrit. p. 563.

* De adminiculis ex aeris temperie in morborum curatione

p. 602. *No. 2. Tentaminis electrici cum fulmine facti* legitur deſcriptio. Potsdami anno 1754 Noſter, nomen ſuum qui ſiluit, in tecto domus ſuae, ut experiretur fulminis electricam vim, duos cylindros cauos vitreos, per foramina duarum trabium lignearum, quae ſibi oppoſitae erant, tansiecit, iisque adhuc cylindrum ferreum ſuperimpoſuit ita, ut extra tectum emineret, cuius altero fini adfixam catenam duxit ad conclaue, ubi obſeruationes inſtituere animus fuit, filis ſericeis ubique inſiſtentem. Tempore fulguris aliquoties ſcintillas quidem e catena elicuit, machinam vero quum violentiores haud accederent tempeſtatum impetus, fere prorſus neglexerat: ſed vehementi aliquando orta tempeſtate, ſubito audiuit Noſter ſummum fragorem, inuenitque poſt diffractos cylindros, trabesque e ſede ſua remotas. Ex quibus Noſtro abſente factis, idem, ſimile cum Cl. RICHMANNO euitans fatum, didicit circa haec cautius verſari tentamina, id, quod ut obſeruent, monet etiam alios ſollicite.

p. 605. *No. 3. Coniectura circa puluerem,* nuper in Heluetia inuentum, *cuius ope homines dicuntur absque omni alio alimento poſſe viuere*, proponitur. In oſſibus animalium, machina papiniana vel alio modo praeparatis Anonymus auctor perſuadet ſibi detexiſſe unicam aptam huius modi fini materiem.

p. 647. *No. 5. Non nulla leguntur ad culturam columbarum ſpectantia,*

p. 653. *No. 6. De nominibus florum quaedam* exhibentur, quae vero vix noſtram, ſed hortulanorum potius mereri videntur attentionem.

tione petendis Praeſide D. ANDR. ELIA BÜCHNERO. Halae 1751. ventilata eſt haec ipſa Diſſertatio.

XVI.

XVI.

An Eſſay on the Hydrophobia: to which is prefixed the Caſe of a Perſon who was bit by a Mad Dog; Had the Hydrophobia; and was happily cured. By CHRISTOPHER NVGENT, M. D. in Bath. London: printed for James Leake and William Frederic; and ſold by M. Cooper. 1753. 8. mai. pag. 204 ſine praef.

i. e.

De hydrophobia tentamen; cui praemiſſa eſt hiſtoria aegrae cuiusdam, a cane rabido morſae, hydrophobia inde correptae feliciterque curatae. Auctore Cl. CHRISTOPHORO NVGENT.

D*emorſorum prophylaxin vix ullam certam haberi, at iam aquam pauentium ſanatorum exemplum dari certa fide nullum*, cum omnibus fere artis principibus deplorauerat BOERHAAVIVS; neque *deſperauerat* tamen *de inueniendo huius ſingularis veneni antidoto ſingulari.* Hanc a magno illo Viro conceptam, tempore forte noſtro expletum iri ſpem et nos quoque ſperamus; praeſenti potiſſimum, quem indicamus, libro excitati confirmatique: quam ob cauſam de eo ad lectores noſtros nunc referre haud intermittimus, licet is expectatione noſtra paulo ſerius ad manus noſtras peruenerit. Tam felici eſſe contigit Cl. Auctori, ut miſeram aliquam aegram, atroci iſto morbo correptam, prorſus eo liberaret; id, quod, niſi huc uſque unicum felicis talis euentus exemplum, ex rariſſimis tamen eſſe opinamur; qua ipſi ſuppeditata occaſione, tam attento uſus fuit ſtudio, ut, omnia probe obſeruans huius morbi phaenomena, eaque et inter ſe, et cum aliis a ſimili cauſa venenata ortis, diligenter

ligenter conferens, veram indigitaſſe nobis videatur viam, quam ingredi debet iſtum morbum curaturus. Quum hacce interim obſeruatione, ſedulo et per totum curationis decurſum annotata, ſuam ſuperſtruxerit theoriam, illius paulo uberiorem exhibendam eſſe iudicamus notitiam.

Feminam quandam iuuenem, duos et viginti annos natam, optima huc uſque fruentem ſanitate, anno 1751 die viceſimo quarto menſis iunii, mordet canis rabidus binis in locis dextrae manus. Vnum vulnuſculum infligitur digito eius medio prope articulum ſupremum atque unguem, ex quo aliquot ſanguinis guttulae profluunt; alterum autem eiusdem manus dorſo, cute tantum vexata ſine ſubſequente ſanguine; quod utrumque tamen et cito et fere ſponte ſanatur. Animo hinc redintegrato aliorumque exhortationibus aucto, omnem curam negligit demorſa femina, ab initio nil quidquam mali ſentiens; poſt duas vero ſeptimanas colorem faciei amittit; modo inquieta atque moroſa, modo contra fit nimium alacris; appetitus ſenſim perit; ſomnus turbatur inſomniis, ac ſi cum canibus praelia committeret, vel in aquarum abyſſum proiiceretur, licet nulla huc uſque curationis per aquam ſuſcipiendae adhuc facta fuiſſet mentio. Poſt tres deinde ſeptimanas chirurgus aliquis ad ipſius dominum veniens ad mare illam ablegat, ut in illud immergatur. Quo facto, venam is ſecat in affecto brachio, pulueriſque antilyſſi * dicti aliquot doſes ad methodum a b. MEAD commendatam ipſi offert et immediate poſt, die viceſimo iulii, balneis frigidis per aliquot dies eam uti iubet.

* In eorum gratiam, qui pulueris eius praeparationem forte ignorant, ex *Pharmacopoeia Collegii Regalis Medicorum Londinenſis*, illam iuuat hic transſcribere: *R. Lichenis cinerei terreſtris uncias duas; Piperis nigri unciam unam. In puluerem ſimul contundantur.* vid. ibid. pag. 117.

iubet. Poſt hancce vero curam ſymptomata iſta ingraueſcunt, aegraque de ſtupore quodam atque dolore humeri brachiique, cuius manus fuerat laeſa, motibusque eius conuulſiuis queritur, canum latratu nunc territa, pulueris quidem a GEORGIO COBB* nominati aliquot doſibus leuata, paulo poſt tamen, tertio nimirum poſt ultimum balneum die, qui menſis iulii viceſimus erat ſeptimus, hydrophobiae ſymptomatum caterua ſubito oppreſſa; poſtquam praecedenti die in eo ipſo dorſi manus loco, quem canis iſte rabidus momorderat, duae puſtulae rubrae cum albis apicibus eruperant.

Hoc autem triſtis ille morbus capiebat initium, p. 8. ut acutiſſimum aegra ſentiret dolorem in vexatis illis locis, per totum brachium ad fauces uſque aſcendentem et ibi quaſi terminatum, ac ſi ſagitta quaedam transfigeret has partes. Fauces, uti fieri ſolet in aegris hyſtericis, vicinaeque partes fortiter conſtringebantur, vocis uſus peribat, affecta manus humerusque conuellebantur; ſummus aderat aquae pauor, canumque latratu excitatus terror ab uniuerſalibus conuulſionibus proximus. Quae cuncta quoque ſymptomata nouo et aucto valde inſultu inuadebant, quoties vel aquae vel canum repraeſentandi ideam dabatur occaſio. Facies erat rubore perfuſa, oculi torui atque feroces, pulſus fortis atque naturalis; lingua humida, nulla ſitis.

In hac rerum anguſtia vocatus Cl. Auctor ſangui- p. 14. nem detrahit ex vena, pulueris illius paulo antea deſcripti *Cobbiani* doſin cum pilula ex duobus granis extracti

* Pulueris huius compoſitio ſequentem in modum deſcribitur a Cl. Auctore p. 15. R. Cinnabaris natiuae aeque ac factitiae, ſingulae grana viginti quatuor; Moſchi optimi grana ſedecim. Fiat puluis ſubtilis cum melle, aut ſyrupo croci, vel capillorum veneris vel alio quolibet, in bolum redigendus, pro una doſi.

extracti thebaici, quod purum eſſe conſtat opium, omni trihorio aſſumendam praeſcribit, totique collo applicandum emplaſtrum ex galbano cum dimidia extracti illius thebaici uncia paratum, manui vero laeſae brachioque calidum oliuarum oleum infricandum
p. 18. curat. Altero die cum pulſus adhuc fortis celeriorque eſſet, ſanguis iterum detrahitur et ad clauſam huc uſque aluum ſoluendam lotio bis immittitur vino antimoniato corroborata, reliquorum remediorum uſu continuato. Symptomata inde nunc imminui videbantur, ita, ut aliquam liquidorum copiam deglutire iam poſſet aegra. Quum pulſus plenitudo maneret, tertio die repetebatur venae ſectio, ſitique nunc redeunte, decoctum hordei cum nitro, praeter illa iam dicta remedia, propinabatur. Quamuis deinde ventriculum ſaepe male affici quereretur, per ſequentes tamen dies ſenſim ſenſimque melius ſe habere pergebat, ita, ut illa remedia nunc parcius offerri poſſent, opio prorſus omiſſo, fonticulo autem in affecto brachio excitato, donec cuncta fere euaneſcerent ſymptomata, animo viribusque redeuntibus.

p. 31. Sub medium tamen menſem auguſtum, quum ſuis iam officiis denuo praeeſſe coepiſſet, tam infelici eſſe rurſus contingebat miſerae huic feminae, ut a malis hominibus maximo percelleretur terrore, ac ſi certus eſſet metus, ne atrox iſte morbus cum omnibus ſuis ſymptomatis rediret ipſique vitam eriperet. Tam vehemens animi commotio reddebat eam languidam, triſtem, ſomnum ciborumque auferebat appetitum, brachiumque, in quo fonticulus fuerat excitatus, inflammabat, quae tamen ſymptomata pulueris illius, et opii et infuſi ex floribus ſambuci praeparati, externorumque remediorum uſu, denuo ceſſare videbantur, quum poſt decimum a nouo hocce inſultu diem ex improuiſo in conſpectum ipſius veniret peſſimus ille homo, qui tanta mala vaticinando

nando horrendum iſtum ipſi incuſſerat terrorem. Quo repentino odioſoque obiecto tantum viſo, totus ipſius animus viresque conuellebantur; metus atque triſtitia redibant; ventriculus peſſime afficiebatur; extrema animi abiectio ſine ulla aut meliorum expectatione, aut agendorum voluntate, aderat. Nihilo tamen minus eo tandem adigebatur miſera, ut p. 36.
emeticum deinque pulueres illos ſaepe iam memoratos aſſumeret; at ſine exoptato ſucceſſu. Nec clyſter, neque venae ſectio afferebant auxilium. Quid? Quod reuerterentur adhuc acuti et lancinantes iſti dolores, et laeſam manum, et annexum brachium, perforantes, cum motibus utramque hanc partem diſtrahentibus. In ambiguo itaque, quid faceret, nunc Cl. Auctor haerens in eam incidebat meditationem: nonne iſta neruorum ſymptomata veris motibus hyſtericis ſimillima, licet ab aliis cauſis orta, datis tantum remediis antihyſtericis vel antiſpasmodicis dictis compeſcere poſſet? Et en! feliciter ſuccedebat omnis iſta res. Boli enim ex duodecim granis aſae foetidae, decem granis moſchi ſexque granis camphorae compoſiti reiterato uſu, interpoſita mixtura ex ſale abſinthii, ſucco limoniorum, additisque remediis amaris, triſtis haecce finiebatur tragoedia, ut deinde ſenſim ſenſimque et vires et animum denuo recuperaret aegra, ex illo tempore ſemper adhuc ſana permanens.

Enarrata nunc ,diri huius morbi hiſtoria, ipſum p. 41.
de indaganda eius natura curaque ſubiungit Cl. Auctor *tentamen*, animi ſui cogitata ſub nomine atque forma *quaeſtionum* modeſte proponens, quarum una tamen cum altera cohaeret. Ante omnia generale illud ſupponit axioma, nullum in uniuerſa hac rerum cauſa reperiundum corpus, in vera umquam eſſe quiete, licet in eam ſemper nitantur, primaque motus genera ad quamlibet animalem functionem praeſtandam concurrentia, in vibratione, pulſu,

oſcilla-

oſcillatione, vel alio demum quouis titulo uti velis,
p. 45. conſiſtere. Quem ad modum itaque, pergit Cl. Auctor, naturalis atque vitalis neruorum ſolidarumque eius generis partium motus in contractione atque dilatatione conſiſtit, quo reliquae perficiantur corporis functiones; ita quoque actio, quae contra naturam fieri dicitur, in irregularibus ſpasmodicisque intelligitur conſiſtere motibus, quorum immediata cauſa vel materialis ſtimulus, vel animi tantum affectus eſſe poteſt. Eiusdem quoque indolis eſſe videtur primus omnium venenorum, quae corpori applicantur, ideoque etiam illius a cane rabido inducti, effectus, ut neruorum ſyſtema male afficiant, illud demum vel ab immediata eorum applicatione, vel mediate a ſpiritibus inde laeſis fiat. Violenti vero ſpaſmi alios iterum, diuerſae licet naturae viſae, excitare poterunt. Vti enim v. c. dolores ad partum vel et veri gignunt interdum ſpurios, tergiuerſantes dictos, ita quoque ſpaſmi a morſu canis orti efficiunt tales, qui hyſtericis ſunt ſimillimi. Vehementes autem ſpaſmos ſequi ſolent inflammationes; id, quod et in hydrophobiae caſu fieri obſeruatur, unde talium aegrorum diuerſa quoque prorſus haberi debet cura, alia antiſpasmodica tantum; alia, quae contra
p. 50. nouum hunc morbum directa eſt. Probe itaque notandum erit, hydrophobiam a ſui initio inflammationem faucium vicinarumque partium haud habere comitem, ſed hanc illi demum, licet ſaepe paulo poſt, ſuperuenire. Quo interim factum fuit, ut plures medici, et inter hos quoque ipſe BOERHAAVIVS in eum ſeduci ſe paterentur errorem, ut morbum ſemper haberent *ſumme inflammatorium*, ideoque inflammationes inter eſſentialia, quae ſcilicet eum ſemper comitarentur, referrent ſymptomata, eaque ratione cauſam atque effectum inter ſe confunderent.
p. 55. Quid? Quod illud maniae genus, a morſu tarantulae excitatum, uti et reliqua fere cuncta maniae ge-

nera

nera inſignem cum primis hydrophobiae ſymptomatibus oſtendunt ſimilitudinem, quum in illis omnibus violenti ſpaſmi proximam obuenientium ſymptomatum cauſam conſtituere, indeque etiam binis illis principibus reſpondere videantur indicationibus, quibus in omni caſu, ubi applicatum fuit venenum, ſatis facere debet medicus, ut iſtos nimirum obortos ſpaſmos compeſcat, ipſiusque veneni citam iuuet expulſionem; qui uterque etiam effectus a remediis antiſpasmodicis expectari poterit. Ex doctrina porro p. 61. morborum conſtat, non nullas ſaepe tantum ideas afficere poſſe certos aliquos neruorum plexus, reliquis fere intactis relictis; inque variis mentis alienationibus, quae diuerſis venenatis cauſis ortum ſuum debent, unam neruorum partem prae altera laedi. Num ergo mirum, quod in hydrophobia fauces, oeſophagus atque ventriculus prae reliquis potiſſimum partibus patiantur? Mercurii vis in glandulas ſaliuales, plumbi in inteſtina, cantharidum in renes, e. ſ. p. nota eſt, quae inſuper iam dicta confirmat. Qui p. 65. vero fit, a quopiam forte oggeri poterit, ut venenum a cane rabido applicatum poſt tempus non numquam ſatis longum vim ſuam exſerat? Verum enim vero, reſpondetur, quot ſunt morborum cauſae, diu antea in corpore latitantes, quam effectus ſequatur? Illud interim forſitan ea propter fit, quod fluidorum corporis corruptio ad inſignem aliquem gradum procedere debeat, ut excitare ſpaſmos ſtimulareque poſſit neruos, qui ad nobilioris alicuius viſceris functionem praeſtandam concurrunt. Probant id ſcorbutus, plurimae febres, arthritidis variae ſpecies, variolae et inter has potiſſimum eae, quae per inſitionem fiunt, quippe inter quas, quatenus ad earum efficiendarum modum reſpicere velis, et inter hydrophobiam Cl. Auctor ſummam opinatur eſſe atque demonſtrat ſimilitudinem. Vt omnium inter ea, quae morbos faciunt, cauſarum actio eſt relatiua, ita

quoque idem valet de rabidorum canum veneno, non ſolum ratione diuerſorum, qui laeduntur, hominum diuerſae temperiei, ſed et eiusdem in ipſis canibus diuerſae reperiundae.

p. 83. Ex illis igitur omnibus, quae huc uſque propoſuerat Cl. Auctor, tandem colligit, inflammationem, uti iam diximus, eſſentiale non eſſe hydrophobiae ſymptoma, quum haec adeſſe poſſit ſine illa; ſed eam potius, uti malum hyſtericum, ad ſpasmodicorum tantum morborum claſſem pertinere ſpeciemque eſſe *maniae*, uti tarantiſmum, certis quibusdam alienationibus mentis corporisque affectionibus ſtipatam, quae omnes immediate a ſpaſtica partium quarundam ſyſtematis neruoſi conſtrictione originem ſuam habeant.

p. 85. Primus itaque medici, qui tanti mali ſuſcipere tentat curationem, is eſto finis, ut, quam primum fieri poterit, tumultuoſos iſtos neruorum motus ſedare ſpaſmosque leuare omni ope allaboret. Felicis enim euentus ſpes fere omnis perit, ſimul ac aduenerit inflammatio, quae, licet prioris tantum mali ſit effectus, nouorum tamen ſymptomatum cauſa fit morbumque reddit complicatiſſimum. Antiphlogiſtica enim medendi methodus hic non locum habet, ſaepeque ſpaſtico illi primo morbo contraria; antiſpasmodica vero reſpectu inflammatarum iam partium ſaepe nimis calida eſt; ne quid nunc dicatur de copioſo diluentium hauſtu, contra febres inflammatorias quam maxime neceſſario, quem aegri tamen aquam pauentes aſſumere nequeunt. Ante omnia vero, quum in omni caſu, ubi metuenda eſt inflammatio, ſanguinis miſſio ut plurimum requiratur, eam quoque contra hydrophobiam vix non ſemper acceſſoriam eſſe iudicat Cl. Auctor eamque commendat modo largiorem, modo parciorem, modo quoque reiteratam, pro diuerſa ratione et humorum in aegro conſpicuae redundantiae et imminentis inflammationis periculi. Quod

Quod interna attinet remedia, illico dentur talia, quae inter antiſpasmodica dicta maximam habent efficaciam, opium, moſchus, aſa foetida, camphora et quae plura adhuc ſunt reliqua, et crebro quidem pro re nata et in larga doſi. Cinnabarina quoque inter illa Cl. Auctor refert, licet ſe ignorare concedat, quamnam in primis partem in ipſa hac curatione habeat. Exiſtimat quidem aliquam omnino contra vermes et ſpaſmos inde natos eo modo ineſſe illi poſſe vim, quo mucum, in quo nidulantur vermes, reſoluat aeque, ac aethiops mineralis; interim in compoſitione utiliſſimi illius pulueris ſupra iam commemorati, qui a GEORGIO COBB, qui eam primum ex America attulit, nomen accepit, ideo eam retinendam eſſe, quoniam efficacia eius extra omne dubium poſita ſit ideoque experientiae aliquid tribuendum; etſi a priori, uti aiunt logici, ſimplicium remediorum virtus non ſemper perſpici vel determinari poſſit. p. 92.

Vomitoria non facile, certe non alia, quam quae ſine omni ſtimulo agunt, admittenda eſſe docet Cl. Auctor, ſuamque alibi adhibitam methodum ipſe corrigit, id, quod etiam de purgantibus acribusque clyſteribus valere monet. Ratio patet, quod ventriculus in hoc caſu non idiopathice, ſed ſympathice tantum afficiatur, iuſtusque metus ſit, ne, fortibus datis remediis, ſpaſmi iam praeſentes magis inde exacerbentur, quamuis e contrario a lenioribus immiſſis lotionibus non numquam auxilium iure expectari poſſit. p. 97.

Ex eadem quoque ratione veſicatoriorum uſus redditur ſuſpectus. Copioſus autem ſudor ipſum potius leuare videtur morbum, adeo, ut naturam ipſam morbis ſpaſticis, paroxyſmo imminuto, ſponte eum propellere conſtet, quam ob rem et antiſpasmodica data diaphoreticorum virtutem quoque explent. p. 103.

p.103. Num vero in aquam immergi debent tales aegri, prout a multis medicis illud huc uſque commendatum fuit? Minime. Vel id enim fit propter inflammationem quandam internam praeſentem; tum iuſtum erit periculum, ſub ipſa operatione ne vitam perdat aeger, vel morbus adeo fixus inducatur, qui numquam deinde ſolui poſſit. Quis umquam medicorum in talibus morbis, ab aliis cauſis ortis, angina, pleuritide, ventriculi, hepatis, renum, e. ſ. p. inflammationibus frigida balnea adhibere auſus fuit? Vel id ſi propter ſpaſmos facere velis, nonne clare patet, ipſum morbum augeri debere, quum primus balneorum frigidorum effectus uniuerſalis quaedam
p.111. ſit cutis conſtrictio ſiue ſpaſmus. Quum inſuper extra omnem dubitationem poſitum eſſe videatur, ad *maniae* genus pertinere hydrophobiam, inde quoque contra frigidae uſum deſumi poterit argumentum. In omni enim maniaco nonne certa quaedam datur idea, cui ſemper infixus haeret aeger? Et nonne idea talis, quo minus reuocetur, ſedulo euitari debet? Quaenam autem in aegro hydrophobia oppreſſo alia eſt, quam idea aquae, quae magis eum excruciet? Certum ideo eſt, quodſi alias umquam talis aeger verum inde perceperit leuamen, illud ſaltem per accidens factum fuiſſe, hancque curandi viam a medico neutiquam eſſe ingrediendam.

p.114. Progreditur deinde Cl. Auctor ad hydrophobiae prophylaxin ſeu indaganda remedia, quorum ope dirus iſte morbus ab hominibus canum rabidorum morſu laeſis auerti queat. Omnia, inquit, corpori humano externe applicata venena, quam diuerſa quoque inter ſe ſint, in generali tamen agendi modo ſibi ſint ſimilia, et ita nimirum agunt, ut muſculorum fibris atque contextus cellularis ſeſe inſinuent filamentis, diu ſatis non numquam ibi latitent, leues vixque ab initio percipiendos excitent ſpaſmos, donec ulterius ſeſe propagando, alias partes in conſenſum

trahant;

trahant; tumor deinde, dolores, inflammatio, e. ſ. p. ſequantur; eaeque tandem generis neruoſi partes afficiantur, quarum actio ad vitam praeſtandam pertinet et quae laeſa ſummum morbum efficit ipſi vitae exitialem. Hinc patet, in primo ſaltem illo ſtadio, ubi nondum increbuit ſymptomatum caterua, locum habere poſſe prophylaxin. Ea interim, quae contra rabidi canis morſum valere credi poterit, ex analogia cum ſimilibus applicatis venenis eorumque antidotis magis iam cognitis commode inueſtigari atque diiudicari poterit.

Vt eo igitur tutius procedat Cl. Auctor, multus ante omnia in eo eſt, ut illum primum venenorum agendi modum ſtudioſe indaget atque confirmet; qua in re vero, ne longi nimis fiamus, ulterius ipſum ſequi non poſſumus. Res enim omnis, uti iam diximus, eo potiſſimum redit, ut, licet aliquae quoque venenorum particulae a venulis reſorptae forte ducantur ad ſanguinem, innoxiae tamen hae ſint in ipſis vaſis, omnis vero potius malignitas remaneat inter fibrarum laeſae partis eiusque viciniae interſtitia, leues ab initio ſpaſmos, deinde vero reliqua iam enarrata ſymptomata excitet. Ex illis omnibus quoque ſequitur, ut initium morbi non ſpaſticum ſolum, ſed quoque topicum ſit, utque princeps regula prophylactica in eo conſiſtat, quo leues iſti ſpaſmi virulenti in laeſa parte et circa eam prorſus extinguantur; id, quod duplici modo, et *ſopiente* et *ſtimulante* dicendo, fieri poterit; tum relaxatis nimirum atque ſopitis illis per remedia antiſpasmodica interne data et per talia quoque externe applicata, quo oleum in genere in primis pertinet, ſiue ſcorpionum dictum, ſiue aliud ſit *, calide infricandum; tum etiam exci- p. 171.

 tando

* Oleo oliuarum ſpecificam quandam vim atque efficaciam contra viperae canisque rabidi morſum ineſſe docuit nouisque comprobauit experimentis b. ABRAHAM

tando in laeſa parte alios ſpaſmos diuerſae indolis, fortiores, ac illi priores venenati erant, qui tamen haud periculoſo modo, ſed contra iſtos tantum agunt eosque ideo deſtruunt. Praeſtabit hoc ignis actualis, quo demorſus locus uritur et quo viperae potiſſimum venenum per experientiam conſtat extingui poſſe. Ad hanc ſtimulantium, quae applicari poterunt, claſſem quoque pertinent ſal, cepae, armoracia, cantharides, acetum vini, ſpiritusque vini camphoratus. Olea quoque hunc in finem adhibenda partibusque laeſae vicinis infricanda, acui poſſunt addita camphora; eligi quoque prae aliis poterunt, ut efficaciora, illa animalibus infuſa.

p. 179. Argumenti ſimilitudine inductus Cl. Auctor eam mouet quaeſtionem: Num variolae, ſi conſueto modo earum pus inciſo alicui loco inſeratur, eadem ratione praeuerti poſſint, ſi quis vicinam regionem oleo quodam animali camphorato perfricare velit. Experimentum, ſi ex voto ſuccederet, theoriam hanc apprime confirmaturum eſſet; ſin minus, ideo tamen nondum eam infracturum; quum in corpore humano iam lateat naturalis aliqua ad gignendas variolas diſpoſitio, quae vero non ita ſe habeat ad excitandam hydrophobiam. Interna porro medicamenta antiſpasmodica eo fore putat in hunc finem efficaciora, quo maiorem hydrophobia cum malo hyſterico habeat conuenientiam, adeo, ut *virulentae paſſionis hyſtericae* nomine eam inſigniri poſſe opinetur.

p. 183. Fuſius deinde, ac iam ſupra factum fuerat, contra periculoſam ſaepiusque adhuc plane noxiam diſputat

HAM VATER, Profeſſor Vitembergenſis, in diſſertatione academica et uno alteroque ea de re conſcripto programmate, quae ſcripta a nobis etiam commemorata ſunt in ſcriptorum eius indice, quem *elogio* in b. Viri memoriam a nobis exarato ſubiunximus; vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 347 et ſeq.

tat Cl. Auctor medendi rationem, qua tales aegri aquis ſubmergi ſolent.

Eruit porro falſas de hoc morbo conceptas opiniones confuſosque de eius ortu atque progreſſu natas ideas atque demonſtrat inde cauſas, cur ei huc uſque mederi haud facile potuerint medici, ſtabilitque porro generalem eius eamque ſine dubio et veram et utilem viſam diuiſionem, qua primum eius gradum, qui nimirum in laeſa potiſſimum parte adhuc haeret facilemque recipere poterit curationem, et alterum probe diſtinguit, in quo nobiliora corporis organa male iam affecta ſunt ſaepiusque iam ſequuntur inflammationes, omnem forte curationem reſpuentes. p. 192.

Sub finem illud in ea ab initio enarrata morbi p. 200. hiſtoria obueniens conſiderat ſymptoma, quod vehementes atque lancinantes dolores in laeſa praecipue manu vicinisque partibus ſenſerit aegra, indeque pro confirmanda ſua iam iam expoſita probat ſententia, ipſum virus in illis potiſſimum partibus remanſiſſe, nec in humorum circulum fuiſſe abruptum, quum dolores per reliquum corpus obuii ſaltem fuiſſent ſympathici. Idem quoque comprobare dicit illas in laeſa parte obſeruatas puſtulas, quum haud immediate, ſed poſt plures demum dies poſt morſum, proruperint.

Grata omnino fuit nobis libri huius lectio, qui, aut vehementer fallimur, ad indagandam magis magisque atrocis huius morbi naturam eiusque olim feliciter ſuperandi confirmandam ſpem plurimum faciet, licet ille ut numquam reuertatur, ex animo optemus.

XVII.

Deſcriptio anatomica oculi humani iconibus illuſtrata auctore IOHANNE GOTTFRIED ZINN, M. D. Med. et Bot. P. P. Ord. Acad. reg. ſcient. Berol. Sodal. Soc. reg. Scient. Gotting. Membr. Extraord. Gottingae apud viduam Abr. Vandenhoeck. 1755. 4. 1 alph. 11 pl. tab. aen. 7.

Quae noſtro demum ſeculo magis exculta et accuratius perueſtigata fuit organorum ſenſoriorum hiſtoria, multa tamen in ſe continet adhuc, etiam ſi ſolam eorum fabricam ſpectemus, incompleta et ulteriori indagatione digniſſima. Secum haec reputans Cl. huius libri Auctor pro eo, quo capiebatur, anatomes amore, in hanc potiſſimum partem explanandam ferebatur non ſine ſui aliorumque utilitate. Spondet etiam, ſe olim huius de oculo tractationis pleniorem exhibiturum eſſe deſcriptionem, in primis phyſiologicam. Hanc autem quum niti intelligeret fundamentis, ex diſſectione petitis, ut firmior illa ſit, aliorumque minus obnoxia diſceptationibus, nunc quicquid rei dignitas et occaſionis ratio ipſi patefieri paſſa eſt, candide et erudite exponit. Suſpicamur tamen, lectores humaniter nos eſſe excuſaturos, ſi paulo fuſius iis referendis inhaereamus, quo ſtudioſius prae aliis, qui oculi fabricam declararunt, ſuo videtur functus eſſe officio Cl. Auctor.

Decem et tria totus liber in capita diuiſus eſt, quibus tum de membranis, ſclerotica, choroide et retina, tum de humoribus, vitreo, lente cryſtallina et aqueo, exponitur: quo facto orbitae, muſculorum bulbi oculi, neruorum, arteriarum, venarum ratio datur; tandemque palpebrarum et viarum lacrymarum ſtructura declaratur.

Bulbus

Bulbus oculi humani, etſi veram non ſiſtat ſphaeram, parum tamen ab ea recedit, aliter ac in aliis animalibus, et ſectione quacunque ad perpendiculum facta, circulum ſiſtit, in viro tamen ſemper maior eſt ac in femina, iisdem licet conditionibus praeſentibus, nec non maior, quo minus a ſua diſtat animal origine. In homine potiſſimum neruorum oculi moles magnam habet rationem, ut et illos, ad linguam aut cor abeuntes, ſuperet. Inter eius inuolucra ſclerotica tunica primum eſt, quae ex multis non facile diuidendis ſtratis componitur, neque ex muſculorum tendinoſis fibris, quippe quibus craſſior eſt, ſumit originem. Illa exterius albet, intus fuſca, multis et copioſis quidem pingitur vaſculis, ad nerui optici et vaſorum ciliarium, nec non neruorum ingreſſum variis pertunditur, magnitudine diſcrepantibus, foraminibus. Controuerſa tamen huius tunicae origo eſt, ſollicitam magis requirens perueſtigationem; plerumque ex dura matre deducitur, haec vaginam neruo optico largitur, quae iterum duplex eſt. Obſeruauit itaque Cl. Auctor, illam integram poſtremae ſcleroticae inſeri, exterius adhaerentem autem telam celluloſam ſuper omnem bulbum continuari. Exterior nempe vaginae lamina denſior poſterius ſcleroticae, ligamenti inſtar inſeritur, interior, inter ſcleroticam et neruum conſtituta, tandem celluloſa euadit. Naſcitur exinde ſclerotica ad ingreſſum nerui optici, ubi accedit alia, piae matris propago, internam ſcleroticae ſuperficiem ſuccingens, a Cl. CAT prima inuenta, in fetu facilius ſeparanda. Num vero ſclerotica cum ſic dicta albuginea cohaereat, eam ob rationem dubitat Noſter, quod muſculorum tendines omnes ſigillatim inſeruntur, nunquam vero inter ſe confluunt, ut candor etiam oculi ſplendidus iis neutiquam, ſed continuationi telae celluloſae adſcribi videatur, qui ab inflammatis variis ſcleroticae vaſis quandoque deletur. Sic etiam de

p. 2. p. 9. p. 13.

cornea certatur, num illa ſit ſcleroticae productio nec ne, priorem autem amplectitur ſententiam Cl.
p. 19. Auctor, ut fibras ſcleroticae interiores citius in corneam pellucidam degenerare aſſerat, et utriusque fibras ita ſibi immiſceri ſcribat, ut flammae ignis formam, quam pictores delineare ſolent, exprimat. Corneae, ut ſcleroticae, laminae diſtinctae ſunt, ſed euidentius, intercedente tela celluloſa humido aquoſo plena, quae ex ultimis arteriolis ſcleroticae, hic hiantibus, ſuam habet originem: eadem eſt totius tunicae craſſities, pro aetate varians, in fetu adeo ingens, ut poſt mutationem demum aliquam viſus di-
p. 22. ſtinctior reddatur. Conuexitas autem maior eſt ac ſcleroticae, intus circulum repraeſentat, extus ellipſin, quae remota coniunctiua extus etiam circulum ſiſtit. Haec coniunctiua ſuper corneam dimittitur et alia tenerrima membranula, ab epidermide deducta, tegitur, quae poſt mortem praecipua obſcuratae factae corneae cauſa exiſtit.

p. 27. Alterum oculi inuolucrum, tunica chorioides et choroides dicitur, a copia vaſculorum ſic appellatum, cuius partem anteriorem plerique recentiorum vueam vocant, mollis exiſtit et maiora vaſa ſanguine plena obtinet. Haec concentrica a neruo optico ad corneam decurrunt, et aeque ac exterior choroidis ſuperficies per celluloſam telam cum ſclerotica cohaerent. Cellulae copioſiores ad ductum vaſorum conſtituuntur in homine tamen laxiores, quum in brutis animantibus tenacius efficiant vinculum, quandoque pinguedinem habere viſae ſunt. Ad iridis vero originem auctiores album circulum ſeu orbiculum ciliarem efformant. Mutatio aliqua et hic, ſi poſt mortem lentius inſtituatur diſſectio, obſeruatur, ſiquidem tunc halituoſus ille vapor, qualis durante vita eſt, in guttulas cogatur, quod non inſolitum eſſe,
p. 30. alia contigua corporis noſtri caua indicant. Sed nullibi haec tunica cum retina cohaeret neque vaſcula ex illa

illa in retinam dimittuntur, quod repetitae contra alios experientiae, ſtudioſe inſtitutae, edocuerunt Cl. Auctorem. Licet autem utraque choroidis facies in adulto homine fuſca reperiatur, in infante tamen externa magis alba eſt. Sedem huius nigredinis in celluloſa tunica quaerendam eſſe coniicit Noſter, quod in recenti accuratius cognoſcitur oculo, et in aliis corporis humani locis ita deprehenditur. Interioris e contrario ſuperficiei pigmentum ad paſtae naturam accedit, nec omnibus in locis eandem refert craſſitiem, ſiquidem interioriris illud copioſius obtinuerit, et maceratione reſoluatur, ut ea propter reticuli Malpighiani inſtar ex *coacto aliquo humore fuſco* p. 36.
de tapeto villoſo choroidis exhalante componi videatur.

Ipſa tamen choroides non piae matris propago eſt, ſed peculiaris tunica, conſentientibus variorum Cl. virorum argumentis, quam ſuam Cl. Auctor ſententiam, alibi iam propoſitam *, nunc fuſius confirmat, ex facili per macerationem a pia matre ſine noxa reſolutione atque ex choroidis fabrica diuerſiſſima. Hanc itaque ita explicat, ut, quae in recenti oculo, et quae in vaſis repleto obſeruarit, ſigillatim et erudite doceat. In recenti itaque oculo tela cellu- p. 41.
loſa et inter hanc decurrentes neruuli ciliares occurrunt, porro vaſcula, ſanguine plena, arteriae ciliares longae duae, utrinque una, vaſa vorticoſa, quae venae ſunt, ſi ſpiritu aſſeruatur haec tunica, alba fiunt, ſubiecta enim his vaſcula alia, per ſcleroticam penetrantia, fuſcas potius fibras ſiſtunt. Sunt autem haec arteriae ciliares poſticae, ſed omnia celluloſa tela firmiter nectit, in membranae formam. Interna facies ſeu concaua in iunioribus rubella, in adultioribus ex rubro fuſca, circa retinae originem ſemper candida manet, et annulum album conſtituit. Hic poſteriores ciliares arteriae magis conſpiciuntur, in

* vid. Comment. Soc. R. Scient. Gotting. Tom. III. p. 124. et Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 195.

in ſpiritu vini aſſeruata, albidiora reddita, lamina quadam obduci illae videntur tenui, quae, microſcopio docente, eſt villoſi contextus effectus, in brutis animantibus euidentioris, quandoque ſplendidi. Cera, feliciter in arterias immiſſa, vaſa quoque vorticoſa ſimul replentur, ita, ut exterius in medio circiter oculo arteriae venis ſubiiciantur et diſtinctum ſtratum efforment, quae conditio anſam ſuppeditauit RVYSCHIO, choroidem duplicem faciendi.
p. 47. Longe magis miranda eſt interior tunc choroidis fabrica, quae ex innumera vaſculorum quantitate, in areas quandrangulas, reticulatim diſpoſitas, microſcopii adiumento, efficta eſſe videtur, quam eleganter deſcriptam et nitidiſſime delineatam hic inuenimus, cuius phaenomeni inuentorem Cl. Auctor laudat, nempe. Ill. LIEBERKVHNIVM *. Ex hac ſimul deſcriptione, num rite, tot licet aſſentientibus viris, in duplicem laminam diuiſa dicatur choroides, pateſcit, quippe quum utrique faciei non interſit tela celluloſa, et in poſteriore parte tunicae vaſa immediate inter ſe miſceantur, et diuiſionem reddant impoſſibilem. Concentrica ſcleroticae choroides, ad corneae ſeceſſum circumquaque annulo celluloſo, quem plerumque orbiculum et ligamentum ciliare nominant, adfigitur, ſubſtantia eiusdem ex albo reſplendet, in iridem vero non propagatur, quae eius continuatio eſſe vulgo putatur.

Proceſſus ciliares, choroidis propago, a variis varie deſcripti et denominati, recte a recentioribus
p. 61. pro choroidis tunicae plicis habentur. Diſtinguit tamen Cl. Auctor *corpus ciliare* et *proceſſus ciliares*, et corpus quidem ciliare, *totum annulum*, *ex plicis ſingulis compoſitum*, proceſſus vero ciliares *ipſas plicas ſingulas* appellat. Deſcripto autem, quo corpus ciliare clarius cognoſcitur, modo oculum diſſecandi, illud in anteriore choroides parte ſiſtit annulum, lentem circum

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 523.

circum ambientem, poſterius nigerrimum, prope lentem lineis albis cum interuallis nigris referentem, ita, ut, quod ab aliis iam adnotatum eſt, duo quaſi efformentur annuli, alter poſterior et amplior, alter anterior anguſtiorque. Lineae hae albae ſunt corpuſcula ad conuexam faciem corporis ciliaris tenuia, ad cauam craſſiora, quae minime a retina ſuam habere videntur originem. Humor enim ater, qui p. 64.
corpus ciliare pingit, ipſi non naturalis eſt, ſed abſtergi poteſt, in infante etiam corpus illud album eſt. Quo facto veram propaginem choroidis eſſe manifeſtum fit, poſterius concentricum ſcleroticae, ad orbiculum ciliarem hanc tunicam deſerit, et introrſum lentem verſus procedit. In parte poſteriore huius corporis viſuntur ſtriae, tenues admodum in homine, ad nexum iridis cum corpore ciliari plicas facientes, eleuatae, ex binis, plerumque ut nudo oculo apparet, ſtriis coalitae, adnectuntur autem aliquantulum, ubi iris ad corneae ambitum adhaeret, ex quo loco lineae per iridis poſteriorem faciem ad pupillam abeunt. Alterum extremum, lentem verſus directum breue quidem eſt, ſed liberum, fluctuans, ſine pendulo lenti inhaerens. Accuratius ad- p. 67.
huc haec fabrica, lente optica aucta, detegitur, qua plicas has omnes multiplicem habere originem conſtat, ſiquidem tres, quatuorque radiculae iunguntur, laterales tenuiores ſunt, anterius autem haud raro ſingulus proceſſus bifidus exiſtit, magnitudine interim diuerſa, et numero variante, in homine frequentius ſeptuaginta numerauit Noſter. Totum quoque corpus ciliare leuiter rugoſum eſt, nec muſculares, nunquam demonſtrandas, fibras obtinet. Iniectione potius anatomica cognoſcitur, fibras illas omnes vaſculoſas eſſe, quarum elegantiſſimus vaſorum decurſus deſcribitur et depingitur, ingens enim eorum numerus copioſiſſima anaſtomoſi elegantiam auget, deducuntur autem illa vaſcula ex choroide. Sunt ita- p. 74.

que

que proceſſus ciliares plicae choroidis, ex neceſſitate mechanica natae, quum a maximo ad minorem lentis circulum abeant. Connexio autem cum humore vitreo talis eſt, ut peculiaris membrana intercedat, quae ab anteriore parte tunicae humoris vitrei proficiſcitur, inter eam et pigmentum nigrum conſtituta et fibrillis breuibus, ab humore vitreo ad lentem deductis, ſtricta. Eſt haec *corona ciliaris*, cui glutinis ope magis, quam tela celluloſa, corpus ciliare iungitur, ſed denuo in eius inueſtigatione apparuit, proceſſus ciliares cum lente non concreſcere, ſed eidem incumbere.

p. 79. Iridis porro deſcriptio, ab antiquis tradita, a recentioribus melius indagata fuit, ita, ut ex recenſione diuerſarum deſcriptionum, quam Cl. Auctor eius diſquiſitioni praemiſit, clarum ſit, eum quoque varia noua addidiſſe. Intelligit nimirum ſub iride annulum membranaceum, fluctuantem in humore aqueo, corneae ſubtenſum pupilla perforatum, cuius poſteriorem ſuperficiem, omnis erroris euitandi cauſa, Noſter *iridis tergum* appellat. Latitudinem ad tempora iridis maiorem, a WINSLOWO primo animaduerſam, confirmat etiam Noſter, eius tamen ſuper-
p. 84. ficiem planam eſſe credit. Anterior ſuperficies colorata quoque duobus annulis conſtat, latiore et breuiore, poſterior pigmento nigro obducitur, quod paſtae inſtar adhaeret, et ſoluitur maceratione, qua facta radii plurimi in conſpectum producuntur recti. Striatae huius fabricae mirandum eſt in recenti oculo ſpectaculum. In anteriori etenim facie iridis ſtriae parallelae, ad annulum minorem conuergentes cum dilatatione pupillae maiori flectuntur et ſerpentinae fiunt, cum minori elongantur, ad finem autem ſiue annulum minorem dum deuenerint, ſaepe bifurcantur, ut ex eorum concurſu circulus iridis ſerratus et flexuoſus formetur, ex quo denuo fibrae admodum ſubtiles, radiorum inſtar undiquaque ad centrum pu-

pillae

pillae dirigantur. Elegantiſſimam hancce fabricam nitidiſſima icone, ſiquidem verbis rite deſcribi nequeat, exprimere tentauit Cl. Auctor. Interim et annulorum color diuerſus eſt, maior velo opaco obducitur, minor purus eſt. Sed nullas continet fibras p. 91.
orbiculares, nec certa fide muſculoſae demonſtrantur, quamuis omnis apparatus vaſorum, neruorum, nec non analogia eas ſubolfacere videatur. Iris nempe neruos a ciliaribus accipit, ſicut arteriolas, quae inter ſe iunctae *circulum iridis minorem* conſtituunt, non tamen clauſum et perfectum, quin aliis tranſeuntibus et praetergredientibus interceptum. Ex conuexitate arcuum ſurculi innumeri ſic procedunt, ut permulti eorum reflectantur, cum vicinis anaſtomoſes efficiant, et forte aliis pro articularibus fibris impoſuerint. Efformant haec vaſa tunicam pupillarem fetus. Praeter ea venulae multae ſunt, a vor p. 95.
ticoſis vaſis et a ciliaribus, quibus omnibus, ſi cum arteriis repleueris quam feliciſſime, intereſſe videbis fibras numeroſas albidas, num muſculoſas? Villi ſeu flocculi, anteriori faciei iridis obducti, in humore aqueo fluctuantes, radios lucis refringendo varium colorem tribuunt iridi, quae quidem opinio ex aliis videtur maxime probabilis praecipue, quod in exſecto iride et in aqua fluitante, leuis putredinis acceſſu colores perdantur. Addit huic cauſae aliam Cl. Auctor, p. 98.
pigmentum atrum, tergo iridis obductum, quo abſterſo euaneſcunt etiam colores, et rationem diuerſitatis hominum in eius fabrica contineri monſtrant. Tandem peculiarem eſſe iridem membranam conuincitur variis argumentis, cuius dilatatio a fibris longitudinalibus elaſticis, contractio a ſpontaneo pendeat niſu.

Tertium oculi inuolucrum ſiue retina ab ipſo p. 104.
neruo optico proficiſcitur, per laminam cribroſam et conſtrictam ſcleroticam tranſeunte. Quam ſcleroticae conſtrictionem vero ſic deſcribit Noſter, ut maiorem

iorem arcum inflexus faciat ab externo latere, minorem ab interno, in faſciculos autem diremtus, per laminam tenuem, pellucidam, multis foraminulis pertuſam, ſcleroticae continuam, ubi pia mater ad eam accedit, tranſeat colliculorum inſtar, mox papillam conicam efformet, non adeo manifeſtam, ſtatim in concentricam choroidi ſphaeram expandendam. Eſt aliqua in brutis animantibus fabricae diuerſitas, in hominibus certe nec plicae nec rugae inſunt, et craſſities ubique eadem, porro membrana ſimplex eſt, externa facie medullaris, interna vaſcu-
p. 116. loſa, celluloſa tela intercedente. Libere ubique choroidi ſubeſt, et ad lentem non adhaeret, ſed ad originem corporis ciliaris terminatur.

Inter humores oculi, qui maximam eius cauitatem replet, primo conſideratur humor vitreus, quem foetus et recens natus leui rubore tinctum obtinet. Aqueae ille indolis in cauo membranaceo, variis diſtincto ſeptis, continetur, quae inde fiunt areae differentis ſunt amplitudinis, omnes tamen inter ſe communicant. Membrana haec, quam vitream vocant, ſimplex ubique, in anteriori parte duplicata eſſe dicitur, quum tamen ipſi peculiaris hic addatur membranula vel zonula, *coronae ciliaris* nomine co-
p. 123. gnita. Contigua illa eſt membranae vitreae, ſed ad circulum maximum lentis uſque procedens adhaeret, ut inter vitreum humorem et lentem triangulare ſpatium per mechanicam neceſſitatem ſuperſit, percurritur autem fibris fortibus, transuerſis, per interualla hoc ſpatium ſtringentibus, et canalem Cl. PETITI efformat, quem etiam ex homine optime hic deſcriptum et delineatum videmus. Tandem quoque vaſa humoris vitrei videre contigit Noſtro, in fetubus nimirum caninis, recenter natis, ex arteria centrali per humorem vitreum ad lentem ramoſos ſurculos tranſire obſeruauit.

Lens

Lens cryſtallina, tum conuexitatis, tum coloris et firmitudinis ratione per aetatem variat, ſine certa lege, ab anno tamen viceſimo quinto haud raro flauedinis incipientis iam veſtigia adſunt, quae ſenſim aucta efficit, ut ſeptuageſimo octuageſimoque anno ſuccinum referat. Singulare eſt, lentem humanam, in aere libero exſiccatam, flaueſcere. Componitur autem illa ex ſibi incumbentibus ſquamulis, maceratione vel alio tractata modo facile in triangulares partes diuidendis, nucleumque duriorem complectitur, intereſt tamen ſquamis aqua, quod et congelatione inſtituta cognoſcitur et ſeparatione ſquamularum, a ſe inuicem in oculo bubulo facta, qua nempe detectae ſunt fibrae, telae celluloſae inſtar, ſquamulas nectentes, diſtantiae tamen ſquamularum diuerſae, exteriorem fabricam molliorem, interiorem compactiorem reddunt. Continetur haec lens capſula, quae ſimplex eſt et peculiaris tunica, parte ſua anteriori pellucida et craſſior, tenax, poſteriori vero tenera molliorque, qua parte etiam corona ciliari firmatur. Interiorem eius cauitatem aqueus occupat humor. De arterioſis quidem vaſis lentis ambigitur inter anatomicos, ex centrali tamen arteria ramum per vitreum humorem ad poſteriorem lentis partem venire et ramoſam diuidi viderunt alii et Noſter, iconeque rem illuſtrat ad exemplar, a Cl. LIEBERKVHNIO acceptum. p. 129. p. 137.

Humoris aquei inter corneam et lentem ſedes eſt, quam iris in duas cameras dirimit, poſteriorem autem euidenter minorem eſſe adparet, cuius praeſentiam quoque euincit Cl. Auctor variis argumentis, ſiquidem alias fieri non poſſet, quin iridis, lenti inhaerens, tergum, atro obductum pigmento, abſtergatur, quin cum iridis vulnere lens deponatur. Oritur ille et ex ſanguine dimittitur per minimas arteriolas, proceſſuum ciliarium propagines, copioſius in p. 143.

poſteriori camera conſtitutas perque ſimiles venas iterum reſorbetur.

p. 156. Muſculorum deſcriptio, orbitae praeſupponit cognitionem, quam ita tradit Cl. Auctor, ut hic etiam momenta ſcitu neceſſaria adducat, ſimulque ſulcum ſiue ſemicanalem deſcribat, ab oſſe ſphenoideo, antrorſum procedentem in fundo orbitae patentem. Muſculorum deinde originem et inſertionem graphice depingit, alibi propoſita argumenta confirmans *, nimirum muſculos, adducentem, deprimentem et abducentis alterum caput ex communi
p. 178. ligamento proficiſci, obliquum ſuperiorem ex dura matre parietis interni orbitae non venire, ſed retro ſuturam, qua os ſphenoideum cum oſſe plano iungitur, ad duarum linearum a foramine optico diſtantiam abeſſe, aliaque ad accuratam eorum hiſtoriam pertinentia.

p. 182. Neruorum pariter, quorum magna copia ad oculum fertur hiſtoria, ob eorum multitudinem difficilis et intricata, inter veteres optime a FALLOPIO, inter recentiores vero ab HALLERO et ex parte a MECKELIO, viris Cll. tradita fuit, ſingulorum iter
p. 190. et ramos Noſter etiam ſigillatim explicat. Nerui vero optici, ubi ex medulla cerebri egrediuntur, inter ſe non miſcentur, etſi cohaereant, arachnoidea tunica tamen teguntur, miſtionis autem ſuſpicionem monent, mala ex laeſo neruo aut thalamo in oppoſitum oculum tranſeuntia. Neruus etiam uterque ex coniunctione hac antrorſum et extrorſum oblique procedens, in foraminis optici ingreſſu antrorſum, paulum deorſum et ſimul extrorſum pergit, ut angulum efficiat, quo loco aliquantiſper contrahitur, et tunc interiori bulbi loco cum flexu inſeritur. Quae quidem directiones nullibi pro dignitate adnotatae ſunt. Inuoluit hunc neruum dura mater piaque, et haec

* In Comment. ſoc. reg. Gotting. To. III. p. 130. vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 196.

haec quidem ſic, uti inter ſingulos funiculos mittat proceſſus. Tertii paris neruus ad oculum pertinens, p. 194.
cuius originem et progreſſum accurate declarat Noſter, ante ingreſſum in orbitam, in duos ramos, ſuperiorem minorem, et inferiorem maiorem diuiditur, uterque muſculis deſtinatur. Minor nempe attollenti et leuatori palpebrarum, maior deprimenti muſculo incumbens, in tres ramos abit, adducenti, deprimenti et obliquo minori muſculis datos, ſuppeditatque radicem ganglio ophthalmico. Quarti paris p. 200.
neruus ſine omni ramo, ab ortu ſuo progreſſus, in trochleatorem muſculum abſumitur, eandem normam ſextum obſeruat par, cuius tamen varietates aliquas in ortu adnotauit Cl. Auctor, ſiquidem ille per omnem decurſum praeter radicem nerui intercoſtalis nec minimum ableget ramulum. Ex quinto neruorum pare primi rami propagines ad oculum pertingunt, quae cum tertio ganglion ophthalmicum conſtituunt, quam rem primo expoſuit inter noſtros olim celebris SCHACHERVS. Data huius ganglii deſcriptione atque radicis longioris et breuioris expoſitione dimiſſos ex illo neruulos ciliares perſequitur Noſter. Horum ex anteriori ganglii parte exorto- p. 205.
rum, maior eſt, quam vulgo deſcribitur, numerus a Cl. Auctore obſeruatus; duos enim faſciculos conſtituunt, in varios ramulos iterum diuidendos. Superior in tres primo intuitu ramos abiens, deinde in longe plures fibrillas diſcerpitur, in diſtributione variantes, inferior ſex ſurculos habet, quorum ſecundus vel tertius quandoque, conſtanti tamen lege, ad muſculum abducentem decurrens, longe per pinguedinem ad poſteriorem oculum peruenit et ad medium bulbum ſcleroticam perforat. Praeter hos porro p. 209.
neruos ad ſcleroticam ex ophthalmici ramo naſali unus vel duo pertinent, nullus ex ſexto pari accedit. Interim nullus plexum facit aut anaſtomoſi iungitur, ſed indiuiſus pergit. Numerus variat, nullus autem

 choroi-

choroidem perforat, cuncti in iridem deſinunt, nec unica quidem fibrilla proceſſibus datur ciliaribus.

p. 213. Nec minor eſt ramorum arterioſorum numerus, qui in oculi interiores exterioresque partes abſumuntur, omnium vero nec hic Cl. Auctor deſcriptionem repetit, quum ampla et accurata iam ab Ill. HALLERO * data fuerit expoſitio. Quaedam itaque ſibi viſa tantum explicat. Ophthalmicam arteriam nunquam per ſulcum foraminis optici in orbitam deferri vidit, ramorum autem in origine varietates animad-
p. 217. uertit. *Ciliarium* arteriarum duae ſaepe ſunt, altera exterior et ſuperior, altera interior et inferior, quae per ſcleroticam tranſeunt, duorum ſunt ordinum, poſteriores plures, *ciliares* ſcilicet *breues*, anteriores paucae, *longae* dictae. *Breues* illae inter ſe multas alunt anaſtomoſes, in brutis ad poſteriorem orbiculi ciliaris partem circulum, poſteriorem Cl. Auctori dictum, efformant, in homine nondum viſum. *Longarum* in homine duae repertae ſunt, quae in choroide dimiſſis ſubtilibus ramulis progrediuntur, et ad cohaeſionem orbiculi ciliaris, diuaricantibus ramis, circulum iridis maiorem faciunt, nec non cum breuibus coniunctae, in eadem iride alium annulum interiorem conſtituunt. Centralis arteria, per axin nerui progrediens, qua ratione in retinam ducatur, ſupra dictum eſt. Terminum eius ſtabilit Noſter, ad anteriorem retinae partem eſſe, quo loco, certe in bruto animali etiam in circulum diſponuntur, alius ramulus per humorem vitreum dimiſſus ad lentis cryſtallinae capſulam pertinet. Nullos tandem corneae ramos arterioſos induſtria omnis adhibita pateſcit.

Venarum decurſus, in quo frequentior adhuc ac in arteriis luſus eſſe ſolet, ab anatomicis fere derelictus, de quo extricando deſperabant, feliciter a Cl. Auctore indagatus, ita deſcriptus eſt, ut certiora
p. 228. quaedam ipſi determinare contigerit. Vena nempe ophthal-

* Conf. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 209.

ophthalmica *ex receptaculo*, *loco plane recondito infra arteriam carotidem*, *oritur*, *ubi ex oſſeo canali egreſſa transuerſa antrorſum pergit*, *et inde*, *ſub proceſſibus clinoideis anterioribus introrſum aſcendit*, *tecta ibi origine neruis tertii et ſexti paris.* In orbitam porro peruenit ſaepe indiuiſa, mox ramos ad muſculos dat, et ad ſcleroticam, nec non ad neruum opticum. Deinde oritur vena lacrymalis, ciliaris ſuperior maior, minores muſculares, ramus interior, et ciliares variae. Ex his ad exterioris partes palpebrasque rami deriuantur, quos omnes deſcriptos hic legimus. Notatu tamen dignum eſt, has venas amplis committi anaſtomoſibus, quae laxum circa oculum circulum faciunt, et ſanguinem liberrime transmittunt. Sed, quoniam et hic varietates adſunt, de iis factas obſeruationes non negligit Noſter. Vorticoſa, a STENONE dicta, vaſa primo venas tantum eſſe docuit Ill. HALLERVS, quatuor vel quinque ex trunculis p. 233.
proficiſcuntur, in media demum bulbi parte ſerpentina flexione ſcleroticam pertundunt, vortices elegantes maioresque formant, quibus interſunt minores variae, ut numerus ad denarium adſcendat. Ad choroidem tunicam ſi acceſſerint, mox breuiſſimo trunculo denſos copioſiſſimosque ramulos, verſus oppoſitum latus inclinatos, ablegant, quos eleganti icone expreſſos miramur. Reliqui minores imperfectos vortices et arbuſculas repraeſentant. Praeter has ad ſcleroticam veniunt venulae ciliares longae et anteriores, arteriolis ſimiles. Longae, neruis parallelae, ſubtiliſſimis datis ramis, ad orbiculum ciliarem rectae properant, diuaricantur et ad iridem ducuntur. Num, arteriarum more, hic circulum venoſum fingant in homine, quod ab aliis et a Cl. Auctore in brutis animalibus obſeruatum eſt, quorum certe oculi vario modo ab illis hominis diſcrepant, ut ſingulari diſquiſitione declarauit Cl. Auctor, primo p. 240.
dubitauit ille, poſt vero, ubi feliciſſima extitit in in-

ſantum oculis iniectio, nullum omnino perfectum continuumque circulum adeſſe reperit. Impoſuerunt, quod forte aliis eodem accidit modo, venulae ciliares longae, in duos ramos diuiſae et cum aliis a latere communicantes, clarius autem re perluſtrata nunquam in circulum iunctae, ſiquidem earum per
p. 243. interſtitia minora vaſcula ad iridem adueniunt. Centralis tandem vena origine ſua peculiaris eſt, oritur namque diſtincta ex receptaculo, ramulos praebet minores perioſteo et pinguedini, deinde vaginae nerui ſe immittit, per eam ramos ſpargit et prope bulbum in nerui medium tranſit, ad ortum retinae in permultos ramos diſpergitur.

Haec ad ipſum bulbum oculi pertinent, tegitur ille palpebris, quarum nunc fabricam perpendit No-
p. 247. ſter. Harum ligamenta, a WINSLOWO demonſtrata, in dubium alii vocarunt, nec vera quidem deprehendit, ſed duram matrem ad exteriorem orbitae marginem, alteram ſuam laminam in palpebram demittere detexit, craſſam, fibroſam, antea ad tarſum quam deuenerit, celluloſam factam, ut veli inſtar defendat et partes a ſe ſeiungat. Poſt haec muſculorum fabricam exponit et glandulas MEIBOMII, plexus nimirum glanduloſos, marginibus palpebrarum inhaerentes, ex permultis compoſitos folliculis, quorum ductum communem inuenire non licuit, ut ea propter quosdam eorum ad marginem palpebrarum inter ſe communicare ſtatuendum ſit.

Mobilitati oculi ſeruandae lacrymae, quibus varii ductus deſtinati ſunt, affunduntur, quae tum ex coniunctiuae vaſculis, tum ex glandula lacrymali proueniunt, cuius ductus in homine nemo vidit.
p. 255. In ductibus lacrymalibus nouam fecit obſeruationem Noſter, canalem nempe ſuperiorem ab orificio ſuo recta adſcendere et angulo facto deſcendere iterum, inferiorem contra prius recta deſcendere et tunc ad angulum rectum transuerſum ferri: utrumque etiam canalem

canalem ſibi accumbentem, medio ſepto interne diſtingui, quod ante inſertionem vero deſinit, ut uterque unico oſtio in ſaccum lacrymalem inſeratur. Membrana eos veſtiens faciensque tenuis, intus alba eſt et a tunica ſacci lacrymalis diuerſiſſima. Habet enim ſaccus ille duplicem tunicam, externam albam, internam rubram, vaſculoſam, pulpoſam, a tunica pituitaria continuatam. Procedunt autem ex p. 257. ſacco, quod iniectio per oſtium inferius docuit, multa vaſcula minima, per palpebras decurrentia, in occluſis punctis lacrymalibus forte ipſas lacrymas in ſe ſuſcipientia et abducentia.

De nitidis tandem, quae ſeptem tabulis proponuntur, huic libello adiectis figuris nihil monemus, quippe quae deſcriptarum partium naturam illuſtrant, et in ipſo opere uberius explicatae habentur. Arbitramur enim, varia rerum nouitate ita ſe commendare libellum, ut quilibet, harum rerum amans, eum perluſtrandi cupidine flagret.

XVIII.

Die Armpolypen in denen ſüßen Waſſern um Regensburg entdecket und beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evangeliſchem Prediger in Regensburg, und Mitglied der Königl. deutſchen Geſellſchaft in Göttingen. Nebſt 3 Kupfer-Platten mit Figuren in Farben. Regensburg, bey Emanuel Adam Weiß. 1754. 4. 11 pl.*

i. e.

Polyporum brachiis inſtructorum, aquis dulcibus ratisbonenſibus innatantium, deſcriptio. Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Quod iam paucis abhinc annis peculiari in libro * fuſius explicare atque deſcribere annifus eſt Cl. TREMBLEY polyporum genus, illud noſtro Auctori, quem ſaepius commemorauimus, et in aquis
p. 3. ratisbonenſibus inuenire contigit. Quanquam ſibi perſuaſerit, fore, ut plura, in eorum ſedula diſquiſitione, noua detegat, ingenue tamen fatetur, nihil omnino a Cl. TREMBLEY, eſſe omiſſum, ſed rite omnia et ſumma attentione explorata atque deſcripta. Obſeruata tamen ſua nobiscum communicare ideo non dubitauit Cl. SCHAEFFER, quo et ſuperius nominati Auctoris aſſerta confirmarentur, et, ſi quis forte hiſtoriae naturalis cultor exſtiterit, qui gallicam linguam non calleret, ex hocce libello teutonice
p. 4. ſcripto de polyporum hiſtoria certior fieri queat. Eodem, quo Cl. TREMBLEY uſus eſt, ſuam tractat Noſter materiam, ordine et in prima ſectione monſtrat

* Memoires pour ſervir à l'hiſtoire d'un genre de polypes d'eau douce à bras en forme de cornes. Leid. 1744. 4to.

ſtrat polyporum brachiis inſtructorum formam et motum, in altera de nutrimento et illud acquirendi methodo exponit, in tertia diſputat de generatione horum animalculorum, quarta continet obſeruationes varias ab Auctore inſtitutas, et quinta demum offert quasdam de eorum interna ſtructura coniecturas. Differt hoc polyporum genus a reliquis, quod p. 5.
vi locomotiua gaudeat, brachiis, radiorum ad inſtar a centro diuergentibus, ſit inſtructum, et nudum nullaque membrana tectum inueniatur. Tres ſunt in quolibet brachiato polypo conſiderandae partes, quae tandem ſpecificum eorum nobis ſiſtunt characterem. Anterior pars, quae et caput nominari poteſt, media, quae corpus conſtituit, et poſterior tandem, quibus ſe agglutinare aliis ſolent corporibus. Cum vero differentia obſeruetur magna in polypo- p. 6.
rum extenſione, tres ponit brachiatorum ſpecies, prima brachiis breuiſſimis, ſecunda brachiis longioribus, et tertia brachiis gaudet longiſſimis. Excepta hac brachiorum diuerſa longitudine, de reliquo in omnibus conueniunt ita, ut quicquid de una ſpecie adfert Cl. Auctor, et de altera valere poſſit. Ad ani- p. 9.
male regnum polypos pertinere patet ex eorum vi locomotiua, nec non ex eo, quod varia inſecta pro nutrimento deuorent. Inueniuntur in aquis, non ſolum in lenticulae aquaticae ſuperficie interna, cui tamen plerumque inſident, ſed et aliis quibuscunque aquae innatantibus corporibus adhaerent; Vario mo- p. 11.
do ſeſe applicare ſolent, mox enim parte poſteriori ſiue cauda ſe agglutinant, mox brachiis vel et unico tantum brachio corpus quoddam amplectuntur. Brachia verſus omnes mouere plagas et mirum in p. 12.
modum flectere, torquere, contrahere et extendere poſſunt. Numerus brachiorum vix determinari poteſt, cum mox plures, mox pauciores, inueniantur. Eſt quoddam vermiculorum genus, quod hisce brachiis infeſtatur et ea cupidiſſime deuorare ſolet. Cor-

pus ſeu media pars aeque flexilis ac mobilis eſt, ac brachia, ita, ut extendere et rurſus contrahere facilli-
p. 16. me poſſint. Explicat Cl. Auctor modos varios, quibus a loco ad locum ſe mouere poſſunt, et denique colorem iſtorum varium, pro variis, quibus cauitas
p. 23. corporis repleta eſt, corporibus eſſe declarat. In altera ſectione de nutrimento polyporum agit. Millepedes, pulices aquatici, aliaque inſecta ipſis alimentum praebent. Brachiis obuoluunt, quicquid ipſis occurrit, et contrahendo brachia animalcula ad caput attrahunt, auideque deuorant. Succus inſectorum tantum nutrimento ipſis eſt, quod ex eo patet, quod exuuias exſuccas integras rurſus euomant.
p. 34. Tertia ſectio generationem declarat. Ad plantarum propagationem iſta propius accedit, cum ramorum ad inſtar ex polypo prodeat proles. Inueniuntur nempe in adulto polypo circa generationis initium tubercula minora, quae ſenſim ſenſimque euoluuntur, longiora euadunt, et tandem aliquot diebus peractis figuram polypi minoris ex aſſe referentia a ma-
p. 41. tre ſeparantur. Varia adfert de hoc negotio, quae hic fuſius exponere non licet, et tandem adultum polypum in quinque menſium ſpatio 25467 polyporum matrem exiſtere ex certis obſeruationibus demonſtrat. Ex ipſa hac, qua generantur, multitudine coniicit, eſſe adhuc alia, praeter eos, quos ſupra adduxit vermiculos, inſecta, quae polypis noſtris inſi-
p. 46. dias ſtruerent, eosque deuorarent. In quarta libelli ſectione varias adfert, quas in polyporum diſquiſitione inſtituit, experientias et ulterius explicat varias iſtos diſſecandi, ut ex qualibet parte nouum exſurgat
p. 64. animalculum, methodos. Cum igitur in hisce omnia fere, quae externam ſpectant polyporum figuram ac fabricam ſatis exacte explicauerit Cl. Auctor, nunc paucis internam eorum ſtructuram coniiciendo
p. 66. tantum exponere in quinta ſectione allaborat. Globulos ſeu granula illa, quibus obſita eſt et interna et externa

et externa ſuperficies polypi, villos eſſe, reſorbentes ſuccum nutritium, ſibi perſuadet. Alium tamen ſimul in generationis negotio praeſtare haec granula uſum, ex eo contendit, quod quiuis polypus, cum ex matris corpore prodeat, oculo armato conſideratus granulatam, ut ita dicam, fabricam euidenter oſtendat. Idque ex quarundam plantarum analogia uberius declarare ſtuduit. Sub fine tandem adhuc quaedam de artificiali, quam vocat, generatione, quae diſſectione praeſtatur, adfert, et quoque in ea ad plantarum ſimilitudinem accedere polypos demonſtrat.

p. 69.

p. 74.

XIX.

Noua phyſico - medica.

Membra Regii Collegii medici Stockholmienſis:

Praeſes:

ABRAHAMVS BAECK, M. D. Archiater.

Aſſeſſores:

MARTINVS REEF, M. D. Medicus regius.
GVILIELMVS KAMECKER, M. D. Medicus aulae.
ZACHARIAS STRANDBERG, M. D. Phyſicus Stockholmienſis.
ERICVS ELFF, M. D. Medicus noſocomii publici et Profeſſor artis obſtetriciae.
IOHANNES BERGSTRAL, M. D. Medicus Claſſis regiae.
IONAS DARELIVS, M. D. Practicus Stockholmienſis.

Adſcripti ſunt praeter ea huic collegio medici omnes reliqui, quotquot in regno Sueciae praxin exercent.

In

In academia Erfordienſi Cl. IOAN. CHRISTOPH. RIEDEL, M. D. Inſt. Med. P. P. Ordin. Fac. Med. Aſſeſſ. Extr. a Ser. Electore Moguntino, Conſiliarius denominatus, nec non qui hucusque cum laude philoſophiae extra ordinem docendi munere praeficiebatur, Cl. CHRISTOPH ANDREAS MANGOLD, medicinam extra ordinem docendi munus, accepit, praecipue tamen ipſi chemiae ſtudium excolendum demandatum eſt.

Halae Vir Cl. IOANNES PETRVS EBERHARD, qui docendo aeque ac variis ſcriptis hucusque de medicina meruit, Profeſſor huius Medicinae Ordinarius nominatus fuit.

Gottingae, qui hucusque penes ſocietatem regiam ſcientiarum ſecretarii vice fungebatur, Cl. MICHAELIS, Prof. Publ. ob varias et graues, quibus premitur, rationes, huic quo minus ulterius praeeſſet muneri, impeditus, Potentiſſ. Reg. Indultu, huic ſe abdicauit muneri, inter membra vero ordinaria ſocietatis adhuc referendus, in cuius locum ſucceſſit Cl. HAMBERGER, Prof. Publ.

Magnam nuper die ſeptimo menſis Aprilis, fecit iacturam *academia Rintelienſis*, morte Cl. IO. HERMANNI FVRSTENAV, Phil. et Med. D. Medicinae profeſſoris primarii, nec non oeconomiae profeſſoris ordinarii, qui, cum per plures annos huic non ſolum praeeſſet academiae, eidemque legendo et docendo medicinam inſeruiret, ſed ſcriptis variis editis etiam, aliorum laudem mereretur, ſexageſimo octauo aetatis anno tandem obiit.

Eodem menſe, die nempe eius decimo ſexto *Edimburgi* Cl. ANDREAS PLVMMER, Med. D. et Chemiae profeſſor publicus, Membrum collegii regii

gii medicorum, qui non poteſt non ob varias, quae in tentaminibus Edimburgenſibus ab eo confectae leguntur, commentationes erudito clarus eſſe orbi, diem obiit ſupremum.

Nec non eiusdem menſis die viceſimo ſeptimo *Florentiae*, Cl. IOSEPHVS XAVERIVS BERTINI, aetatis ſuae anno ſexageſimo primo, e viuis deceſſit, qui medicinae faciendae ſuam dicans operam, varia, ad eam pertinentia, ſcripta practica publici iuris fecit.

Rothomagi, quae floret academia ſcientiarum et artium, quaeſtionem propoſuit phyſicam, huius ſolutio optima et conueniens maxime praemio trecentorum pondo gallicorum condecorabitur, ſequentem; quaenam ſit terrae motuum cauſa. Latine et gallice conſcripti eſſe debent commentarii.

Qui diu iam oeconomicorum ſtudiorum progreſſus voluit pro virium ratione amplificare Lib. Baro PETRVS DE HOHENTHAL, cuiusque ſtudio prodierunt aduerſaria oeconomica *, ex ſingulari liberalitate praemium propoſuit viginti nummorum aureorum illi futuri anni Paſchatos feſto conferendum, qui chemiae eam propoſuerit diſquiſitionem, quae oeconomiae omni, artifici, et variis hominum negotiis utilis eſſe poſſit. Latiori tamen videtur chemiae ſignificatio ſumta eſſe ſenſu, ut ſimul comprehendat variorum corporum naturalium eam pertractationem, quae ad conſequendos vitae communis uſus requiritur.

Non regionum autem ſingularum, ſed etiam hominum felicitatem ſenſim ſenſimque magis promoueri, ſi quae operariis relinquuntur, naturae bona paulo curatiore attentioreque animo conſiderentur, prout

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 421.

prout varia iam teſtantur documenta, ita etiam ea, quae in Suecia ad perficiendum ſtudium oeconomicum ſuſcipiuntur, magis confirmant exempla. Ex itineribus nempe, in Americam ſeptentrionalem inſtitutis, redux Cl. KALMIVS varia exoticarum plantarum ſemina ſecum adduxit, quarum utilitas tum oeconomiae, tum commercio et medicinae ſit utilis futura, quae ſata ex parte meſſem dederunt exoptatam. Hinc inſtituendorum experimentorum cauſa Ser. Sueciae REX clementiſſime ipſi praedium commiſit, quo et hiſce vacare poſſit tentaminibus, et alia ſimul ad agrorum culturam, nec non pratorum ſyluarumque emendationem pertinentia inſtituere, et quod praecipuum eſt, hanc alios edocere doctrinam, et eius modi eorum animos imbuere praeceptis, quae illos ad patriae inſeruiendum reddat aptiores. Deſudat inſuper Cl. Vir in digerendis iis, quae ad deſcriptionem itineris ſuſcepti pertinent, quare Cl. PETR. ADRIAN. GADD aliqua harum rerum opera demandata fuit. Plantas ea propter Sibericas, oeconomiae et arti tinctoriae utiles, ille diſquirit, quarum magnum admodum numerum Cll. viri BROWALLIVS et LECHEVS, uniuerſitati Aboenſi dederant. Ne vero ſuo excidat fine, etiam conuenientia quaedam loca in urbe ipſi commiſſa ſunt, quibus ſeri et coli illae poſſint plantae, quod nec ſine omni futuri emolumenti ſpe iam factum eſſe conſtat. Quotannis inſimul illi demandatum eſt officium, inſtituendi in vicinas regiones itinera, et conquirendi cuncta, quae huic poſſint ſatisfacere ſcopo.

Londini vigens ſocietas in emendandis artibus, opificiis atque commercio (*Society for the encouragement of Arts, Manufactures and Commerce*) occupata, decimo nono menſis Maii die huius anni praemium conſtituit monetae aureae pretio viginti unius pondo Anglici, illi exhibendum, qui ſtudioſam cum ea commu-

communicauerit diſſertationem de naturali hiſtoria Cobalti. Poteſt illa latino, anglico, germanico vel gallico conſcribi ſermone, atque in ea declarari, perfecta deſcriptio diuerſorum generum minerarum cobalti, quibus notis externis illud optime diſcerni, cum quibus mineralibus et in quibus illud deprehendi, qua ratione optime illud tentaminibus chemicis ſubiici, et conuenienti methodo exinde Zaffra atque Smaltum elaborari, quibusue generibus ſilicis vel arenae additis id praeſtari queat. Poſtulant porro ſocietatis leges, ut commentationes ſcriptae, ſigillo obfirmatae, ante primum anni huius ſeculi quinquageſimi octaui diem, dictae ſocietati tradantur. Subiicienda autem eſt diſſertationi ſententia aut ſymbolum, quod itidem aliae inſcribendum eſt ſchedulae, quae obſignata auctoris nomen, intus poſitum, monſtret. Illius itaque, cui praemium decernetur, ſchedula aperietur poſt modum, reliquae intactae relinquentur. Nummus autem illi, qui litteràs, manu eius auctoris, cui deſtinatus fuit, ſcriptas ſymboloque, libello addito, notatas producet, tradetur. Hanc ipſius ſocietatis voluntatem, typis expreſſa notitia patefecit eius ſecretarius WILLIAM SHIPLEY.

Licet ſcripta auctorum non niſi publici iuris facta recenſere ſoleamus, non incongruum tamen erit in nouis noſtris medico-phyſicis, proxime expectanda eruditorum ſcripta indicare, ſi ipſi Auctores ideam operis nobiscum communicant. Imprimitur nimirum Amſtelodami apud *I. Schreuder*, et *P. Mortier iuniorem* opuſculum, cuius titulus eſt: *Ventris fluxus multiplex, ex antiquis et recentiorum monumentis propoſitus* a N. LAMBSMA, Phil. et Med. D. In varia illud diuiſum eſt capita; partem theoreticam primum caput, practicam reliqua complectuntur. Inquirit igitur Cap. I. *Quo modo aluus in ſecunda valetudine*

tudine excernat. Cap. II. indagat, *qualia cita aluus in quoque morbi genere reddat.* Cap. III. agit *de ventris fluxu mucoſo.* Cap. IV. *de ventris fluxu aquoſo.* Cap. V. *de deiectionibus glutinoſis.* Cap. VI. *de bilis profuſione.* Cap. VII. *de puris profluuio.* Cap. VIII. *de ventris fluxu ſanioſo.* Cap. IX. *de ſanguine per aluum reddito.* Cap. X. *de haemorrhoidibus.* Cap. XI. *de varii generis calculis aluo excretis.* Cap. XII. *de hydatidibus.* Cap. XIII. *de alienigenis.* Cap. XIV. enumerat, *quo modo venter fuſus febricitantibus conuenit.* Cap. XV. agit *de cauſa ventris fluxus proxima.* Cap. XVI. *de cauſis magis remotis.* Cap. XVII. *quid a deiectionibus venturum ſit*, inquirit. Cap. XVIII. *quo modo varia alui profluuia curari debeant*, docet; et tandem Cap. XIX. *teneſmum* explicat.

De inſtituto quodam, in ſtudii rei herbariae commoda ſuſcepto, ſequentia proponenda ſunt. Plantas exſiccatas coloribus inductis in chartam coniicere, et ut typographi ſolent, exprimere iam trigeſimo tertio anno huius ſeculi a IOHANNE HIERONYMO KNIPHOF, Med. Doct. et Prof. Erfordienſi doctiſſimo, tentatum, excultum et eo opus dirigente a *Iohanne Michaele Funcke*, Typographo Erfordienſi praeſtitum fuiſſe, multi ex noſtris ſciunt, et expreſſas tales plantarum imagines conſeruant. Cum autem haec methodus parum hactenus exculta, ſed maxime neglecta fuerit, Ill. BÜCHNERVS Academiae Naturae Curioſorum Praeſes digniſſimus etc. de augendis ſcientiis et artibus maxime ſollicitus, id obtinuit a Cl. KNIPHOFIO, ut cum viro induſtrio *Iohanne Gottfried Trampe*, Typographo Halenſi, et methodum formandi has icones et obſeruandas praecipue enchireſes communicaret. Sic igitur inſtructus laudatus *Trampius* Halae Saxonum typographiam plantarum adornauit, varia ſtirpium ſpecimina, tum in agro halenſi, tum in hortis curioſorum, ſpeciatim in horto Lud-

Ludwigiano Lipſienſi creſcentium, exhibuit, ex quibus alia nigro colore impreſſo, alia coloribus diuerſis ſuperinductis, ideam plantae referunt; his nomina apta, ex LINNAEI ſpeciebus et LVDWIGII generibus plantarum depromta, typis expreſſa adduntur. Centuria plantarum officinalium et aliarum curioſarum, ſi nigro colore icones tantum exprimuntur, duorum imperialium pretio venditur, ſi vero icones viuis coloribus pictae deſiderantur, tres imperiales exiguntur. Cuilibet quidem centuriae index nominum addetur, quilibet tamen icones expreſſas pro ſuo lubitu et methodo electa ordinare poterit. Tribus centuriis foliorum duplicatorum, hoc eſt, ſexcentis tandem iconibus, apte uno volumine comprehendendis titulus plantarum iconibus exornatus praemittetur. Quicunque vero hanc plantarum collectionem deſiderant, ad ſupra indicatum *Trampium*, Halae in platea *dieRanniſche Gaſſe* dicta ad ſignum roſae inueniendum, literas dirigant, centuria etiam prima nundinis lipſienſibus autumnalibus in bibliopolio halenſi Gebaueriano exhibebitur.

XX.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Philoſophical Tranſactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. XLVIII. Part. II. for the Year 1754. London, 4. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences; année MDCCLI. avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique pour la même année. Tirées des Régiſtres de cette Académie; à Paris, 4. mai. c. f.

Hiſtoire et Mémoires de l'Academie Royale des Sciences de Paris pour l'année 1746; 3 Voll. à Amſterdam, 12. c. f.

Der Königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris phyſiſche Abhandlungen 11*ter Theil, welcher die Jahre* 1735 *und* 1736 *in ſich enthält; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* W. B. A. VON STEINWEHR. *Breslau,* 8. mai. *m. K.*

Eben derſelben Academie anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen; 7*ter Theil, welcher die Jahre* 1727 *bis* 1730 *in ſich enthält; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von Ebendemſelben.* ibid. 8. *m. K.*

Memoires de Mathematique et de Phyſique, préſentés à l'Academie Royale des Sciences, par divers Sçavans et lûs dans aſſemblées. Tom. II. à Paris, 4. c. f.

Abhandlungen der Königl. Pariſiſchen Academie der Chirurgie; 2ter Band. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Altenburg, 4. mai. *m. K.*

De Bononienſi Scientiarum et Artium Inſtituto atque Academia Commentarii. Tomus tertius. Bononiae, 4. mai. c. f.

Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar, för Aor 1755. Vol. XVI. Stockholm, 8. mai. c. f.

Der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungs-Kunſt und Mechanic, auf das Jahr 1731. 13*ter Band. Aus dem Schwediſchen überſezt von* ABR. GOTTH. KAESTNER. *Hamburg und Leipzig,* 8.

Ebenderſelben 14*ter Band auf das Jahr* 1752. ibid. 8.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et belles lettres; Année 1753, à Berlin, 4. c. f.

Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis. Tomus IV; ad annum MDCCLIV. Gottingae, 4. c. f.

Socie-

Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis pretia. Gottingae, 4.

Zuſätze zu den mediciniſchen Verſuchen und Bemerkungen der Geſellſchaft zu Edimburg. Altenburg, 8.

Auserleſene mediciniſche, anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch-Kayſerl. Academie der Wiſſenſchaften; aus dem Lateiniſchen überſezt. Nürnberg, 4. *m. K.*

Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Bibliotheca phyſica, medica, miſcella, partim ſociorum munificentia, partim ipſius ſumtibus comparata. Praemittitur de non nullis ad eam ſpectantibus praefatio ANDREAE ELIAE BÜCHNERI. Halae Magdeburgicae, 4. mai. c. f.

Collection Académique, compoſée des Mémoires Actes ou Journaux des plus célébres Académies et Sociétés littéraires Etrangéres, des Extraits des meilleurs Ouvrages périodiques, des Traités particuliers et des Piéces fugitives les plus rares, concernant l'Hiſtoire Naturelle et la Botanique, la Phyſique Experimentale et la Chymie, Médecine et l'Anatomie; traduits en François et mis en ordre par une Société des Gens des lettres. 3 Voll. à Dijon, 4.

Anmerkungen über alle Theile der Naturlehre; aus den Engliſchen Transactionen, Lateiniſchen Actis Eruditorum; Memoires de l'academie des ſciences etc. *gezogen; und aus dem Franzöſiſchen überſezt. Dritter Theil. Coppenhagen,* 8.

Mémoires de la Société royale des Sciences et Belles lettres de Nancy. 3 Voll. à Nancy, 12.

Die Schriften der deutſchen Geſellſchaft zu Jena, ſo wohl aus den höhern, als auch aus den ſchönen Wiſſenſchaften durch ihren Senior, CARL GOTTHELF MÜLLER *herausgegeben;* 2 *Theile. Jena,* 8. (*Diſſertationes quoque medicae in priore tomo continentur.*)

Mémoires de Mathématique et de Phyſique, Premiere partie. à Avignon, 4. c. f.

Acta Heluetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica. Vol. II. Baſileae, 4. c. f.

Recueil périodique d'obſeruations de Medecine, Chirurgie, Pharmacie. à Paris, 8. (*Editor Cl.* VANDERMONDE.)

Hiſtoire générale des voyages, etc. Tom. XIII. à Paris, 4. c. f.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und Lande; oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen, mit vielen ſchönen Kupfern und Landkarten. 13ter Band. Leipzig, 4. mai.

Hiſtoire naturelle, generale et particuliére, avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome cinquieme; à Paris, 4. mai. c. f.

Kurzer Entwurf der Königl. Naturalien-Kammer zu Dresden. Dresden und Leipzig, 4. mai. *m. K.*

Idem liber quoque prodiit gallice ſub titulo:

Deſcription du Cabinet Royal de Dresde touchant l'hiſtoire naturelle; à Dresde, 4.

Alia eiusdem editio, qua latinus gallicusque textus ſibi iuncti ſunt. ibid. 4. mai.

Natur- und Kunſt-Cabinet, oder Sammlung nützlicher Nachrichten zu Beförderung der Natur-Kunde, der Künſte und der Manufacturen. Erſter Band. Jena, 8.

Fränckiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzeney-Gelahrheit, Oeconomie, und denen damit verwandten Wiſſenſchaften. Erſtes bis 6tes Stück. Nürnberg, 8.

Schleſiſche oeconomiſche Sammlungen. Erſtes bis 12tes Stück. Breslau, 8.

Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt-Wirthſchaften, Policey-Finanz- und Cammer-Weſen dienlichen Nachrichten, bis 136 Stück. Leipzig, 8.

Oeco-

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen. Achter Theil, nebſt Regiſter über den fünften bis achten Theil. Leipzig, 8.

Eben derſelben neunter Theil. 8.

Oeconomiſche Nachrichten; von dem 8*0ten bis* 9*2tes Stück. Leipzig,* 8.

Selecta phyſico-oeconomica, *oder nützliche Sammlungen zur Naturforſchung von allerhand Haushaltungskunſt gehörigen Begebenheiten;* etc. *bis* 1*7tes Stück. Stuttgard,* 8.

Journal oeconomique ou memoires notes et avis ſur les arts, l'agriculture, le commerce et tout ce qui peut y avoir rapport pour l'année 1755. 12 Part. à Paris, 12.

Allgemeines Magazin der Natur-Kunſt und Wiſſenſchaften; 5*ter und 6ter Theil. Leipzig,* 8. mai. *m. K.*

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 1*4ter Band. Hamburg und Leipzig,* 8.

Eben deſſelben 1*5ter Band.* ibid. 8.

Stockholmiſches Magazin, darinnen kleine Schwediſche Schriften, welche die Geſchichte, Staatsklugheit und Naturforſchung betreffen, nebſt neuen Berichten von den Königl. Schwediſchen Academien der Wiſſenſchaften, hohen Schulen und andern Gelehrten in Schweden. bis 3*ter Theil. Stockholm,* 8. mai.

Phyſicaliſche Beluſtigungen; 2*5tes Stück bis* 2*8tes. Berlin,* 8.

Neue Verſuche nützlicher Sammlungen zu der Natur- und Kunſtgeſchichte, ſonderlich von Oberſachſen; bis 3*6tes Stück. Schneeberg,* 8.

Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel. 1*2tes Stück. Baſel,* 8.

Berättelſes om åkersbrukets åtskilnad almogen och Böndren emellan uti Oſenfired Sokn belägeni Weſtmanland och Akerbo härad med nödige am-

märkningar. Stockholm. (*Auctor Cl.* STRANUS.)

L'hiſtoire naturelle éclaircie dans une de ſes parties principales, Oryctologie, qui traite des Terres, des Pierres, des Metaux, des Mineraux et autres Foſſiles, Ouvrage dans lequel on trouve une nouvelle méthode Latine et Françoiſe de les diviſer et une notice critique des principaux ouvrages qui ont paru ſur ces matiéres, enrichi de Figures deſſinées d'après nature; à Paris, 4. mai. c. f. (*Auctor eſt Cl.* D'ARGENVILLE.)

Die wahren Mittel, Länder und Staaten glücklich zu machen; oder groſses oeconomiſches und phyſicaliſches Lexicon etc. *vornehmlich aus des* P. NOEL CHOMEL Dictionaire oeconomique *genommen und vermehret; 7ter Theil. Leipzig,* fol.

Eſſai ſur l'Agriculture Moderne, dans lequel il eſt traité des Arbres, Arbriſſeaux et Sous-abriſſeaux de pleine terre, dont on peut former des allées, bosquets, maſſivs, palliſſades et bordures dans un goût moderne: enſemble des Oignons de fleurs et autres Plantes tant vivaces qu'annuelles: des Arbres fruitiers, ſur tous ceux qui meritent la préférence dans les plans des Potagers. à Paris, 12.

A new ſyſtem of Agriculture, or a plain, eaſy and demonſtrative method of ſpeedily growing rich: proving by undeniable arguments, that every Landownes in England may advance his Eſtate to a double value, in the ſpace of one year's time: together with ſeveral curious inſtructions, how to feed oxen, cows and ſheep, to much greates profit, than has ever yet been known in England; by a Country Gentleman. London, 8.

Anweiſung zum Seidenbau, Säung des Maulbeerſaamens; Wartung der Maulbeerbäume und Seidenwürmer, auch von der Haſpelung und Zubereitung der Seide. Breslau, 8.

Nutz-

Nutzbare Haushaltungskünſte und oeconomiſche Wiſſenſchaften. Glogau, 8.

Natürliche wirthſchaftliche Betrachtung der Bienen. Leipzig, 8.

Unterricht, wie der Landmann bey einer Horn-Vieh-Seuche, ſowohl zur Dampfung als Verhütung derſelben ſich zu verhalten habe. Nürnberg, 8.

Das Geheimniß der Kellermeiſter, Weinſchencken und Kiefer, oder Anweiſung zur Erhaltung und Verbeſſerung aller Arten Weine, nebſt einem Anhang von allen bekannten Weinen, wie ſie tractiret und conſerviret, couroutriret, und mediciniſch gemacht werden: ſowohl auch von vielen durch die Kunſt gemachten Weinen. Leipzig, 8.

Mémoires ſur les Laines, ou l'on examine 1) quelles ſont les differentes qualites des Laines propres aux Manufactures de France, 2) ſi on ne pourroit pas ſe paſſer en France des Laines étrangéres, 3) comment on pourroit perfectionner la qualité et augmenter la quantité des Laines de France; à Bruſſelles, 12.

Der vernünftige Kaufmann, oder theoretiſche und practiſche Grundſätze der Handlung in und außer Deutſchland. Erſter Theil, Hamburg und Leipzig, 8. mai. (Commentarios ex linguis exoticis translatos continet, quorum aliqui phyſici et oeconomici ſunt argumenti.)

In memoriam R. F. DE SILVERSTEIN programma de laeſionibus ex diſpoſitione morboſa vulnerati lethiferis. Lipſiae, 4. (Auctor. IO. ERN. HEBENSTREIT.)

De obſequio principum erga medicos, programma in memoriam IVSTI GODOFR. GÜNZII. Lipſ. 4. (Auctore I. E. HEBENSTREIT.)

Somme Memoirs of the Life and Writings of the late Dr. RICHARD MEAD. London, 8.

Authentic Memoirs of the Life of RICHARD MEAD. London, 8.

Muſaeum Meadianum, ſiue Catalogus nummorum, veteris aeui monumentorum ac gemmarum, cum aliis quibusdam artis recentioris et naturae operibus, quae V. Cl. RICHARDVS MEAD, M. D. nuper defunctus comparauerat. Londini, 8. c. f.

Inſtitutiones medicae ex nouo medicinae conſpectu. Lutetiae Pariſiorum, 12.

Idée de l'homme phyſique et moral pour ſervir d'introduction à un Traité de medecine; à Paris, 12.

Medecine Experimentale, ou Réſultat de nouvelles Obſeruations pratiques et anatomiques. Première Partie. à Paris, 12.

Onomatologia medica completa, *oder vollſtändiges medicíniſches Lexicon, von einer Geſellſchaft gelehrter Aerzte, mit einer Vorrede herausgegeben von* D. ALBRECHT VON HALLER. *Erſter Theil. Ulm*, 8. mai.

Mediciniſch-Chymiſches Oraculum, *mit einem raren Manuſcripte. Ulm*, 8.

Beweis, daß die meiſten Krankheiten der Frauenzimmer ihren Grund in dem Cörperbau dieſes Geſchlechts haben. Frankf. und Leipzig, 8.

Abhandlung von der blaßen Farbe des Geſichts. Frankfurth und Leipzig, 8.

Geſundheits-Regeln nach der geſunden Vernunft eingerichtet. Wittenberg, 8.

Oſſervazioni intorno all'abuſo del Caffe, ed alle virtu' di un nuovo Tè Veneziano, espoſte in due lettere. Venezia, 4.

Sechs berühmter Medicorum vollſtändige Haber-Beſchreibung, ſammt deutlichen Unterricht von der Zubereitung, Nutzen und Gebrauch des Habertrankes. Sorau, 8.

A Differ-

A Diſſertation on Sea Water, with the regimen proper to be obſerved in the uſe of it. In a letter from a phyſician. London, 8.

Obſervations on venereal complaints and on the methods recommended for their cure; letter the ſecond. ibid. 8. mai.

Recueil de quelques piéces intereſſantes ſur l'inoculation de la petite verole. à la Haye, 8.

Supplemento alla Storia Medica d'una Poſtema nel lobo deſtro del Cerebello etc. data alla luce dal Sign. GIOV. BIANCHI, Medico primario della citta di Rimino. In Ceſena, 8. c. f.

Le Manuel des Dames de Charité; ou Formules des Medicamens faciles a préparer, dreſſées en faveur des perſonnes charitables, qui diſtribuent des remédes aux pauvres dans les villes et dans les campagnes; avec des remarques utiles pour faciliter la juſte application des remédes qui y ſont contenus, et un Traité abrégé ſur l'uſage des differentes ſaignées, Troiſieme Edition, revue, corrigée et augmentée de pluſieurs remedes choiſies, extrait des Ephémerides d'Allemagne. à Paris, 12.

Chymiſche Lehrſätze der hohen Schule zu Montpellier, wie die Artzeneyen nach den beſten Gründen der Naturlehre bereitet und recht gebraucht werden ſollen. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Franckfurt, 8.

Der wohlerfahrne Scheidekünſtler, oder practiſche Anweiſung, wie man alle Ertze und Metalle, ſonderlich Gold und Silber mit wenigen Koſten und Mühe probiren, und von einander ſcheiden kann. Franckfurth, 8.

Phyſiſche Anmerkungen über die jüngſt wahrgenommene außerordentliche Waſſerbewegung. Haag und Hannover.

L'art de faire des garçons ou nouveau tableau de l'amour conjugal. à Montpellier, 8.

Das allergröſte Kleinod und der urälteſte verborgene Schatz der Weiſen. Nürnberg, 8. *m. K.*

MICHAEL ALBERTI, Diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationes practicas de medicina quadam efficaci in motibus naturae exacerbatis. Reſp. *Io. Iuncker.* Halae Magdeburgicae, 4.

Eiusdem Diſſ. inaug. de maiori frequentia apoplexiae in eruditis, quam alius ſortis hominibus obſeruanda; Reſp. *Io. Iac. Melzner.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis imaginariis hypochondriacorum. Reſp. *Chriſtian Gottlob Groß.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de grauiditate prolongata. Reſp. *Carol. Henric. Petzſch.* ibid. 4.

ALBERTVS M. *von den Geheimniſſen der Weiber, der Thiere und Steine. Nürnberg,* 8.

B. S. ALBINI Academicarum annotationum liber ſecundus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Leidae, 4. mai. c. f.

Traité des maladies de l'Uréthre; contenant l'origine, les progrès, la guerifon radicale des carnoſités, calloſités, retentions d'urine et la compoſition des bougies de toutes eſpéces, Par M. ALLIES. à Paris, 12.

CAROLI ALLIONII rariorum Pedemontii ſtirpium ſpecimen primum. Taurini, 4. mai. c. f.

ANDROMACHI antiquiſſimum de theriaca carmen ad Imperat. Neronem gr. et lat. Norimbergae, 4. c. f.

VON ARVIEVX, *hinterlaſſene merkwürdige Nachrichten von ſeinen Reiſen nach Conſtantinopel, in Aſien, Egypten und der Barbarey*, etc. *im Franzöſiſchen herausgegeben von* LABAT, *und iſt ins Deutſche überſezt. 5ter Theil. Coppenhagen,* 8.

A Treatiſe on the Venereal Diſeaſe, containing a particular account of the nature, cauſes, ſigns, and the cure of the ſeveral venereal diſorders, both local and univerſal. And being deſigned as a tranſlation and abridgment of the learned Dr. ASTRVC's Trea-

Treatiſe of this Diſeaſe; By SAMVEL CHAPMAN. 2 Vol. London, 12.

CAELII AVRELIANI de morbis acutis et chronicis libri VIII. Amſtelodami, 4.

Idem liber cum notis variorum. Viennae, 4.

Phyſiques des Corps animés. Par le P. B. à Paris 12.

De affectibus animi et morbis inde oriundis, diſſertatio habita a *Georgio Baker*. Cantabrigiae, 4.

NIC. GEORG. BALEMANN de cephalalgia inprimisque illa, quae conſenſualis ex abdomine eſt. Helmſtadii, 4.

Fungorum agri Ariminenſis hiſtoria, A. L. ANTONIO BATTARA; compilata aeneisque tabulis ornata. Faenza, 4. c. f.

IO. WILHELM BAVMER, Progr. de electricitatis effectibus in corpore animali. Erford.

Examen chimique d'une Eau minerale nouvellement découverte a Paſſy, dans la maiſon, de *M. de Calſabigi*, exécuté en conſéquence de l'ordonnance de M. le premier Médecin du 2 Avril 1755. qui commet à cet effet les Sieurs VENEL et BAYER, préposés par le Roi à l'Analyſe des Eaux Minérales du Royaume. 8.

IOH. IOACHIM BECHERS *Chymiſcher Glückshafen, oder groſſe chymiſche Concordanz und Collection von* 1500 *chymiſchen Proceſſen. Neue und viel verbeſſerte Ausgabe. Leipzig*, 4.

D. D. BECKER, *chymiſcher Wahrſager, oder Beſchreibung eines rubinrothen, fixen und durchdringenden Oels, ſo er ohne alles Feuer und Zuſatz fremder Dinge aus dem Thau bereitet. Langenſalze*, 8.

Nuperae perfectae androgyneae ſtructurae obſeruatio quam doctiſſimis anatomiae profeſſoribus ſiſtit FRANCISCVS PAVLLA BEDINELLIVS. Piſauri, 8.

Diſſertation ſur la tourbe de Picardie, qui a remporté le prix au jugement de l'Academie des Sciences d'Ami-

d'Amiens, en l'année 1754; par Mr. BELLEY. à Amiens, 8. c. f.

ANDR. BERCH, Diſſ. oeconomiſk beſkrifning öfner Stapolſtade; Gefle Reſp. *Magnus Oernberg.* Stockholm, 4.

CAROL. AVG. DE BERGEN, Diſſ. inaug. ſiſtens anatomiae experimentalis partem priorem. Reſp. *Carol. Stephan. Ludov. Weſenfeld.* Francofurti ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens anatomiae experimentalis partem poſteriorem. Reſp. *Io. Chriſtian. Elardi.* ibid. 4.

Eiusd. cosmeticae in artis formam redactae ſpecimen ſecundum. Reſp. *Ioh. Chriſtian. Elardi.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de exercitatione corporis primo ſanitatis praeſidio. Reſp. *Michael Maxai.* ibid. 4.

Chymiſche Verſuche und Erfahrungen, aus Vitriol, Salpeter, Ofenruß, Queckſilber, Arſenick, Galbano, Myrrhen, der Peruvianer Fieberrinde und Fliegenſchwämmen kräftige Arzneyen zu machen. Herausgegeben von IOH. CHRISTIAN BERNHARDT. *Leipzig,* 8. *m. K.*

Riſpoſta d' ERCOLE BERTELLI ad una lettera del Sig. *Giuſeppe Rocchi* ſotto il nome di *Teagete Libade.* In Peſaro, 12. mai.

D. BERTRAMS *Unterricht von dem Gebrauche und Wirkungen des Ruhler Stahlwaſſers im Fürſtenthum Eiſenach, ingleichen ein Unterricht von dem Creuzburger Bitterſalz. Eiſenach,* 8.

Diſcorſo fiſico medico de Dottore FABBRIZIO BERTVCCIANI intorno ad una Veſpa creduta principaliſſima cagione della morte di Pasquino Gatti ſucceſſa l'anno 1748. Genua, 8.

ELIAE BEYNON, *barmherziger Samariter, allerhand Gebrechen und Krankheiten des Leibes mit geringen Mitteln zu curiren. Nürnberg,* 8.

Lettera

Lettera del Signor D. GIAM. BATTISTA BIANCHI, Preſide e Capo del Mag. del Proto medicato delli ſtati di S. M. ſulla ſenſibilita et irritabilita delle parti negli Uomini e negli bruti in riſpoſta d'altra lettera ſcrittali dal D. G. B. BASSANI, Prof. Med. Romano. Turin, 8.

Lettera del Sign. Dott. GIOVANNI BIANCHI ad un ſuo Amico di Ceſena ſopra un preteſo ſupplimento alla Storia medica d'una Poſtema del lobo deſtro del Cerebello publicato dal Sign. Dott. CARLO SERRA. In Arimino, 8.

The Hiſtory of the Royal Society of London for improving of natural Knowledge from its firſt riſe; in which the moſt conſiderable of thoſe papers communicated to the Society which have hitherto not been publiſhed, are inſerted in their proper order, as a ſupplement to the Philoſophical Tranſactions; by THOMAS BIRCH. 2 Voll. London, 4.

A Treatiſe on the Scurvy, deſigned chiefly for the Uſe of the Britiſh Navy. By CHARLES BISSET. ibid. 8.

ELISABETHAE BLACKWELL, collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum uſum aſſeruantur. etc. ſ. ELISABETH BLACKWELL *vermehrtes und verbeſſertes Kräuterbuch; bis* 362 *Blat. illuminirt. Nürnberg*, fol. mai.

ION. BOECKMANN, Diſſ. deiectionem corroborantem et ſimul nexum purgationis aluinae cum ſudore, cutisque cum ventriculo et inteſtinis exhibens. Reſp. *Petr. Bettander.* Gryph. 4.

HERMANN BOERHAAVENS *Anfangsgründe der Chymie, nach Maaßgebung des Engliſchen Auszugs; aus der lateiniſchen Urkunde treulich verkürzt von einem Doctor. Hannover*, 8. *m. K.*

HERRMANN BOERHAAVENS *Lehrſätze von Erkänntniß und Heilung der ſo genannten chirurgiſchen*

ſchen Kranckheiten, mit dem Commentario GER. VON SWIETEN. *4ter und lezter Theil. Danzig*, 8.

HERMANN BOERHAAVII Aphoriſmi et materia medica Editio noua. Norimbergae, 8.

A Commentary on BOERHAAVS Aphoriſms on the venereal diſeaſe. By the author of *Tabes dorſalis* or the cauſe of conſumtions in young men. London, 8.

BOERHAAVES Materia medica, or the Druggiſts Guide, and the Phyſician's and Apothecary's table book. Being a compleat account of all drugs, in alphabetical order; etc. Tranſcribed from the author's lectures on the Materia Medica, preparatory to thoſe on *the Powers of Medicine*; and accommodated by the translator to an Engliſh reader. ibid. 12. (IACOBVS CARROL praelectionibus BOERHAAVII interfuiſſe hancque materiam medicam ex ore eius calamo excerpiſſe dicitur.)

FRIED. BOERNERI Noctes Guelphicae ſiue opuſcula argumenti medici literarii, reuiſa et aucta; accedunt primitiae Wittebergenſes. Roſtochii, 8.

Eiusd. *Nachrichten von jeztlebenden Aerzten und Naturforſchern*; 3*ter Band*, 3 *und* 4*tes Stück. Wolffenbüttel*, 8.

Eiusd. Diſſ. de ſtatu medicinae apud veteres Ebraeos. Reſp. *Samuel Aug. Wagner.* Wittembergae, 4.

Eiusd. Progr. memoriae Profeſſorum medicinae in Academia Wittembergenſi inde a primis illius initiis renouatae, ſpecimen primum. Wittembergae, 4.

IOH. BOHNII de renunciatione vulnerum ſiue Vulnerum lethalium examen; cui acceſſerunt diſſertationes binae de partu enecato. Editio noua. Lipſiae, 8.

Pane-

Panegyricus memoriae IVSTI GODOFREDI GÜNZII dicatus et dictus publice ab ERNESTO GOTTLOB BOSE. Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. de ſecretione humorum in plantis. Lipſiae, 4.

Le Calendrier des Laboureurs et des Fermiers, contenant les inſtructions neceſſaires pour la conduite et pour le maniment d'une Ferme, dans tous les mois de l'année: ouvrage néceſſaire aux perſonnes, qui vivent à la Campagne, et à celles qui y font valoir leur bien; traduit de l'anglois ſur la ſixiéme edition de M. R. BRADLEY. à Paris, 12.

I. H. BRAND, *ſorgfältiger Land-und Bauren-Doctor. Zweyter Theil. Heilbron*, 8.

IO. GODOFR. BRENDEL, Diſſ. inaug. de abſceſſibus per materiam et ad neruos. Reſp. *Georg. Aug. Henrici.* Gottingae, 4.

Eiusd. Progr. de ſpasmo maxillae inferioris. Gottingae, 4.

An Eſſay on the Medicinal Education of Children and their diſeaſes Translated from the French of Mr. BROVZET. London, 8.

CAROL BROWN, Diſſ. de morbillis. Edimburgi.

ALEXANDR. BRVCE, Diſſ. de hydrophobia. Edimburgi.

IO. CAROL. SEBASTIAN BRÜKNER, Diſſ. inaug. de morborum migratione. Erfordiae, 4.

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac Parte.

1. Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin an. 1753. p. 193.
2. ALBINI academicarum annotationum Liber. II. p. 209.
3. *Abhandlung von dem mineraliſchen Gehalt und mediciniſchen Gebrauch des im Marggrafthum Baden-Baden gelegenen warmen Bades* etc. p. 220.
4. GAVTIER Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique et ſur la peinture etc. p. 227.
5. RVMPHII Herbarii amboinenſis auctuarium p. 233.
6. PLVMIERII Plantarum americanarum faſciculus I et II. p. 238.
7. ELOY Dictionaire hiſtorique de la Medecine p. 244.
8. LVDWIG Diſſ. de criſibus variolarum acceſſoriis p. 256.
9. TISSOT l'inoculation juſtifiée p. 261.
10. IOACHIM Tr. Chir. Med. an variolas in noſtris regionibus inoculare ſit conſulendum? p. 266.
11. SEGVIERII Plantarum, quae in agro Veronenſi reperiuntur, ſupplementum ſeu Vol. III. p. 267.
12. IAMPERT Specimen phyſiologiae plantarum I. et II. p. 274.
13. HANOVS *Seltenheiten der Natur und Oeconomie* etc. *Dritter Band.* p. 283.
14. De bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentarii Tom. III. p. 286.
15. *Hamburgiſches Magazin XV. Band* p. 315.
16. NVGENT An eſſay on the Hydrophobia p. 329.
17. ZINN deſcriptio anatomica oculi humani p. 342.
18. SCHAEFFER *die Armpolypen in den ſüſſen Waſſern in Regenſpurg* p. 358.
19. Noua phyſico-medica p. 361.
20. Index ſcriptorum medico-phyſicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 367.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS V. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar foer Aor 1754. Vol. XV. Med. Kongl. Academiens Tilſtaend. Tryckte i Stockholm hos Lars Salvius, poa deſs egen koſtnad. 1754. 8. pl. 20½. tab. aen. 8.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae. Annus 1754. Vol. XV.

Trimeſtre primum:

1) *De artificiis, quae igni exſtinguendo excogitata ſunt*, agit GERHARD MEYER, in primis commendans aquam ſalibus impraegnatam, quae et ignem efficacius exſtinguat, et frigore minus in glaciem coeat. Damnatis dein variis artibus, quas inuentores multis praeconiis propoſuerunt, ſuadet Holmiae tecta aedium ex plumbo et planiora fieri, ut multum aquae coelo deſcendentis excipiant, et canalium ope in ciſternas dimittant, machinas deinde proiiciendae aquae idoneas exſtrui, denique receptacula aquae ſalibus impraegnatae fieri, quae omnia effici poſſint, ſi ſors 100000 thalerorum in uſuras collocetur, ita, ut quotannis ſex thaleros ſingula centena ferant; et his quinquaginta annorum ſpatio omnibus recte conſtitutis, alii fini ſors adhiberi poterit v. g. aedificiis, p. 1.

 in

in quibus milites coniunctim habitarent, exſtruendis, quod et ciues ab oneribus multis liberaret, et ipſum militum auxilium igni exſtinguendo promtum magis redderet.

p. 19. 2) *Inſectum* in ſyluis Americae ſeptentrionalis, praecipue in regionibus, quae *Noua Ierſey* et *Penſyluania* dicuntur, reperiundum, deſcribit PETRVS KALM. Appellatur ipſi *Acarus oualis planus ruber, macula dorſali alba*, incolis nomine venit, quod *pediculum ſylueſtrem* denotat. Syluae illo plenae ſunt, et transeuntibus per illas adhaeret, magnitudine plerumque exigua eſt, quaedam vix conſpici poſſunt. Cum ſanguine ſe repleuerunt, ad magnitudinem extremi digiti accedunt, longitudo maxime conſueta eſt lineae decimalis ſuecicae, latitudo media $\frac{3}{4}$ lineae. Corpus rotundum eſt, paululum ouale, tenue et veluti compreſſum, ſuperius planum, margine extremo circumcirca eleuato, in quibusdam undulato, macula alba in dorſo. Caput exiguum et abdomini, nullo thorace, qui appareat, iunctum. Antennae filiformes $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{2}$ lineae longae, proboſcidi parallelae. Proboſcis filiformis, corneae duritiei, cum parte inferiori corporis vel abdomine angulum valde obtuſum continet. Latitudo proboſcidis et antennarum ſimul vix $\frac{1}{4}$ lineae ſuperat. Antennis idem fere uſus, qui proboſcidis, cum enim inſectum proboſcide cutem animalis perterebrat, antennae applicatae proboſcidi et parallelae ſequuntur. Pedes octo ſunt longitudine lineae vel lineae cum quadrante, ſinguli ex articulis quinque compoſiti, ungulis exiguis ad extrema armati. Odorem ſpirat ingratiſſimum. Animalia haec per ſyluam ambulantibus aut ibi conſidentibus proboſcidem cum capite in cutem inſerunt adeo profunde, ut extrahi vix poſſit, aut ſaltem pars proboſcidis ibi reſtet; unde tumor oritur in loco laeſo, et pus colligitur, multumque temporis ſaepe ad ſanatio-

nationem neceſſarium eſt. Capite et pedibus anterioribus reſectis, reliquum corpus tamen per horae ſpatium et longius vixit, motusque varios exercuit. Corpore vero duriſſimo ſunt, ut ungue comminui vix poſſint. KALMIVS aprilis duodecimo die duo p. 25.
in vas repoſuit, quae ibi uſque ad maii decimum octauum, nullo nutrimento praebito, viuere vidit, et oua innumera edere; quamdiu ſic vixerint, ignorat, abeundum enim ipſi peregre fuit, et cum rediret, mortuos reperiit, paruulosque ex ouulis excluſos etiam mortuos. Remedia varia, quo ab ipſis liberari quis poſſit, commendantur, ſed minus certa. Noſter, tentaculo exiguo, quo ad florum partes examinandas utebatur, prehenſos extraxit. Quod tanta copia adſint, deberi aiunt pecorum gregi, ex regione Maryland in Penſyluaniam adlato, cum quo aduenerint. Olim folia decidua quotannis combuſſerunt incolae, quo et inſecta haec perierunt, ſed cum hoc prohibitum eſt, ne arbuſculis iunioribus noceatur, in immenſum illa multiplicata ſunt, et tum peregrinantibus aut ambulantibus per ſyluas infeſta ſunt, tum pecoribus, quae non niſi in ſyluis paſci poſſunt, campis liberis a ſole combuſtis. Si- p. 30.
mile eſt inſectum hoc quadantenus *Acaro ouino* LINN. Faun. Suec. 1192. facie tamen adhuc ab illo differt. Efficiet vero inſectum hoc, ſi ita porro multiplicetur, ut vel pecora nutrire incolae non poſſint, vel folia decidua comburendo, ſyluas paullatim deſtruere debeant, igitur et officinis ſuis ferrariis exitium inferre. Qua occaſione KALMIVS felicitatem Sueciae depraedicat, ab his inſectis et aliis liberioris.

3) *Lupulum colendi nouam methodum* et experi- p. 32.
mento probatam edit MAGNVS STRIDSBERG in Gymn. Reg. Hernoſ. Lector. Plantat radices lupuli inter ſaxa griſea ſpatoſa, quae ſuecico nomine *Graoſten* appellantur, terra interiecta. Radices lapidi cir-

 cumuol-

cumuoluuntur, calore eius fouentur, humiditate nutriuntur, terra vero ſubiecta ne exſiccetur omnino a lapide defenditur. Ita comparatione cum aliis lupulum plantandi modis inſtituta, huius ingens prae reliquis eſt emolumentum.

p. 38. 4) *Experimenta cum minera,* de qua actum eſt trimeſtri ultimo anni 1751, *continuat* AXEL F. CRONSTEDT. Pertinet ad mineram arſenici rubram, vulgo *Cuprum Nicolai*, *Kupfernickel* appellatam, quam ex puteo Freybergenſi Saxoniae, *Kuhſchacht*, erutam adhibuit. Quaedam ſaltem experimenta adducemus: Specifica huius minerae grauitas ad aquam eſt circiter, ut 8500 ad 1000. Mixta cum metallis haec oſtendit: Aurum diuturno calore fuſorio ſoluit, oriturque inde regulus albus, ſed obſcurior et fragilior. Aquae fortis ope aurum reſtituitur. Argento non commiſcetur. Videtur cum eo coire in regulum planoſphaericum, ſed facile mallei ictu ſeparatur. Semper pluribus experimentis inſtitutis, ambo metalla in uno eodemque plano ſitu reperit, neutro ſuperiorem locum occupante. Cum ſtanno coit in corpus album ſplendens, et ſub tegula (*Muffel*) momento temporis flamma oritur, et ambae materiae ſimul in calcem albam, formae dendriticae effloreſcunt. Cum plumbo tarde coit, oriundo regulo fragili, obſcuro, teſſulis maioribus conſtante (*grobſpeisſig*). Cupro mixta efficit metallum album, durum et fragile, quod in aere facile aeruginem contrahit. Ferrum maxime amat; cum mercurio nullo modo amalgamari potuit; arſenicum difficulter ab hac minera ſeparatur, cobaltum etiam vehementer attrahitur, antimonio crudo facile miſcetur, nata maſſa fragili, alba, in loco, ubi diffringitur, veluti ſquamoſa. Cum biſmutho efficit compoſitum fragile, fractu ſquamoſum; zinco non

miſcetur,

miſcetur, ſed repellit illud et vehementiſſime eo momento, quo zincum flammam concipit.

5) *Problema ad artem muniendi* pertinens ſoluit EPHR. OTTO RVNNEBERG. Data ſcilicet linea fortalitii poſitione et longitudine, datoque ſuggeſtu tormentario (*batterie*), unde ictibus in longitudinem eius oblique directis (*a Ricochet*) peti poſſit, reperire altitudinem valli transuerſi, (*traverſe*) quod lineam ab his ictibus tueatur. p. 45.

6) *Experimenta ad ſal culinare eiusque acidum* pertinentia continuat G. BRANDT. Exorſus enim illa eſt trimeſtri ultimo anni 1753. Primum, quae in acido ſalis ſoluuntur, enarrat. Zincum ſoluitur et floccos exhibet primo fluctuantes, deinde ad fundum decidentes, qui ſiccati ſulphur eſſe reperiuntur, ex phlogiſto zinci cum acido ſalis natum. Arſenicum calore ebullitionis ſoluitur, cum refrigeſcit ſolutio, maior pars forma ſalis cryſtallini decidit, in aqua ſolubilis; non tamen omne decidit, quod praecipitatio, lixiuio alcalino inſtituta, oſtendit. Arſenico ſuper igne ſoluto, retortae indito, ut acidum ſalis inde deſtillet, arſenici ſaltem exigua tum demum, cum venter retortae et colli dimidium rubet, in collum retortae adſcendit, maior pars in fundo remanet. Reguli antimonii parum in acido ſalis ebulliente ſoluitur, ſiue forma metallica adſit, ſiue ope acidi vitriolici, aut alio modo calcinatus, ſublimatione tamen in butyri conſiſtentiam coit. Cobalti, quo ad pannos colorandos utuntur, regulus multo facilius in acido ſalis ſoluitur. Deſtillatione aſcendit liquor flauus, ſi calor ſub finem ad ignitionem uſque augeatur: liquor hic collo adhaeret, et ibi coagulatur. p. 53.

His expoſitis, quoniam nitrum ſpiritui ſalis commixtum aquam regis praebet, effectus aquae regiae in varia mineralia enumerat, in primis quae eius p. 56.

 ope

ope ita volatilia redduntur, ut deſtillatione in vas recipiens transeant. Sale ammoniaco in ſpiritu nitri ſoluto, et ſolutione per filtrum ab impuritate omni purgata, habetur aqua regia flaua, aurum deſtillatione ſecum ducens. Id hoc argumento probatur: auro puriſſimo caratorum 24 in hac aqua regis ſoluto, ut nec aurum nondum ſolutum, nec alia materia alba ſuperſtes appareat, aqua retortae ope, calore exiguo inde ſeparatur, donec reſiduum in retorta ſit ſanguinis modo rubens et olei conſiſtentia. Eximitur vas et in locum frigidum reponitur, coeunte ſolutione in maſſam cerae vel butyri mollitie gaudentem. Addatur ei noua aqua regis eiusdem generis, et arenae calidae imponatur, ut rurſus ſoluatur et calore mediocri deſtillet. Hic labor pluribus vicibus reiteretur, ita, ut vi menſtrui pluribus eius modi ſolutionibus et abſtractionibus concentrata, tandem calor augetur, et tunc non ſaltem guttae crocei coloris deſtillant, ſed ſal etiam ſanguinei coloris adſcendit, quod partim in cryſtallis longis et gracilibus in collo et tecto retortae ſublimatur, et leuiter adhaereſcit, partim, ac ſi color ſanguineus vitro inductus eſſet, ei iungitur. Cryſtalli aureae tam parum adhaerent, ut vitro leuiter commoto decidant; ſi vero vitrum non commoueatur, ante quam omnia refriguerint, absque ullo damno decidunt, tunc enim reliquae ſolutioni auri, quae refrigerata in fundo retortae iacet, non commiſcentur, ſed facile emitti ex retorta poſſunt in vas recipiens, aucturi aurum, quod in liquore flauo, qui iam in vas transiit, continetur. Hac operatione ſaepius repetita, addendo ſemper nouam aquam regis et illam abſtrahendo, ſolutio in retorta ſemper minuitur, eiusque loco augetur quantitas materiae cuiusdam albae, pulueri ſimilis, donec aurum omne tandem deſtillatione in recipiens transierit, ita volatile factum. Albus ille puluis, a menſtruo eſſe nequit, ſiquidem aqua regis talis ſola

nullum puluerem poſt deſtillationem relinquit. Simili modo Noſter alia metalla metallorumque mixturas, in primis quo modo volatilia reddi poſſint, examinat.

7) *Color violaceus quo modo ex lichene quodam obtineatur*, deſcribit SACHARIAS WESTBECK. Eſt ille Lichen LINN. Flor. Suec. 969. facile a lapidibus, quibus adcreſcit, humida tempeſtate ſeparandus. Tractatur cum urina, ut alii lichenes, dum ad tincturam adhibentur. Colorem praebet bonum et durabilem. p. 69.

8) *Situm geographicum* urbis *Hernoſand* obſeruationibus aſtronomicis definit NIC. SCHENMARK. p. 70.

9) *Obſeruationem de uſu ſolani, cuius radices tuberoſae eſculentae ſunt*, (*Potatoes*) edit DETLOF HEIJKE. Res eo redit, ut torreantur tubera haec, comminuantur, maſſa haec deinde aquae immittatur, et ex ea hoc modo farina illa ſubtilior exprimatur, pluribus uſibus apta; maſſa expreſſa in vaſe ferreo in furno piſtoris igne lento torreatur, et in granula comminuatur, eidem uſui apta, cui granula ex *Sego* facta in culina adhibentur *. p. 77.

10) *Ex actis academiae* eduntur haec: p. 78.

1) IACOB. HVLTSTEDT aliquot annos Gadibus commoratus, mirabiles lapidis, quem *Piedra de la ſerpente* vocant, in ſanandis vulneribus venenatis effectus audiuiſſe ſe et ipſum ſe vidiſſe teſtatus eſt. Lapis vulneri applicatur, ſanguine prius aciculae punctura elicito, ita vulneri ſuctione veluti adhaeret et venenum extrahit; lacte ablutus denuo adhiberi poteſt. Fama eſt in capite ſerpentum Indiae Orientalis reperiri, ſed veriſimilius alii adſeruerunt, eſſe

 cornu

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 75.

cornu cerui leuiter ambuſtum. Suadet academia, ut tentamina huius virtutis in cornu cerui et aliis animantium cornubus inſtituantur.

p. 79. 2) *Remedium domeſticum contra febrem infantum et tertianam* edit CARL. FR. RENSTROEM; Vere anni 1753 uſu probatum Holmiae. Quantum tribus digitis capi poteſt tabaci ſicci conciſi, miſcetur duplae quantitati panis acidi comminuti, hinc addito aceto vini q. ſ. maſſa fit, utrique brachio imponenda et firmiter adliganda. Ita horas viginti quatuor relinquitur, donec veſiculae quaedam ortae fuerint, quae non aperiuntur, ſed exſpectatur, donec ſponte exſiccentur.

p. 81. Trimeſtre ſecundum:

p. 94. 1) NEWTONI *rationes aeſtus marini* breuiter enarrat PETR. VARGENTIN.

2) *De reſinae ex abiete praeparatione* agit ALEX. FUNK. Abies reſinae obtinendae aptiſſima eſt inter arbores coniferas regionum borealium. Pinus mi-
p. 96. nori copia praebet, aptior pici liquidae. Primum ergo de vulnerandis arboribus agit. Parcendum eſt iunioribus, quarum diameter dimidium ulnae nondum excedit. Optimum tempus arboribus prima vice vulnerandis eſt, cum ſuccus in eas adſcendit, quoniam tunc vulnus facile rurſus obducitur. Figuram cultri, vulnerando arbori et reſinae colligendae aptam addit, et proceſſum deſcribit. Quamdiu vulnerationem hanc perdurent arbores, quae quotannis aut ſecundo quouis anno repetitur, non ſatis conſtat. Periti aiunt ſexaginta aut ſeptuaginta annos perferre; ſed cum inter ea iuniores arbores accreſcant, non opus eſt arbore ad extremum vitae ſuae terminum ita uti. Reliqua ad reſinam coquendam et fuliginem

reſinoſam

reſinoſam (*Kienrus*) excipiendam pertinent, quae omnia perſpicue deſcribit et figuris illuſtrat.

3) *Parochiam* Kracklinge *in* Nericia ſecundum leges, in Actis Academiae anni 1741 datas, deſcribit G. HEDIN, P. L. p. 109.

4) Ex MARTINI KAEHLERI, M. D. ad Archiatrum Ill. BAECKIVM epiſtola, Marſiliae maii 18. an. 1754. data, deſcribitur *animal in lapidibus ad litus maris habitans*, quod ob tentacula ori circumpoſita ad polypos refert KAEHLERVS, etſi tum corporis reliqua figura, tum tentaculis ramoſis poſt caput poſitis a polypis nuper detectis differat. Dum extrahitur ex lapide, facile in partes rumpitur, et viſus ſibi eſt Noſter in partibus diſruptis vegiſtia tentaculorum nondum explicatorum conſpicere. Extra lapidem non diu viuit, unde experiri non potuit, an diſciſſione multiplicetur. p. 143.

5) *Morbos duos memorabiles* deſcribit IO. WESTMAN, IACOBSON, Adſeſſor et Medicus prouincialis. Primus caſus eſt viri annorum ſexaginta pingui habitu corporis et vegeto. Hic cum circa initium anni ab exiguo itinere rediret, ſuccuſſus veluti frigoris per omne corpus ſenſit, deinde exanthemata tria in facie effloruerunt, duo in dextra parte faciei, unum in ſiniſtra. Poſtridie die lunae intumuit facies, illiniuit exanthematibus ſputum ex ore ieiuno deſumtum, ſed magis magisque illa creuerunt, donec die mercurii Cl. WESTMANNVS appellatus, faciem omnem tumidam reperit et ipſum collum, ut induſium coniungere circa collum non poſſet. Exanthema dextrum ſuperius, monetae, quam a Carolo Rege Sueciae vocant, aequale, durum erat, planum et totum nigrum, inferius ei ſimile, ſed minus; ſiniſtrum dextro ſuperiori aequale et ſimile. p. 147.

Duos

Duos dies a viſendo aegro impeditus, cum die ſaturni rediret, ſebrem ſatis vehementem reperit, laſſitudinem et rubedinem quandam circa margines exanthematum in facie, tumor etiam creuerat. Die dominica mane oculi coaluerant tumore, labia ita intumuerant, ut vix liquori recipiendo aperiri poſſent, facies vero omnis adeo deformata erat, ut ne ſuis quidem noſceretur. Febris et ſitis ingens, genua et pedes denſe maculis exiguis rubris ſparſa, quae tribus diebus euaneſcebant; tonſillae durae, tumentes; borborygmi in inteſtinis audiebantur. Hi ceſſabant drachma corticis chinae per vices ſumta; febris nitroſis et ſubacidis ſedabatur; tumor die lunae, etſi inſenſibiliter, decreſcere tamen incipiebat. Die martis decrementum magis erat conſpicuum, et deinde indies magis magisque patebat. Loca illa dura et nigra chirurgus vulnerabat nullo aegroti ſenſu. Rubedo utrinque faciem obducebat uſque ad palpebram inferiorem, rubedo autem circa margines, exteriora verſus valde ampliabatur, accedentibus exanthematibus fuluis. Maxilla fere integra vulneribus tegebatur, nigrum vero ſemper illud ſpatium occupabat, quod occupare ſub initium viſum fuerat. Vulnera ſimplici emplaſtro cerato tegebantur, et linteis diſcerptis unguento baſilico tinctis. Die ſaturni huius ſeptimanae ſignum ſeparationis apparebat, rubedo vero, quae circumdabat nigrum dextri lateris ſub oculo, iam diffiſſa erat, marginem exiguum, anguſtum, pure plenum oſtendens. Inter ea febris, quae dies aliquot ſatis parum virium habuerat, increſcebat, et aegroti facies, frons, collum, manus maculis magnis nigris notabantur. Hae maculae intumeſcebant et coibant, ut partes hae ab illis plerumque tegerentur. Radices unguium vel extrema digitorum rubebant, intumeſcebant et dolebant. Hoc dies aliquot durabat, paullatim ceſſabat, cutis vero ſquamarum modo decedebat. Nigrum quotidie magis magisque ſepara-

ſeparabatur, et vulnera tandem diebus ſeptem ſanabantur. Aegrotus iam bene ſe habet, paucisque cicatricibus notatur.

Alter caſus eſt feminae aliquot annorum ſupra triginta, cui clitoris in figuram et magnitudinem pyri mediocris excreuerat, ſaccum mollem, materie plenum formans, et pedunculo pennae craſſitie pendentem; prope latus ſiniſtrum concurſus nympharum. Pedunculo parum moto, dolorem creabat, reliquum pyro ſimile, nullo doloris ſenſu premi et moueri poterat. In hanc magnitudinem tribus annis, inde ab vuulae magnitudine prima excreuerat, ceterum bene valebat, niſi quod dum ingrediebatur, incommodus ipſi hic tumor erat. Suaſit Noſter, ut aliquot vicibus quotidie lacti calido immergeret, deinde charta gryſea detergeret. Quatuordecim diebus ita exactis apertura exigua conſpiciebatur, ex qua materies viſcida prominebat. Iniecto unguento digeſtiuo, cui ſaponis veneti exiguum, ſpiritus vini et mellis plurimum admiſcebantur, foramen linteo carpto claudebatur, ſuperpoſito emplaſtro cerato; ita cum aegrota ad alterum diem decubuiſſet, remoto emplaſtro, ſequebatur obturamentum linteum, ſimulque viſcida materies tenacitate et colore viſco ſimilis. Haec fili ad modum extrahebatur, duo fere vaſcula, unde potus Thee hauriri ſolet, replens. Tribus vicibus iniectio haec et extractio peractae ſunt, quarto die nihil amplius materiae ſequebatur. Continuata tamen eſt iniectio, donec imminueretur ſaccus nihilque amplius exiret. Iam ſupereſt ſtilus cum exiguo appendice, nihil incommodi creans, et ut videtur, quotidie decreſcens. p. 149.

6) *De pediculo pulſatorio*, qui ſuperſtitioſo nomine *horologium mortis* vocatur, quaedam ſibi viſa edit DANIEL ROLANDER. Maxillas impingere in fruſta lignea exigua, e parietibus prominentia, vidit, p. 152.

dit, et particulas abraſas in maxillis reperit. Hoc igitur modo ſonum edunt. Eligunt vero ligna, quae pro figurae, longitudinis et aliis conditionibus ſonitum optimum edunt, facile ab iis recedentes, immo ſponte relinquentes, quorum ſonus obtuſus et debilis eſt; contra quae clarum et fortem ſonitum edunt, amantes. In omnibus animalculis, quae pulſare vidit, et poſtea diſſecuit, oua reperit; vidit alia ſimilia, minora, quae forte mares fuerunt, pulſare illa non vidit, nec cum pulſantibus coire. Suſpicatur pulſatione feminas efficere, ut oua edantur, ſed edere non vidit. Pulſare vidit ultima vice, anno quodam octobris 16. Initio aeſtatis alata animalia his ſimilia vidit, ut forte quaedam alas accipiant. His quaedam a Cl. DERHAM tradita * vel confirmantur vel emendantur.

p. 156. 7) *Ex actis academiae* haec edunt:

1) Phaenomenon ad ictum *Leidenſem* pertinens, vehementius, quod qui fortuito id expertus eſt, mirabundus deſcribit.

p. 157. 2) Cl. GISLERI relatio, plures morbos electricitate feliciter ſe ſuſtuliſſe, in primis adflatu electrico, viſum reſtituiſſe multis, qui eo plures annos a variolis caruerant. Promittit GISLERVS hiſtoriam eius, quod electricitas in morbis tollendis efficit, uberiorem.

p. 158. 3) *Solanum tuberoſum*, (Potatoes) quo modo facile plantetur, Cl. STIERNHIELM docet. Sulcus in agro ducitur, cui inſeruntur tubera, ſtatim ſulco alio ad latus huius ducto, terra ex nouo hoc ſulco eiecta teguntur. Ita qua velocitate ſulci ducuntur, eadem ſatio perficitur.

4) Char-

* conf. Philoſ. Transact. abridged by BENI. MOTTE Tom. II. Part. III. pag. 390. et Philoſ. Transact. Vol. XXII. No. 271. pag. 832 ſeqq. atque Vol. XXIV. No. 291. fig. 4 et 5. pag. 1586. ſeqq.

4) Chartam, quae difficulter ignem concipiat, ſo- p. 159.
lutione ſcilicet aluminis imbutam, conficere quidam docet, variis uſibus, puta pulueri pyrio ſeruando, aptam.

Trimeſtre tertium:

1) *Vſum catalogorum annuorum*, qui recenſitant natos, defunctos, et matrimonio iunctos, oſtendit PETR. VARGENTIN. In primis hic in iis ſubſiſtit, quae ad incrementum numeri hominum pertinent. Antiquarii Sueciae mira de fecunditate gentis protulere. Noſter oſtendit, quatuor natos, interdum etiam tres circiter in ſingula matrimonia Suecica computari poſſe, quorum cum dimidia pars ante annos pubertatis moriatur, gentem adeo augeri poſſe minus probabile eſt.

2) Cll. STROEMERI et FERNERI *obſeruationes* p. 173.
meteorologicae anni 1751. in compendio eduntur.

3) *De plantis, quae alpium Suecicarum indigenae,* p. 182.
magno rei oeconomicae et medicae emolumento, *fieri poſſint*, cogitata ſua edit Cl. LINNAEVS. Reperit in alpibus Suecicis plantas ab iis, quas in planitie collegerat, omnino diuerſas, ſed in alpibus helueticis, auſtriacis, pyrenaicis cet. aeque reperiundas. Cum igitur conſtet, quae alicubi in montibus creſcunt plantae, easdem etiam in aliis montibus duraturas, ſi eo transferantur, plantas montanas ex auctoribus collegit, ſed hunc catalogum alii tempori ſeruat; Iam quasdam enumerat, quae ſeri in alpibus lapponicis cum fructu poſſint. Sunt illae: Pinus p. 184.
(picea) foliis ſolitariis emarginatis Spec. Plant. pag. 1001. Pinus (larix) foliis faſciculatis obtuſis. ibid. Pinus (Cembra) foliis quinis laeuibus. Iter. Scan. p. 32. Plantae etiam: Angelica iam creſcit in alpibus

ſuecicis

ſuecicis et adfertur a Dallandis collecta, ubi marcida eſt. Colligenda eſt primo anno aetatis ſuae, antequam hiems ingruat, vel ſtatim ſub initium veris, cum nix defluit. Secundo anno caulem protrudit et ſemina fert, poſt emoritur. *Radix Rhodia* copioſe creſcit in alpibus noruegicis. Inde in regiones alias defertur, et ex his in Sueciam repetitur, ut mirum non ſit, haberi viribus omnibus iam priuatam. *Gentiana rubra* in multis locis alpium lapponicarum verſus Norwegiam creſcit. *Spica celtica* indigena eſt helueticarum. *Crocus* alpina planta eſt. Has plantas tentaminis loco primum in alpibus lapponicis ſeri ſuadet, et academiae placuit ſemina procurare et efficere, ut ſerantur.

p. 189. 4) *Quae de natura plumbi* Suecici, tum alius, comperit, enarrat Cl. BENED. QVIST. Ea recenſere nimis longum eſſet. Generatim hoc inde colligit: ſi non omne plumbum ſcriptorium, partem certe eius, mineram eſſe ex ferro, cupro et ſtanno mixtam, quae materiae ſulphure ſolutae ſint, terrae metallicae magis minusue fuſibili adhaerente.

p. 210. 5) *Simiam* ex cercopithecorum genere (*Meerkatze*) *deſcribit* Cl. LINNAEVS, quam ob maculam albam in fronte, lunam falcatam repraeſentantem, *Dianam* appellat, figuram eius addit et mores enarrat, viua enim in horto Vpſalienſi nutritur.

p. 217. 6) *Experimenta de moris, ex ſeminibus educandis*, edit Cl. ERIC. GVSTAV. LIDBECK, Praefect. Hort. bot. et Adi. Fac. Med. Acad. Londin. Sconor. Feliciter ipſi negotium in Sconia ſucceſſit, quam regionem aptiſſimam eſſe, quae moros et adeo ſericum Sueciae ſubminiſtret, oſtendit. Moros e ſeminibus educari mauult, quam ex ſtolonibus, et reliqua ad culturam harum arborum pertinentia explicat.

7) *Ex*

7) *Ex actis academiae* haec eduntur:

1) *Conſilium* quidam exhibuit, *qua ratione agri, partitione in ſegmenta plura, quam adhuc in uſu eſt, facta, coli melius poſſint.* Id ſecundum oeconomiam huc uſque in Suecia uſitatam examinatur. p. 229.

2) Quae Cl. KALMIVS in actis academiae anni 1751 docuit *de ſaccharo*, in america boreali ex aceris ſpecie coqui ſolito, occaſionem dederunt Cl. DALMANNO, ut idem in Suecicis aceribus tentaret. Obtinuit etiam tum ſyrupum, tum ſaccharum durum, tum puluerulentum. Videtur autem academia de utilitate methodi huius ſaccharum obtinendi dubitare; ſuadetque, ut ad minimum nemini ſacchari coquendi cauſa vulnerare arbores liceat, niſi cuiusuis arboris vulneratae loco aliquot iuniores plantet. Saccharum dulciſſimum eſt, et proprio ſapore non ingrato gaudet. p. 232.

3) Laudat academia beneuolentiam ſocietatis ſuecicae, commerciorum in Indiam orientalem inſtituendorum cauſa initae, qua factum eſt, ut de cimeliis academiae rarioribus Sinenſibus ditandis, qui a ſocietate eo mittuntur, fere certent. Praeter ea relationes quasdam de rebus Sinenſibus Suecorum in gratiam, qui libros exterorum linguis ſcriptos legere non poſſunt, edituram ſe academia pollicetur. p. 233.

4) P. N. CHRISTIERNINVS *de hydrope remedio quodam domeſtico ſanato* haec refert: Ruſticus aetatis 53. annorum, aeſtate anni 1753 phthiſi laborabat, quae in icterum abibat. Ab hoc infuſo cardui benedicti, theae ad modum ſumto, liberabatur, cum ante nullo effectu infuſum glycirhizae et aliorum vegetabilium flauorum bibiſſet. Cum vero infuſum cardui benedicti biberet, tumere pedes coeperunt, qui tumor deinde auctus eſt, ipſumque corpus occupauit, adeo, ut ruptum iri cutem videretur, nulliusque motus aeger capax eſſet. Acceſſere dolor ingens, et ſomni priuatio, ſitis inexſtinguibilis, ut, contra ac prae- p. 234.

praecipiebatur plurimum potando, malum augeret, ſitim non ſedaret, nihil enim urina rurſus excernebat, omnesque pro deſperato eum haberent. Iam, quia infuſum maluae ouibus hydropicis prodeſt, ſumebantur florum maluae nondum omnino explicatorum pugilli duo, et in menſura (*Stop*) cereuiſiae coquebantur in vaſe tecto. Floribus filtri ope ſeparatis, decoctum aegroto bibendum praebebatur, quantum eius volebat. Ita ſitis ſedabatur, tumor nihil decreſcebat. Vt igitur ab aqua liberaretur, capiebatur foliorum pini pinguiſſimorum, quae tertia die feſti natiuitatis Chriſti haberi poterant, libra et in menſura aquae vaſe clauſo tribus horis coquebantur. Folia rurſus filtro ſeparabantur, aeger decocti quouis mane bibebat menſurae partem octauam, donec urina magis magisque expelleretur. Ita aeger diebus 14 detumeſcebat, naturalem et conſuetum corporis habitum rurſus conſecutus. Sub finem ianuarii, vel diebus 14 poſt elapſis, e lecto ſurgebat, deinde negotia ſua aeque bene valens, ac unquam ante, pergit, niſi quod ſub initium paululum friguit.

p. 235. 5) Perill. L. B. PALMSTIERNA, Regni Senator, Academiae lapidem lebetum oſtendit, (WALLER. Mineral. Spec. 133) prope montem Ede in Gothiae Orientalis (*Oſtgothland*) parochia Helleſtad repeiundum.

p. 236. 6) Exhibuit quidam academiae cogitata de diſcrimine, quod in frugibus, ex diuerſis terrae, fimi cet. conditionibus naſcitur, experimentis definiendo. Perſpicuum eſt, effectum id iri, ſi duo agri ita tractentur, ut reliqua omnia ſimilia ſint, unica ſola re, ſiue fimo, ſiue frumenti, quod ſeritur, natura, ſiue culturae quadam parte, diſcrimen intercedat. Iam diſcrimini huic menſurando machinas ſe excogitaſſe ſcripſit, qui haec academiae obtulit, quas ut ille aliique in uſum adhibeant, repertaque ſua academiae tradant, rogantur.

7) Alius

7) Alius monuit in naufragio ab interitu ſeruari p. 238.
quem poſſe, cylindris pluribus ex ſubere corpori adnexis.

Trimeſtre quartum: p. 241.

1) *De uſu catalogorum eorum, qui nati ſunt et diem ſuum obierunt*, rurſus diſſerit Cl. VARGENTIN, in primis, quae in Suecia hac de re experientia oſtendit, accuratius docet, nixus tabellis ex pluribus Sueciae regionibus collectis. In aliis regionibus incolarum numerus ad numerum natorum eſt ut 31 : 1, in aliis haec ratio 26 : 1, in aliis mediam magnitudinem ſeruat. A maiore minoreue fecunditate diſcrimen hoc naſci non poteſt. Eaedem enim tabulae docent, per omnem Sueciam, coniugio cuiusuis reſpondere circiter liberos quatuor, ſed coniugiorum numerus ad populi multitudinem alicubi eſt in ratione 126 : 1, alibi in ratione 108 : 1, ut diſcrimen hoc a cauſis politicis et oeconomicis coniugiorum numerum minuentibus pendeat, quas inueſtigare et tollere eorum eſt, qui reipublicae praeſunt. Pueros plures, quam puellas naſci forte propter ea ſuſpicatur, quoniam pueri plures, quam puellae in annis infantiae intereant. Nam 15 aut 16 aetatis anno aequales circiter numeros eſſe adoleſcentum et virginum.

2) *Vegetationem mercurii, nullo alio metallo admixto*, deſcribit Cl. WALLERIVS. Mercurii puri, p. 254.
quantum libet, ſoluatur in aqua forti q. ſ. deinde in p. 258.
vaſe euaporatorio reponatur in balneum arenae, donec magna mercurii pars, calcis albae ad modum fundum petierit. Vitrum caute eximatur et adiiciatur mercurius purus, qui ſtatim fundum petet et locum calce illa mercurii alba inferiorem occupabit. Succutiatur vas et verſus varias partes inclinetur, ut calx alba in aliis locis magis ſuperiora verſus, in aliis

magis verſus inferiora adhaereat, fundumque vitri inaequaliter tegat. Tandem contegatur vitrum charta, quae paululum alligari poteſt, et menſes duos aut plures reponatur in locum frigidum, ut euaporatio paulatim contingat, ſic reperientur tandem vegetationes mercurii, nullo alio metallo admixto, interdum arboribus viridibus aeque ac albis, interdum albis folis, ſingulae vero in vertice globulo mercurii puri ornatae ſunt. Virides, maximae ſunt, ſaepe altitudinem digiti dimidii attingunt, craſſitie vero ſtramen mediocre aequant: Creſcunt, ubi calx in cumulum congeſta eſt, aqua forti adhuc circa cumulum reſidua. Obducuntur veluti tenui membrana mercuriali, ſplendente, optime microſcopio conſpicua, quaedam veluti ventricoſae ſunt, aliae nodoſae, ut equiſetum. Craſſiores cauae ſunt, cauum habent mercurio puro repletum, quod etiam per verticem micat. Nodi ſinguli, caua ſingula diſtinguunt. Minoribus arboribus nulla talia caua ſunt. Frequentiores ſunt arbores albae, ſed breuiores et graciliores, neque reperit Noſter, cauas eſſe, licet ut alterae guttulam mercurialem in vertice gerant. Poſtquam in vapores abiit aqua fortis omnis, ſplendet calx mercurii in ſuperficie ſalis ad modum; ſicque calx tecta eſt ſale mercuriali cryſtalliſato, ex mercurio et ſpiritu nitri conſtante. Huic ſali arbores firmiter adhaerent, ut inuerſo vitro non decidant, neque guttulae mercuriales ſatis graues decidunt: Sed pauxilla quantitate aquae calidae radicibus adfuſa concidunt arbores. Omnes arbores hae in aqua calida ſoluuntur, tardius tamen ipſo ſale mercurii. Inter has ſolutiones coagulatur quidpiam arboris ipſius ſalis in materiam griſeo viridem, quae in aqua calida diffluit, uti in eadem aqua eſt aliquid adſtringentis, v. g. herba theae. Sunt ergo arbores hae naturae ſalinae et ex ſolo mer-
p. 261. curio et aqua forti conſtant. Subiicit WALLERIVS cogitata ſua de vegetationum chymicarum omnium

origine,

origine, quae eo redeunt, naſci a particulis, ignis vi propellente, aut menſtrui diſſoluente, eleuatis, deinde in ſitu illo, quem fortuito tum his viribus, tum attractione nactae erant, frigore ſuperueniente fixis.

3) *Aedificium frumenti ariſtis aeris ope ſiccandis,* p. 265. *granis deinde excutiendis aptum*, deſcribit MAGNVS STRIDBERG.

4) *Caſus quosdam chirurgicos* enarrat Cl. ACREL. p. 271. Primus eſt ſingularis et huc uſque non deſcripti morbi extremum digiti occupantis, nullo ſigno exteriore edito, et cum plures annos, magno aegroti dolore perdurauit, os articuli in carnem, pinguedinem aut pituitam reſoluentis. Eiusmodi aegros quatuor vidit Noſter. Vnus, perferens hunc dolorem, mortuus eſt, ex alio tamen morbo. Reliquis auxilium adlatum eſt articulo reſecto. Omnibus eadem contigerunt, ut ſufficiat Noſtro, recenſere, quae de uno eorum, ſingulari induſtria Ill. ROSENIVS Archiater expoſuit. Ea huc redeunt: Aeſtate et autumno anni 1746 aeger veluti puncturas quasdam debiles, minuta 1, 2, 3 durantes, in digito auriculari ſiniſtro ſentiebat, circa radicem unguis, in parte exteriore digiti et unguis. Earum vis paulatim increſcebat, ſeptimanae tamen 2, 3, 4 praeteriebant, ut nihil ſentiret, neque adeo de auxilio quaerendo cogitaret. Igitur cum malum anno 1747 ſatis increuiſſet, nec tempus primae originis indicare, nec de cauſis ſuſpicari quidpiam potuit. Sub finem huius anni et ſequentis initium uſus eſt emplaſtro de ranis cum mercurio, unde natus ardor ingens digiti, in manum adſcendens, deſinens, cum elapſis 24 horis emplaſtrum tolleretur. Saepius tamen illud denuo impoſuit, ſemper ardore illo coactus idem tollere ante, quam 12 horas tulerat. Brachium dolebat a decubitu noctur-

no in latere ſiniſtro; die nihil ſentiebat. Ita ab anno 1749 usque ad dimidium anni 1750, elapſum increuit dolor, velocius rediit maiorique vi et diutius durans, ita, ut vere 1750 duos vel tres dies continuos illum ſentiret. Adhibita theriaca veneta, manuque ſpiritui vini fortiori, ſpiritui camphorae, cet. immerſa, quieuit dolor, ſed eadem vi rediit. Aeſtate anni 1750 Holmiae medicos conſuluit, emplaſtra etiam quaedam adhibuit, quae omnia dolorem auxerunt. Balſamo de Mecca uſus eſt, nullo adlato auxilio. Hieme anni 1751. fugitiuos dolores ſenſit in brachio ſiniſtro, maxime in parte interiore, inprimis tempeſtate pluuia inſtante, et brachio veſtibus tenuioribus tecto. Digitus autem tangi non tulit, ut magnum dolorem et diuturnum ſenſerit, cum eum forte in obſtaculum aliquod impegiſſet. Calor autem perpetuus et diuturnus inſigni lenimento ipſi fuit. Aeſtate 1751. fontem ſoterium Locenſem adhibuit, limo fontis diligenter impoſito, 14 diebus, ut uſus eius loci eſt, nihil ultro mutationis ſenſit. Hieme 1752 magis increuit dolor in digitis et brachio, quam ante, accedentibus interdum doloribus lenibus fugitiuis in latere ſub brachio. Praeſcribebatur aegro decoctum, quod Ill. VAN SVIETEN in Not. ad BOERHAAVIVM aduerſus oſſium morbos commendaſſe dicebatur, quo 8 vel 9 ſeptimanas, nullo auxilio percepto, uſus eſt. Deinde acidulas Fahlunenſes ſeptimanis 5 bibit, ſimul duobus menſibus emplaſtrum LVTHENI in brachio et latere geſtauit. Aeſtate ſequente multo melius ſe habuit, digitus tamen tangi non magis tulit. In exteriore ſuperficie digiti ne minimum quidem morbi ſignum comparuit, niſi liuor quidam ſub ungue, cum emplaſtra imponere inciperet. Digitum etiam curuari aut imminui non adparuit, cutis vero in primis in parte digiti interiore corrugata erat, a calore; nam digitus ne impingeret in quidpiam, palmae imponebatur, manu, manica aut veſtibus tecta. Septem-

Septembri, electricitate uſus eſt; primum ſcin- p. 277.
tillis elicitis ex toto brachio, et moderate ex dimidio digiti aegri. Nocte bene valuit, ut aliquot ſeptimanis ante. Poſtea electricitas directa eſt in primis in neruum ad digitum pertinentem, ſcilicet in diuiſionem ſecundam nerui quarti axillaris, hocque effectum eſt, ut preſſionem digiti ſatis fortem pati potuerit, dolor in brachio fere omni ceſſauerit. Ita coeptum eſt bene ſperari de remedio electricitatis. Sed continuata electricitate dolores denuo ſenſit. Igitur ceſſatum eſt ab electricitate; lenimentum attulit balneum vaporoſum, ſed malum omne non domuit. Tandem ergo maio menſe 1753. Cl. SCHVTZE- p. 278.
RVS, auxilium praebente Cl. ACRELO, amputationem peregit in articulo ſecundo ſiue medio, inde ſtatim conſuetus dolor imminutus eſt, debilior vero quidam ſenſus remanſit, qui paulatim coeunte vulnere ſubſedit. In axilla dolor diutiſſime durauit et fere in ſeptimanam quartam. Quinta vero ſeptimana ceſſauit dolor omnis et exigua ſolum apertura vulneris remanſit. Cute tamen vulnus demum poſt aliquot menſes omnino obductum eſt, cum inter ea aeger aliquoties lapide infernali eſſet uſus. In parte digiti reſecta haec obſeruata ſunt: Vnguis margines circum circa cuti firmiter adhaeſere, inferior autem pars libera fuit, etſi id antea obſeruari haud potuerit. In reliqua cute, pinguedine et tendinibus nihil praeternaturalis erat; ipſe vero articulus oſſeus ſiue phalanx ultima in parte ſuprema colliquata erat, et in pinguedinem mutata, a qua replebatur cauitas iam conſpicua. Pinguedo tunicae adipoſae plane ſimilis erat.

Reliquos caſus breuius recenſet Cl. ACREL. Fe- p. 279.
mina annoſa, nouem annis perpetuum dolorem in articulo anteriore indicis dextri ſenſerat. Duobus annis ultimis, intumeſcebat extremum digiti, ſimul oculo et luci diurnae aut candelae interpoſitum fere

pellucebat. Amputabatur articulus, dolor omnis octo ſeptimanis poſt, abſoluta ſanatione omni ceſſabat. Extremum oſſis totum, lamina tenui ad articulum proximum excepta, reſolutum erat in gluten viſcidum craſſum, clarum, colore et conſiſtentia lentis cryſtallinae oculi. Alia femina annis aliquot aetatem annorum triginta ſupergreſſa, ſeptem annis, dolorem, qualis caſu primo deſcriptus eſt, in extremo pollicis dextri pertulerat, fruſtra tentatis remediis notis fere omnibus. Pollicis extremum ſimile erat digito caſus primi, nullo ardore, tumore aut rubedine. Extremum poſterius unguis tamen altius ſolito attollebatur, ut unguis verſus anteriora inclinaretur. Ablato extremo in articulo primo, doloris ceſſatio et ſanatio habuerunt ſe, ut in caſu primo. Vnguis ubique adhaerebat. Baſis oſſis denudata, in parte inferiore adroſa conſpiciebatur, et paululum exeſa, craſſitie dupla naturalis. Media pars (*diaphyſis*) tenuis erat et plana, in parte ſuperiore habens foueam glabram, ortam a glomere pinguedinis, glandula duriore inter extremum poſterius unguis et medium oſſis ſedente, qui os compreſſerat et unguem verſus ſuperiora urſerat.

p. 280. Agit porro Noſter *de oſſibus quibusdam carioſis inſanabilibus.* Caſus hos eo fine recenſet, ut tueatur chirurgos amputationem ſuſcipientes, qua ſola effici poteſt, ut ſeruetur aeger, et tamen utilis adhuc quodam modo ſibi et aliis eſſe poſſit. Igitur oſſa talia morboſa quaedam delineari curauit, ad latus poſitis figuris eorum, ſi ſana fuiſſent, ut pateat aliud remedium praeter amputationem non fuiſſe.

p. 282. 5) *De terris et lapidibus ferro fetis* commentatur SVEN RINMANN. Color ferrugineus aut alius quiuis minerarum ferri indicium parum tutum eſt, cum lapides vel terrae coloribus, qui pro ferri indicibus habentur, inſigniantur, parum tamen vel etiam plane

ne nihil ferri contineant. Vt igitur hac in parte quidpiam ad perficiendam mineralogiam conferat RINMANNVS, mineras pauperiores ferri quasdam examinat, quas mauult *Eiſenſteine* appellari, etſi ſciat hoc nomine a metallicolis germanis mineras ditiores inſigniri. Sunt autem hi lapides ferro feti, aut terrae metallo praegnantes quatuor generum, *calcarii, ſilicei, cornei, terrei.* Horum ſpecies et harum varietates, in Suecia in primis reperiundas, enumerat. Cum inter has ſit etiam argilla alba, aut alius colo- p.296. ris, ferrum nullum prodentis, colligit in experimento Becheriano, ferrum ex argilla, addito oleo lini eliciendi, fallaciam ſubeſſe, ferrumque non generari, ſed phlogiſto addito reduci, neque experimentum cum argilla omni ſucceſſurum.

6) Cl. KLINGENSTIERNA inquirit *in legem re-* p. 297. *fractionis, radiis heterogeneis ex eodem medio in diuerſa alia exeuntibus*, ubi oſtendit legem refractionis, quam Cl. NEWTON Optic. Lib. I. P. II. Prop. III. Exp. 8. ex experimentis ſuis deducit, cum cognitis principiis conſiſtere non poſſe.

7) *Amphimerinam catarrhalem lentam et malignam* p. 306. deſcribit Cl. PETRVS ZETZELL, M. D. Morbum iam antiqui cognouerunt, et pro ſymptomatum diuerſitate ad *lipyriam, typhon, epialam* retulere. Cl. BAGLIVVS de eo ſcripſit, ubi in febres meſentericas commentatus eſt; Cl. HVXHAM nomine febris lentae neruoſae de eo egit, alii etiam attigerunt; Noſter phaenomena accuratius recenſet, quae morbus obtulit, cum ſeptembri, octobri, nouembri ac decembri 1754 Vpſaliae et in vicinia epidemicus eſſet, ſunt vero ſequentia:

Stadium I. Vrina aliquibus diem unum vel plures copioſe fluit, ante quam ſentiant minus bene ſe vaere, poſt ſpumeſcit urina et turbida euadit, acce-

dente interdum materie pituitoſa. Fames ſolito maior, quamdiu lingua nondum albeſcit, neque pars quaedam colli riget; ſupra oculos obſtructio ſentitur, mox in cephalalgiam, cuius ſedes in fronte eſt, abitura, quae ſentitur interdum veſpertino ſaltim tempore, interdum alternis vicibus diurno. Frigus intermittens die ſentitur, in primis circa ſpinam dorſi, et illis horis, quibus caput non dolet; aut etiam, ſi caput ſaltem veſpere doleat, eodem tempore frigus ſentitur et oſcitat aeger: corpus velut oneratum, genua viribus deſtituta, animi facultates quodam modo turbatae. Simul veſpere interdum naſcitur tuſſicula, tandem conatus ad vomendum ſentiuntur, et in ventre motus quidam, non tamen ad colicam aut ventris tormina referendi, cum potius conſiſtant in ſpaſmo interno ceſſante et redeunte, in eundem locum; accedit diarrhoea pituitoſa, excrementa non ſine inſigni preſſione egeruntur, ſaepius obducta ſunt; lumborum dolor debilis. Lingua albeſcit, ſomniat aeger et tandem ſomnus ante mediam noctem ceſſat.

p. 308. *Stadium* 2. Septimana circiter elapſa, pomeridie frigus diutius durat; ſequitur calor, et laſſitudo magna aut ſitis vehemens, pulſus celer et debilis, ſapor acerbus, lingua mollis, nulla euacuatio ſpontanea (*Febris ad ventriculum*): Vel ſudor vehemens, facies tumens et rubens, pulſus altus et tenſus, lingua mollis, tuſſis et cephalalgia; (*febris ad pulmones*) vel abdomen debile et tenſum, laſſitudo, vires animi turbatae, diarrhoea nocturna (*febris ad inteſtina*); vel etiam lingua craſſa, alba, flaua, immo media parte fuſca, vomitus et diarrhoea; (*febris ad ventriculum et inteſtina*) urina, niſi diaphoretica vel china dentur, turbida, pituitam continens, ſymptomata veſpere quouis, ut in febre bidua (*tertiana*) duplici, (*zweitaegiges doppeltes Fieber*) increbeſcunt et hora circiter quarta matutina minuuntur.

Tandem

Tandem (*Stadium* 3) paulatim imminutio ſymptomatum nulla contingit, niſi meridie; aegris nihil amplius curae eſt; audiunt, non reſpondent, tremunt manus et lingua, ſopor ingruit et animi turbatio, ceſſans tamen, cum homines minus notos conſpiciunt; euacuationes ſpontaneae adhuc durant, cum vero hae ceſſant, ſpaſmi oriuntur, aeger floccos legit, inquietus eſt, conuulſiones patitur, interdum fere epilepticas, turbatio animi maior, circulus fuſcus ſub oculis obſeruatur; ſicque morbus vel morte finitur, vel (*Stadium* 4) ſoluitur, ingens copia pituitae viſcidae et craſſae, tuſſis ope, tempore matutino ſimul ſudor aequabilis erumpit. Vrina ſedimentum coloris lateritii copioſe deponit. Lingua purior euadit et fames ante meridiem ſentitur, veſpere reliquiae quaedam morbi adhuc percipiuntur, paullatim ceſſantes, fames vero maior reſtituit, quae aegro 20 vel 30 diebus deceſſerunt. p. 309.

Haec phaenomena in aegris circiter ducentis obſeruata ſunt, omnes tamen ſanati, duobus exceptis. Modus ſanationis hic fuit: Primo ſtadio natura ipſa vomitu et diarrhoea vehementi auxilium ſibi quaerit; haemorrhagiae vero narium aut aliae tolerandae non ſunt, ſed tempeſtiue ſedandae emeticis aut laxantibus, quibus cum continuatur, donec rubeat lingua et veluti deſquametur; qualibet veſpera praebetur medicamentum anodyno camphoratum, in primis cephalalgia poſt laxationes non ceſſante. Obſeruat hic auctor emetica vehementiora non prodeſſe, ſed conatum vomendi et nauſeam poſt ſe relinquere, nullum tamen ſignum inflammationis excitatae. Salia ad ſcopum laxandi non ſemper proſunt, ex quo febris apparuit, interdum ad plures ſedes, quam aeger ferre poſſit, aut quam exſpectari poterat a doſi. Rhabarbarina mox leniunt morbum, niſi vero doſi maiore praebeantur aut uſus illorum continuetur, redit facile hic morbus aut alius. Aegris duobus ad

ſcopum

ſcopum diaphoreticum datum eſt veſperi tribus diebus oleum animale DIPPELII, alii vero mixtura tonico neruina STAHLII, unde efflorescentia circa labia ipſis nata eſt, omnes tres vero, nullo alio remedio adhibito liberati ſunt. Venae ſectiones et
p. 311. ſcarificationes nihil profuerunt. Secundi ſtadii cura haec eſt: Pulſu alto et tenſo, facie tumida et rubente, tuſſi frequente, et ſudore vehemente, conuenit methodus Boerhaauiana. Vena aperitur; alternis diebus enema datur; ſaponacea potui miſcentur, puluis camphoratus praebetur, veſpere quouis. Ita ſolet febris die decimo quinto deſinere, pituita multa tuſſi eiecta. Vbi vero vomitus adſunt et diarrhoea, primum enema ingeritur, deinde praebetur RIVERII mixtura antiemetica, donec ſedati ſint vomitus, et laxantia refrigerantia dantur, primo quotidie, ſi id liceat, deinde alternis aut ternis diebus, tandem rhabarbarina, donec ſymptomata omnia ceſſent, lingua vero deſquamata ſit et rubra, ſi quid mali reſtare adhuc veſpere obſeruatur, china china illud ſuperatur. Tertii ſtadii cura pendet ab iis, quae ſecundo facta ſunt, et a ſymptomatibus praeſentibus plerumque eo redit, ut paullatim ſubueniatur naturae ſiue ad ſudorem eliciendum ſiue ad pituitam tuſſi eiiciendam. Quarto ſtadio, ſi pituita nimis copioſa adſit, laxantia deſiderantur, ſi vero morbus ſudore terminetur, ſuſtinetur ſudor potu vinum admixtum habente.

p. 312. Subiicit Noſter de cauſis morbi cogitata ſua. Quamdiu Vpſaliae et in vicinia graſſauit, aer nebuloſus, pluuioſus, craſſus fuit; quam primum dies laetior illuxit, imminutus eſt aegrorum morbus, aut certe non auctus, ut diebus triſtioribus contigit. Similem aeris conſtitutionem Cl. HVXHAM, cum Angliam hic morbus inuaderet, adnotauit. Inde vero ſimile fit, a tranſpiratione inſenſibili imminuta morbum naſci, quod confirmant phaenomena ſtadii primi, ſenſus ponderis, urinae excretio aucta, tuſſis, vomitus

mitus et diarrhoea. Lues contagioſa fuiſſe vix videtur, nam qui cum aegris conuerſati ſunt, contagium nullum contraxere. Equidem ſi domum quandam ingreſſus eſt morbus, omnes plerumque eo decubuerunt, ſed hoc ab euaporationibus egeſtorum fetidiſſimis deducit Auctor, quibus aeris elater imminutus ſit, unde et morbus hic in noſocomiis, carceribus, frequens eſt. Succubuerunt ei plerumque homines mediae aetatis, vitae generis tenuioris, aut corporis debilis, et quibus multum temporis in aere libero manendum fuit. Scilicet infantes plerumque in conclauibus calidis morantur; ſenum pori minus ab aere externo adficiuntur, vaſa eorum rigidiora ſunt, immo ſanitas illorum minus a tranſpiratione pendet, quam a reliquis excretionibus copioſioribus. Ditiores, praeter quam quod aeris iniuriis minus exponantur, lautioribus cibis, vino in primis, tranſpirationi ſuccurrunt.

8) *Hydropem in noſocomio Kungsholmenſi ſanatum* p. 314. ABR. BAECK. Primo morbi et remediorum adhibitorum enarrationem in dies ſingulos digeſtam exhibet, quam huc transferre prolixum eſſet, deinde obſeruationes quasdam ſubiungit, in ſimilibus caſibus uſui futuras. Natus eſt hydrops ex febri tertiana p. 320. male curata, china china in copia iuſto minore, et forte non praemiſſis debitis euacuationibus adhibita; Aſcitem vero tympanitis comitata eſt. Monet Noſter, cum hydrops omnis periculoſus ſit, in primis periculoſam eſſe tympaniten, praecipue ſi ardor eam comitetur, cum facile laedi poſſint partes nobiliores. Abdomine aperto aquam educi parum utile pronunciat, cum cura tantum palliatiua ſit, mox repetenda. In aegro, quo cum res erat, ſanando primum de febre tollenda cogitabatur, a qua ſpaſmus inteſtinorum et periculum gangraenae internae producebatur; praeter ea flatus erant diſpellendi, humor ſuperfluus diluen-

diluendus et naturae ad abducendum eum manus auxiliatrices praebendae. Dabantur ergo refrigerantia et ſubacida, deinde leniter laxantia, addito pauxillo aloes, caſtoreum vero et ſal ſuccini aduerſus ſpaſmum, tandem carminatiua fortiora una cum infuſo ſennae et puluere ſquillae, quorum uſum Noſter hic praedicat.

II.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita manu artificioſa doctaque pinxit GEORGIVS DIONYSIVS EHRET, Germanus occaſione haud vulgari collegit, nominibus propriis notisque ſubinde illuſtrauit et publico uſui dicauit D. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREW, Medicus Norimbergenſis in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IOHANNES IACOBVS HAID, Pictor et Chalcographus Auguſtanus Decuria V. A. R. S. MDCCLV. fol. reg. text. pl. 4. tab. aen. 10.

Plantarum icones, quarum continuationem nunc indicamus, non tantum eam elegantiam oſtendunt, quam laudanda ſane artificum induſtria iisdem conciliauit, ſed accurate animaduerſiones ab Ill. TREWIO additae eruditis quoque botanicis ita ſatis faciunt, ut in vera commoda ſtudii rei herbariae ſequentes decades et exoptemus et ſperemus, cum iam in textu quinquageſimam primam tabulam explicatam inueniamus; Vti igitur decuriae quartae recenſionem exhibuimus*, ſic nunc quoque in indicandis plantarum nominibus et quibusdam annotationibus

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 396.

tionibus ſubiungendis occupati erimus. Tab. XLI. *Plumeria flore roſeo odoratiſſimo* TOVRNEF. ſiue *Plumeria foliis ouato oblongis* LINN. Hort. Cliff. p. 76. Coloris varietas ex rubro roſeo et carneo ludere videtur nec ſpecies diſtinguit. Tab. XLII. *Pulmonaria foliis radicalibus ſubouatis, caulinis oblongis glabris, ſcapo laxo calycibus breuiſſimis.* LINNAEVS in ſpec. Pl. p. 135. n. 3 et 4. duas pulmonarias calice abbreuiato ſiſtit, et a foliis radicalibus differentiam ſpecificam addit, cum autem virginicae, quae hic depingitur, a LINNAEO folia lanceolata obtuſiuſcula, quae vere non obtinet, ſibiricae autem folia ſubcordata, quae in noſtra icone exhibentur, adſcribantur, dubia adhuc videtur differentia. Tab. XLIII. *Cuiauus ſurculis et ramis iunioribus quadrangulis Pſidium* LINN. Sp. Pl. p. 470. *Guaiaua* a multis dicta indica haec arbor, ob fructus, quem progenerat, ſuauitatem adeo nota, inſigniter variat, in primis in ſapore, odore et colore fructus, ita, ut cum malo noſtrate hac in re comparari queat. Hiſtoriam eiusdem adeo accurate proſequitur Ill. TREWIVS, ut nullum ferme auctorem praetermiſerit, qui de hac arbore vel fructu eiusque varietate aliquid memoratu dignum propoſuit. Tab. XLIV. *Haemanthus colchici foliis perianthio herbaceo.* DILL. H. Elth. p. 167. t. 140. *Haemanthus foliis lanceolatis undulatis* LINN. Sp. Pl. p. 325. n. 2. Fructus ſiſtit baccam triſpermam, licet utplurimum unum tantum ſemen perfectum reddatur, perianthium non ſemper herbaceum eſt, ſed interdum colore pulchro rubicundo, ut in icone noſtra ſuperbit, quae differentia a ſoli ſolisque benignitate dependere videtur. Tab. XLV. HELIOCARPVS LINN. H. Cliff. p. 211. tab. 16. *Montiam* dixit HOVSTONVS, ſed MICHELLIVS iam antea aliam plantam hoc nomine inſigniuerat. Florem monopetalum infundibuliformem dicit MILLERVS; licet autem ante euolutionem corollae ita appareat, tamen ſegmenta quatuor

vel

vel quinque profunde dehiſcunt, hinc tetrapetalam plantam dicit LINNAEVS. Tab. XLVI. *Populus foliis longe petiolatis, oblongo lanceolatis, ſerratis, ſubtus albicantibus, mas.* *Tacumahuca*, cuius gemmae balſamum fundunt, quo in frigidioribus regionibus illae defendantur. Succus concretus in officinis notus ex vulnerato cortice fluit. Gemma florifera et ante folia euoluta apparuit, ſed et alia ex gemma florifera cum foliis praeſente conſpicitur et in tabula noſtra egregie depingitur. An ex planta, quae maſculinos flores edidit, tractu temporis foeminini quoque erumpant, dubitat Ill. TREWIVS et plantae huic mari aliam foeminam quaerendam eſſe monet. Tab. XLVII. *Crotalaria foliis ſolitariis lanceolatis, lanuginoſis, petiolis ſeſſilibus, caule ramoſo, ſtriato, flore magno, aureo.* Floris accuratum examen additur, deprehendimus ſtamina decem, non unum vero et nouemfidum, ſed omnia filamenta ex una et continua membrana exſurgunt *. Fructus maturus breuis et ventricoſus cum calyce perſiſtit. Tab. XLVIII. *Azalea ſcapo nudo, floribus confertis, terminatricibus, ſtaminibus declinatis.* LINNAEVS H. Cliff. p. 69. in ſp. Pl. p. 150. n. 3. nomen prorſus mutat et dicit *Azaleam foliis ouatis, corollis piloſis, ſtaminibus longiſſimis.* Dubitandum certe, an in diſponendis Azaleae ſpeciebus LINNAEVM ſequi poſſimus, piloſa corolla videtur character pro climatis indole varians. Tab. XLIX. *Anona foliis ouatis, acutis, flore albido, ungue purpureo, fructu coniformi, tuberoſo, nigricante.* Cum hiſtoria huius ſtirpis maxime obſcura ſit et dubia, Cl. TREWIVS ſubdubitando iconem confert cum *Guanabano Perſeae folio, flore intus albo, exterius virideſcente, fructu*

* Dum haec ſcribimus, *Crotalariam foliis ternatis, ouatis, acuminatis, ſtipulis nullis, leguminibus hirſutis* LINN. Sp. Pl. p. 716. n. 11. quae in horto floret, examini ſubiicimus et ſtamina decem, interdum nouem ex membrana continua enata conſpicimus.

fructu nigricante ſquamato, Cherimolia *vulgo* FEVILLEE Iournal. des obſ. phyſ. etc. p. 24. tab. 17. et de reliquo in examine ſcriptorum, qui Guanabanum eiusque vel ſpecies vel varietates deſcripſerunt, ſtudioſius verſatur, hinc concludit accuratum ſpecierum et ſynonymorum indicem nunquam expectandum eſſe. Ne tamen quis credat Noſtrum eum laborem non ſuſcepiſſe, recenſet decem ſpecies ad hoc genus referendas, ex variis auctoribus deſumtas, ex aliqua floris conſideratione definitas, et ex his probe conſideratis concludit *ad Anonae characterem genericum pertinere calycis folia tria totidemque petala et fructum multilocularem, loculos ſcilicet plures circa centrum radiatim transuerſe collectos et aliquot ſeriebus per fructus longitudinem locatos.* Circa ſtamina et piſtillum deſcribendum vix ullus accurate verſatus eſt, ex EHRETI tamen figura addita et nitide expreſſa eluceſcit, *ſtamina copioſiſſima circa ouarii capitulum collecta eſſe breuiſſima atque ex antheris ſolum modo ſtructa, ipſum capitulum vero multis poris inſtructum eſſe triangulare, quod deinde forſan in rotundum mutatur.* Fructum et ſemen maturum ex ſicco appingere curauit exemplari, et florem et fructum ex FEVILLEI icone addidit, licet flos minus accurate repraeſentetur. Multas etiam plantas ab auctoribus ad genus deſcriptum relatas in fine adiicit et oſtendit, cur ad illud referri haud poſſint. Tab. L. *Ficus foliis ouatis, integerrimis, obtuſis, caule inferne radicato.* LINN. Sp. Pl. 1059. n. 4. Et in huius plantae deſcriptione inuenimus Ill. TREWIVM in omnibus, qui de ea ſcripſerunt, auctoribus euoluendis et diiudicandis maxime quidem attentum fuiſſe, ſolidamque eruditionem demonſtraſſe. Nos vero, qui cuncta repetere haud poſſumus, tantum in genere monemus Ill. TREWIVM in hac decade plura omnino, quam in antecedentibus praeſtitiſſe, planeque perſuaſum habemus, eum et in ſequentibus ſimilia praeſtiturum eſſe, cum in iis

quae ad explicandam tabulam quinquageſimam primam de Bromelia propoſuit, idem ſtudium deprehendamus.

III.

IO. BAPTISTAE BVRSERII de anthelminthica argenti viui facultate ad PETRVM BALANTERIVM Epiſtola. Fauentiae 1753. typis Benedicti, Impreſſoris Epiſcopalis nec non Academiarum Remotorum et Philoponôn. 4. pl. 6.

p. 5. Anthelminthicam quidem mercurii viui vim omnes fere laudant medici, circa modum tamen eiusdem operandi effectusque valde diſſentiunt. Quae diſſenſio Cl. BVRSERIVM commouit, ut dubius circa hanc rem factus, ipſe, data ob frequentem Fauentiae lumbricorum morbum occaſione, in laudatam
p. 8. tam mercurii viui vim inquireret ſollertius. Iam vero recenſet idem, qui mercurium datum ſequuti ſunt, effectus, deinde obſeruationes quasdam, in quibus vim eius anthelminthicam periclitatus eſt, enarrat, tandemque, quae lumbricis in hydrargyrum demiſſis acciderunt, ſubnectit. Quorum ſummam breui-
p. 9. ter expoſuiſſe iuuabit. Primum igitur effectus quod attinet, qui a plurimis medicis dicuntur ſequuti eſſe datum mercurium, utrum mercurio, an aliis cauſis tribuendi potius ſint, valde adhuc dubitat Noſter. Ambigua enim ſigna, quibus indicantur vermes, facile decipiunt medicos; deinde, quando adſunt, vermes ipſi adeo miris ludunt effectibus, ut nunc aegros prorſus deiiciant, nunc iterum patiantur eos refici; tandem etiam ſponte aut ab internis cauſis eiiciuntur vermes ſaepe viui et vegeti, raro et ſub morbi finem mortui: ut igitur dati mercurii in vermes dubia omnino inde pateat efficacia. Noſter etiam

mercu-

mercurium viuum ad duas quatuorue drachmas dedit contra vermes, de quorum praeſentia conuictus fuit, eosdem vero ſemper obtinuit effectus, quos in iis, qui mercurio non ſunt uſi, conſpexerat. Lumbrici nimirum prodierunt viui fere ſemper, clyſmatibus et emollientibus illecti, rarius mortui. Quibus iam p. 16.
addit Cl. BVRSERIVS aliquas morborum hiſtorias, ex quibus, dum huc transferre earum expoſitionem uberiorem non licet, praecipua tantum adnotabimus, quae mercurii vim proxime ſpectant anthelminthicam. Iuuenis ad gonorrhoeam mercurii dulcis drachmis duabus per quindecim dies uſus, poſt incidit ex eſu fructuum horaeorum nimioque motu corporis in febrem acutam continuam. Poſt grauiſſima ſymptomata ſeptimo die vomitu prodit lumbricus; datur mercurius crudus ad uncias duas, ſed per aluum cum foecibus iterum exit, dantur ſimul enemata, emollientia, laxantia etiam anthelminthica alia; prodeunt vomitu et per aluum octo lumbrici viui; febris mitior euadit, miteſcunt ſymptomata; quadrageſimo tandem die alius erupit ex ore vermis vegetus; aeger ſenſim, ceſſante morbo, reſtituitur. Puel- p. 22.
la corripitur febre acuta continua, cum delirio et cephalalgia, conuulſionibus, ſyncope, narium pruritu, nauſea, pallore, ventris tumore ſtipata. Datur mercurius. Duodecimo tandem die moritur aegra inter grauiſſimos dolores. Sectio cadaueris in ileo inteſtino lumbricum exiguum, viuum, mercurio undique ſeptum, viſcera et inteſtina in primis illaeſa detexit, in cerebro vero morbi ſedes primaria inuenta fuit. Vt taceamus reliquas, conſtitit ſemper mercurii vim parum vel nihil prorſus contra vermes valuiſſe, eorumque expulſionem dependiſſe a clyſmatibus, laxantibus vel aliis cauſis internis. Quum vero aliorum, p. 34.
quibus vermes a mercurio occidi demonſtrarunt, proſtent experimenta, Cl. BVRSERIVS etiam eius modi inſtituit cum lumbricis tentamina, immittendo

eos in mercurium, ſed vidit alios vegetos e puero ſano ſponte expulſos, et alios ex aegrotis eiectos torpentes, eodem mori tempore cum iis, qui nullum perpeſſi fuerant anthelminthicum, nullas conuulſiones vidit, quas vidiſſe ſibi perſuadent multi, neque ullum in diſſectis, lentis ope, vel auri contactu, vel chemica ſolutione detexit mercurii atomum. De Cl. MOREALIS hypotheſi noua, qua affirmauit a mercurio non occidi vermes, neque expelli, ſed ſi aegri fuerint, ſanari iterum, ipſosque homines inde morbo liberari, monet Cl. BVRSERIVS, eius quidem obſeruationes multum cum ſuis conuenire, iſtam tamen ſe nondum amplecti poſſe ſententiam. Quamuis enim in febribus epidemicis, quas vermibus comitatas plerumque fuiſſe conſtat, annis 1748, 49, et 50 Fauentiae graſſantibus, mercurius dicatur multum praeſtitiſſe, tamen Noſter potius diarrhoeam criticam et clyſmata, laxantia, diluentia ſoluiſſe iſtas febres, quae ſudoribus et diaphoreticis datis haud cederent. Ceterum non omnem denegaturus fidem medicis, qui anthelminthicam laudant argenti viui vim, quaeſtiones tantum mouet Noſter dubias, criſin ne iam potuiſſe inſtare, quum dederint mercurium, morbique ſolutionem critica excretione per aluum vel alia, non autem mercurii ope factam fuiſſe? an ille, augendo motum inteſtinorum periſtalticum, et expellendo ſtercora, anthelminthicum mentiatur? an tandem pondere ſuo lentorem fluidorum reſoluendo, ſolidaque ad oſcillationes ſtimulando ſuam exerceat vim.

IV.

IV.

Diſſertatio inauguralis ſiſtens anatomiae experimentalis partem priorem. Praeſide CAROLO AVGVSTO DE BERGEN, reſpondente *Carolo Stephano Ludovico Weſenfeld*. Francf. ad Viadr. 1755. 4. pl. 5. partem poſteriorem, reſpondente *Ioanne Chriſtiano Elardi*. Francf. ad Viadr. 1755. 4. pl. 3.

Mira cum noſtro aeuo praeſtita viderit Cl. Auctor in iis artibus, quae ad corporum animalium fabricam detegendam ſpectant, operae ſe facturum eſſe pretium putauit, ſi omnes, ad hunc finem ab eruditis excogitatas, encheireſes, uno libello collectas, orbi, qua cultior eſt, traderet, et quibus uſi fuere ſummi, in arte noſtra, viri, artificia ingenue ac candide reuelaret. Ne vero cuidam diſpliceat anatomiae p. 2. experimentalis vocabulum, definitionem ſuppeditat, et quaenam intercedat phyſicam experimentalem et anatomen ſimilitudo demonſtrat. Breuem tunc ad- p. 4. iicit artis, vaſa corporis replendi, hiſtoriam et quamuis SWAMMERDAMIVS, MALPIGHIVM, IOH. VAN HORNE et STALPART VAN DER WIEL primos fuiſſe affirmarit, qui flatu vaſa diſtendere et ita exſiccare tentarint, paulo antiquius tamen huius artis natales ſtatuendas contendit, et EVSTACHIVM ac SYLVIVM inuentores eius fuiſſe coniicit. REGNERVS DE GRAAF poſtea ſiphonis ope liquores coloratos immiſit corporis canalibus; quem tandem ſiphonem CASP. BARTHOLINVS emendauit; cum vero liquores iſtos nimis fluidos nec perſiſtentes deprehenderit SWAMMERDAMIVS, primus de ceracea materia cogitauit, omnibus tamen palmam praeripuit et methodum hanc optime perfecit Cl. RVYSCHIVS. In duas diſpeſcit partes anatomiam p. 6. experimentalem Cl. Auctor, quarum unam ſtrictio-

 rem,

rem, alteram appellat latiorem. Strictiorem dicit eam, quae vaſa corporis peregrina quadam materia et implere et conſeruare docet; ad latiorem eas refert artes, quibus vel forma viſceris vaſorumque directiones fuſis repraeſentantur metallis; vel ſine vaſorum repletione peculiari arte ita effinguntur partium ſitus ac forma, ut membra viua nobis videantur; vel tandem integra animalium corpora incorrupta ſeruantur. In hocce libello ſtrictiorem tantum partem tractare conſtituit. Prius vero quam ipſam rem aggreditur, remouere anniſus eſt dubium a Cl. BOERHAAVIO in medium prolatum, quo monuit hacce impletione et vaſorum lumina ultra modum extendi, ita, ut lymphatica haberi poſſint pro ſanguiferis, et ipſam telam celluloſam cera repleri et ita omnia con-
p. 7. fuſa reddi. In ipſa explicatione eum ſeruauit ordinem, ut 1) materiae ad iniiciendum aptae compoſitionem; 2) inſtrumentorum huic ſcopo inſeruientium apparatum; 3) quaedam in ipſo iniectionis actu obſeruanda 4) methodum, qua praeparari ſolent partes repletae, exponat. Cum ſpirituoſi aeque ac aquoſi, quibus primi artes inuentores uſi ſunt, liquores facile euaporent et ideo vaſa rurſus collabantur, aptiſſimam ad iniectiones maſſam illam eſſe monet, quae ex cera, ſebo aliisque oleoſis inuicem mixtis compo-
p. 8. nitur. Duplicem eſſe adhibendam maſſam, aliam craſſiorem, aliam tenuiorem ex ipſa vaſorum diuerſa capacitate facile patet. Vt vero dignoſci queant a venoſis vaſis arterioſa, materiam hanc tingere vario modo et rubrum colorem cinnabari et viridem aerugi-
p. 10. ne efficere ſolent artifices. Varias apponit maſſae ceraceae miſturas, quas tamen, cum breuitatis ſit ratio habenda, hic fuſius recenſere non poſſumus; unam tantum allegaſſe ſufficiat, qua uti ſolet Cl. LIE-
p. 12. BERKÜHN: Rec. cerae albae puriſſimae, ſeuo bouino vel veruecino non adulteratae, quantum vis, adde partem quintam colophonii, et partem decimam tere-

binthi-

binthinae venetae, his probe miſtis tantum cinnabaris aut alterius coloris, quantum ſufficit ad tincturam et cohaeſionem materiae refrigeratae, addendum eſt; ſi vero minimos vaſorum canales explere volueris, olei terebinthinae certa eſt admiſcenda copia. Fragilitatem maſſae coerceri dicit affuſo, loco terebinthinae, oleo philoſophorum aut maſtichino, multumque ad conſeruanda corpora conferre palmae oleum, cerae admixtum, Cl. QVELMALZIO ſuaſore, confirmat. Adfert his peractis varia de tenuiori ac p. 13. ſubtiliori, ad vaſa minima replenda, materie, eiusque varias ex celeberrimorum virorum ſcriptis adducit compoſitiones. Repletionem vaſorum mercurii p. 15. ope reiicit, cum modus figendi hydrargyrum adhuc lateat. Agit tunc de inſtrumentis, quibus deſcripta p. 16. maſſa in vaſa propellitur, et ſiphonem a Cl. LIEBERKÜHNIO huic ſcopo accommodatum reliquis praeferendum oſtendit, excepto eo, quod tubuli paululum anguſtiores ad maiora vaſa implenda vix commode adhiberi poſſint. In ipſo iniectionis actu p. 17. alias cautelas ante iniectionem, alias in ipſa iniectione, alias denique poſt peractam iniectionem attendendas declarat, et quae non tantum in miſcenda maſſa et applicandis inſtrumentis, ſed et in adaptando ipſo cadauere ſint obſeruanda, probe ac ingenue enarrat. Specialiora deinde quaedam addit, quae p. 22. vel iniectionem huius illiusue partis, vel praeparationes viſceris cera repleti concernunt, et de praeparatione cadaueris adulti et infantis recens nati explicat varia; nec non integumentorum, capitis, cordis, pulmonum, hepatis, ductus thoracici, oſſium, neruorum iniiciendi ac praeparandi methodum ſigillatim exponit. Duplici modo partes corporis maſſa cera- p. 30. cea impletae conſeruari ſolent; vel enim in fluido quodam ſuſpenduntur, vel ſenſim exſiccantur et vernice illiniuntur, ne putredine corrumpantur. Varias adducit parandi eius modi liquores, conſeruatorios

 quos

quos vocat, methodos; et contendit omnem ita debere eſſe comparatum, ut corruptioni reſiſtat, nec pelluciditatem amittat, nec praeparatum immutet,
p. 34. nec nimis volatilis ſit naturae. Breuibus deinde commemorat REAVMVRII illud artificium, quo iactura et euaporatio liquoris impeditur, de quo cum alias iamiam a nobis dictum fuerit *, plura hic allegare
p. 36. nolumus. Pauca ſub finem addit de modo exſiccandi impletas cera partes, quas in ipſa exſiccatione balſamico quodam liquore oblinire, et ſiccatas apta vernice obducere atque incruſtare docet.

Cum in priori parte ſtrictiorem, quam dixit, anatomen experimentalem explicauerit Cl. Auctor, in poſteriori nunc eas exponit, quas ad latiorem partem retulit, artes; et ſecretiores encheireſes enarrat, quibus animalium corpora vel certe eorum partes conſeruantur, vel ita arte adumbrantur, ut forma, ſitus omnesque eorum externae conditiones oculis ſubiici-
p. 6. antur. Primo igitur loco agit de repletione viſcerum fluido quodam ope antliae pneumaticae, et fuſius tam apparatum, quam procedendi modum explicat,
p. 8. ſimulque MVSCHENBROECKII inuentum res naturales in vaſculis aere vacuis ab omni putredine vermiumque arroſione liberas ſeruandi, adnectit. Me-
p. 9. thodum deinde LIEBERKÜHNII, qua vaſorum directiones in viſcere, vel externam viſceris faciem, ſuis notatam vaſis, fuſo metallo exprimere conſueſcit,
p. 11. declarat. Addit arcanum Cl. DENOVES, qui, ſculptoris cuiusdam ope, miro quodam ſucceſſu, ita imitatus eſt partes corporis, ut nitidiſſime ex cera
p. 15. confectae, ipſi naturae ad amuſſim reſponderint. Ad ultimam denique accedit libelli partem, et de conſeruandis integris quadrupedum, piſcium auiumque
p. 17. corporibus diſſerit, et vermes atque inſecta vel in ſubſtantia condire, vel eorum formam, modulis ex gypſo

* vid. Vol. I. P. II. pag. 362.

gypſo factis fuſoque metallo repletis, repraeſentare docet. Cum vero in hac tractatione plura adduxerit p. 19. de incruſtandis vernice animalium partibus, adiicit in fine quasdam gummi copal ſoluendi aliasque vernices componendi methodos, et modum inſecta cito p. 20. vita priuandi explicat. Addidit tandem quaedam corollaria, quorum plurima mortuorum corporum concernunt condituram.

V.

The General Diſpenſatory, Containing a Tranſlation of the Pharmacopoeias of the Colleges of Phyſicians of London and Edinburgh: Together with that of the Royal Hoſpital of Edinburgh, From the laſt Edition. To which are added, The Doſes, Virtues, and Uſes of the Simples as well as Compounds. And in what Caſes they are attended with Danger. With a Deſign to render the Practice of Phyſic more Safe, Eaſy, and Succeſsfull. By R. BROOKES, M. D. Author of The General Practice of Phyſic. London. Printed for J. Newbery and W. Owen. MDCCLIII. In 12 mai. plagg. dimidiatar. Alphab. I. plag. 14.

i. e.

Diſpenſatorium generale, verſionem Londinenſis et Edinburgenſis pharmacopoeiarum, necnon illius, quae regio Edinburgenſi noſocomio inſeruit, ex nouiſſima editione, continens. Cui doſes, virtutes, uſus et noxas ſimplicium aeque ac compoſitorum ad praxin medicam eo tutius, facilius, feliciusque exercendam addidit Auctor R. BROOKES, M. D.

Quo magis neceſſaria cuilibet medico, morborum curationes ſuſcipienti, exacta medicamentorum cognitio deprehenditur, quae communi omnium ſuffragio ſine penitiore virium ſimplicibus inſitarum perſcrutatione nulla eſſe cenſetur; eo minus materiae medicae ſcriptores Cl. Auctori officio ſuo adhuc ſatisfeciſſe videntur, quippe qui, ſecundum eius ſententiam, ſe inuicem tantum exſcribendo, varia remediorum genera, ſine omni plerumque veri vel falſi diſcrimine tantis, tamque vanis, quin imo interdum prorſus falſis encomiis ornarunt, ut rerum medicarum ignari ſibi perſuadere debeant, vix fieri poſſe, vel unicum adhuc, periculoſiſſimo licet morbo adfectum, in tanta certiſſimorum ſcilicet, infallibiliumque remediorum copia, mori poſſe. Haec igitur perpendens, poſteaquam praxin medicam generalem ediderat, et diſpenſatorium hocce generale edendum moliretur, omni opera in id incubuit Cl. Auctor, ut doſes, virtutes et uſus vegetabilium, animalium et mineralium in diſpenſatoriis Londinenſi et Edinburgenſi occurrentium, quippe quae, et praecipue Londinenſe, cuilibet intentioni medicae ſatis ſuperque accommodata eſſe arbitratur, quam accuratiſſime determinaret. Cum vero ſtatim intelligeret, unius hominis vitam ad examinandas omnes omnium ſimplicium vires nequaquam ſufficere, neminemque fore, qui hanc medicinae partem ex propriis obſeruationibus vel mediocriter tantum abſoluere queat, optimos Auctores variarum linguarum, eorumdemque coniunctis viribus elaboratos commentarios, ephemerides, tentamina, acta, diaria e. ſ. p. eum in finem conſuluit, ut pertractatio ſua tam paucis, quam fieri poſſit, erroribus obnoxia reddatur. Hanc
p. 1.
igitur ſimplicium pertractationem ſecundum alphabeti ordinem nominum latinorum in officinis uſitatorum inſtitutam toti operi praemiſit, atque in illa ita verſatus eſt, ut nomine prius anglice reddito, partes rei

rei indicatae, in uſus medicos conuerti ſolitas, enumeret, his naturam ſimplicis in genere ſpectatam ſubiungat, de ſpecialioribus vero eiusdem viribus medicatis in variis morbis conſpicuis celeberrimorum auctorum collectas obſeruationes adducat, hinc inde quoque ex propriis obſeruationibus aliquid addat, et doſin tandem accurate determinet. Sic v. g. ſub *can-* p. 13. *tharidum* titulo ex Cl. GREENFIELD obſeruatione annotauit, vitae periculum, ab iisdem interne nimia doſi temere aſſumtis imminens, auerti poſſe, ſi camphorae ſcrupulus in bolo exhibeatur, et ſexta hora repetatur. *Moſchum* * in conuulſionibus, epilepſiis p. 74. et maniis larga doſi propinari, in quo ultimo caſu, ut ſibi ipſi cognitum ſit, grana XXV pro una doſi data bonum effectum praeſtitiſſe. D. WALL, Worceſtrienſem, qui felicia quaedam cum eodem tentamina fecerit, aſſerere, quod decem eius grana diaphoreſin excitent. Moſchum praeter ea nullas moleſtias creare, ſed e contra dolores mitigare, ſpiritus excitare, et poſt ſudoris eruptionem, ſomnum plerumque vires reficientem procurare. Hyſtericis, eius odorem auerſantibus, in bolo facile exhiberi poſſe; et in clyſteribus, ſi vehementes conuulſiones eius per os adſumtionem impediant, adplicatum, eximios uſus praeſtare. Moſchi quoque unam vel alteram doſin ad grana X datam ſingultus conuulſiuos, cum peſſimis ſymptomatibus ſtipatos, remouiſſe, atque unum vel alterum eius granum cum goſſypio auri inditum auditus grauitatem curaſſe. Cognitum p. 79. ſibi eſſe, quod *nitri* drachma quolibet mane ſumta hydropem pro incurabili habitum, aegro iam a medicis derelicto, curauerit. Largam *ſaponis duri* doſin p. 109. nullum periculum inferre. Filiam comitis DE PAS ſapone Alicantico ante epilepſiae paroxyſmum exhibito

* Hic legi merentur, quae de moſcho iam alia occaſione cum lectoribus noſtris communicauimus. vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 61. ſeq.

bito intra triginta dierum ſpatium penitus curatam eſſe, paroxyſmorum violentia in dies ſeſe imminuen-
p. 113. te. *Scillam* peculiari quadam, ab auctoribus praeteruiſa, qualitate gaudere, qua intolerabilem pruritum in qualibet corporis humani parte excitet, quam quis iisdem digitis tetigerit, quibus ſcillae conciſa fruſtula contrectauit. Non omnes vero et ſingulos ſimplicium titulos tam amplo ſermone proſecutus eſt, ſed ob limites ſibi ipſi praeſcriptos indigenarum plantarum deſcriptiones, quas, tanquam ubiuis obuias, minus neceſſarias eſſe duxit, ſicco plerumque pede praeteriit, in exoticis tantum paulo diutius haerens. Nos vero, praeter bonitatis notas in ſimplicibus requiſitas, deſcriptiones omnino nullas inuenire potuimus, cum tamen certo perſuaſi ſimus, ex characterum botanicorum ignorantia in pharmacopoeis plurimos errores committi, et medicum hinc ex eorum neglectu ſaepe ſaepius ita decipi poſſe, ut non ſolum ſperatum inde effectum fruſtra exſpectet, ſed etiam haud raro longe alienum et noxium experiatur, id quod praeter alias cauſas facile tot contradictionibus de ſimplicium medicamentorum viribus anſam praebere potuit.

p. 137. Huic tractationi ſubiunxit nomina ſimplicium, in regio Edinburgenſi noſocomio receptorum, ſecundum
p. 142. alphabeti ordinem diſpoſita, quae regulae generales in colligendis ſimplicibus obſeruandae, et has ſimpliciores medicamentorum ſimplicium praeparationes excipiunt. Priores ad diſpenſatorium Edinburgenſe ſolum pertinent, poſteriores vero ex hoc et Londinenſi ita coniunctae ſunt, ut diuerſi praeparationis modi eorundem vel ſimilium ſimplicium combinati quidem, ſed litteris initialibus E et L, quarum prior Edinburgenſe, poſterior vero Londinenſe diſpenſato-
p. 149. rium indicat, diſtincti deprehendantur. Sequuntur regulae generales pro deſtillatione aquarum ſimplicium, et formulae earum ipſae ex utrisque diſpenſato-

riis

riis depromtae, quas tota reliquarum compoſitionum p. 153.
cohors cum praeparandi regulis generalibus v. g. tincturarum, decoctionum, pulverum, pilularum, electuariorum, ſalium, unguentorum etc. excipiunt, quibus omnibus eandem modo dictam diſtinctionis notam adpoſuit. Formulas enim in utrisque pharmacopoeis nomine vel intentione conuenientes ideo coniunxit Cl. Auctor, ut earum conuenientia vel diſconuenientia eo facilius et uno quaſi obtutu perſpici queat. Eandem quoque ob cauſam his formulas in diſpenſatorio regii Edinburgenſis noſocomii ubique interſperſit, ut videre liceat, quid illarum auctores in formulis Edinburgenſis diſpenſatorii adhuc mutandum eſſe duxerint. Et ſic quoque notatu digniores in diſpenſatorio campeſtri reperiundas praeſcriptiones ſuo quamque loco inſeruit, ita, ut haud raro de uno eodemque medicamento tres vel quatuor diuerſos praeparandi modos inueniamus. Cuilibet enim formulae initialis quaedam littera adiecta eſt. Litterae E et L, ut ante dictum eſt, diſpenſatorium Edinburgenſe et Londinenſe ſignificant, et litterarum H et C, quae reliquas deſignant, prior H formulam ad diſpenſatorium regii Edinburgenſis noſocomii pertinentem, poſterior vero C formulam ex diſpenſatorio campeſtri depromtam indigitat. Quatuor alias compoſitiones prioribus immixtas auctorum nominibus inſigniuit. Decocto enim corticis peruuiani p. 217.
compoſito Cl. PRINGLE, tincturae corticis peruuiani Cl. HVXHAM, pilulis mercurialibus laxantibus p. 271.
Cl. TVRNER, et terrae foliatae tartari Cl. GEOF- p. 322.
FROY nomen impoſitum deprehenditur, ita, ut nulla formularum confuſio metuenda ſit. Hisce omnibus vero ubique ſatis copioſas ſtellula notatas annotationes iunxit Cl. Auctor, in quibus praeter alia, ex variis auctoribus, propriaque obſeruatione ſua oſtendit, in quibusnam morbis medicamentum antea praeſcriptum cum ſucceſſu uſurpari, et in quanam doſi pro-

p. 392. pinari debeat. Quibus tandem in maiorem operis utilitatem quadruplicem indicem adiecit, quorum primus morbos eorumque remedia, ſed ea tantum continet, quae in diſpenſatoriis Collegii et noſocomii
p. 405. regii Edinburgenſis deſcribuntur, ſecundus vero tabulam poſologicam ſiſtit, qua doſes quorundam in priore indice contentorum remediorum determinantur; tertius denique remedia ſimplicia, et quartus ultimusque compoſita indicat.

VI.

Muſeum Ichthyologicum ſiſtens piſcium indigenorum et quorundam exoticorum, qui in muſeo LAVRENTII THEODORI GRONOVII, I. V. D. adſeruantur deſcriptiones ordine ſyſtematico. Accedunt non nullorum exoticorum piſcium icones aeri inciſae. Lugd. Bat. apud Theodorum Haak, 1754. fol. pl. 21. tab. aen. 4.

Hiſtoriae naturalis culturam in variis eius partibus omni cura ſuſcepit IOH. FRID. GRONOVIVS Med. Doct. et ſimile ſtudium in filio excitauit, qui praeſens ſpecimen in piſcium hiſtoria declaranda exhibuit, attentione noſtra omnino dignum. Pater enim piſces *Belgii ſeu piſcium in Belgio natantium et a ſe obſeruatorum catalogum* conſcripſerat *, quem filius aliqua ex parte, ſubiunctis hinc inde variis piſcium ſpeciminibus, auctiorem reddere conatus fuit, additis etiam exoticis, quorum non nulla ex Muſeo Cl. SEBAE, quod anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo Amſtelodami publica auctione diſtractum fuit, obtinuit. Noſter equidem methodum Artedianam in

* Exſtat in Act. Soc. Reg. Sc. Vpſalienſis ad an. 1741. edit. Stockholmiae 1746. 4to p. 67.

in claſſibus, generibus et ſpeciebus ſequutus eſt, quaedam tamen addidit, alia emendauit. Piſces plurimi cauda perpendiculari praediti ſunt, pinnasque radiis oſſeis inſtructas habent, non nullorum branchiae oſſiculatae ſunt, pinnis vel inermibus *Malacopterygii*, vel aculeatis *Acanthopterygii.* In non nullis branchiae oſſibus ſunt deſtitutae *Branchioſtegi.* Illi vero piſces, qui pinnarum radios cartilagineos obtinent *Chondropterygii* dicuntur. Piſces cauda horizontali inſtructi *Plagiuri* appellantur.

Generum definitiones ex corporis, capitis, membranae branchioſtegae, ſiue operculis branchiarum annexae et radiis inſtructae, tandem quoque ex pinnarum numero petuntur, aliarumque partium conſtantes proprietates a ſitu praecipue deſumtae ſubiunguntur, et ARTEDI et LINNAEI definitiones generum adduntur et paſſim perficiuntur. Species tandem a maxillarum, roſtri, oculorum, pinnarum reliquarumque partium ſitu et proportione aliisque certioribus ſignis declarantur. His ubique ſubiiciuntur ſynonyma ex optimis ichthyographis ſelecta, et frequens mentio fit piſcium Amboinenſium, quos Cl. FRANCISCVS VALENTYN edidit, et cuius icones, licet is methodo apta non utatur, Cl. ARTEDVS in Bibliotheca Ichthyologica immerito taxauit, cum Noſter aſſerat eas ſatis accurate elaboratas, et methodo aptas eſſe.

In ſpeciebus ipſis deſcribendis accuratius verſatus eſt Cl. GRONOVIVS, is enim non tantum partes externas et internas attente diſquiſiuit et deſcripſit, ſed et accuratam piſcium menſuram per pedes, uncias et lineas, habita ratione menſurae rhenolandicae iuxta longitudinem, latitudinem atque altitudinem non raro exhibuit. Expoſuit itaque in hoc muſeo Cl. Auctor genera quinquaginta tria et ſpecies centum et quadraginta ſeptem.

Quo

Quo vero non nulla ſpecialius a nobis indicentur, monemus Noſtrum *Argentinae*, *Siluri*, *Atherinae* genera ab ARTEDO imperfecte tradita perfeciſſe.

p. 31. Nomen *Pentanemi* ARTEDI mutatum deprehendimus, cum enim piſces, ad hoc genus pertinentes, appendices filiformes in pectore ſub pinnis pectoralibus obtineant, et ſpecies inueniantur, quae plura filamenta habeant; uti paradiſaea piſcis EDWARDI, *Polynemi* nomen genericum placuit, deſcripſit tamen tantum *Polynemum oſſiculis filiformibus utrinque quinque ad pinnas pectorales.* *Aſpredinis* et *Callichthydis* genera, quae LINNAEVS ad acanthopterygios collocauerat, Noſter ad malacopterygios reduxit, quoniam in iis pinnas inermes detexit. Quo vero generum ratio eo melius pateat, repetamus definitiones nouorum generum a Cl. Auctore additorum.

p. 11. Solenoſtomus, corpus *oblongum*, *teres*; caput *oblongum*, *cathetoplateum*, *in maxillas a lateribus clauſas et in extremitate roſtri tantum apertas*, *productum*, *opercula apertiſſima in lateribus et infima capitis parte*; membrana branchioſtega *oſſicula ſeptem utrinque continet*; pinnae *ſeptem*, *dorſalis in dorſo poſtremo e regione pinnae ani ſita.* Eſt Petimbuabo CATESBEII.

p. 17. Gymnogaſter corpus *oblongum*, *teres*, *cathetoplateum*; caput *oblongum acutum*, *cathetoplateum*; *nares mox ante oculos in lateribus*, *dentes in utriſque maxillis*; membrana branchioſtega *oſſicula ſeptem utrinque continet*; pinnae *tres nimirum duae pectorales et una dorſalis.* Eſt Anguilla Iamaicenſis SLOANII.

p. 19. Charax, corpus *cathetoplateum ad modum compreſſum*, *latum*, *longum macrolepidotum*; caput *cathetoplateum*, *opercula laeuia*, *dentes in utriſque maxillis magni*, *palatum et lingua glabra*; membrana branchioſtega *tribus vel quatuor ſub operculis latitantibus oſſiculis utrinque inſtructa*; pinnae *octo*, *dorſalis prior a roſtro remotior*, *quam ventrales*, *poſterior adipoſa in extremo dorſo.* Piſcis eſt ſurinamenſis.

Vra-

Vranoſcopus, corpus *plagioplateum*, *oblongum*, *alepidotum;* caput *plagioplateum, corpore latius, os in apice capitis, oculi in ſummo capite ſibi proximi, opercula branchiorum clauſa, in ſummo capite poſt oculos unico foramine ouali utrinque aperta, dentes in maxilla et faucibus;* membrana branchioſtega *ſub operculis latitans, utrinque oſſicula quinque continet;* pinnae *octo, ventrales ſub pectoralibus ſitae, in dorſo duae.* Ad hoc genus reducit Cotti ſpecies, quas ex acanthopterygiis ad malacopterygios reducit, aliisque ſignis diſtinguit. p. 21.

Plecoſtomus, corpus *plagioplateum*, *oblongum ſquamoſum*, *ſcabrum;* caput *plagioplateum; decliue, medii corporis latitudinem aequans, os ſub roſtro reconditum, labiis membranaceis, latis, verſus mentum reuolutis et in cirros abeuntibus cinctum, dentes, quarundam ſpecierum in labiorum baſibus atque in faucibus, in quibusdam tamen ſpeciebus deſunt;* membrana branchioſtega *tria oſſicula utrinque continet ſub operculis ſubtus et intus clauſis, ſed in lateribus tantum apertis, reconditis;* pinnae *ſeptem vel octo, in dorſo unica vel duae.* Eſt Guacari braſilienſibus MARCGRAVII, et ut alia non nulla genera a nobis deſcripta ex ARTEDI MSt. ad SEBAM deprompta. p. 24.

Myſtus, corpus *cathetoplateum*, *oblongum*, *alepidotum;* caput *decliue*, *inerme*, *os cirroſum;* membrana branchioſtega *oſſiculorum quatuor utrinque;* pinnae *octo, in dorſo duae, quarum poſterior omnino adipoſa.* p. 34.

Holocentrus, corpus *cathetoplateum*, *latum*, *ſquamis acutiſſimis tectum;* caput *cathetoplateum*, *aculeatum, opercula branchiarum ſquamoſa, dentes in maxillis, palato et faucibus;* membrana branchioſtega *oſſiculorum utrinque ſex;* pinnae *ſeptem in dorſo unica, in medio ad fundum fere diuiſa, ventralis oſſiculorum octo, cauda bifurca, ad latera aculeis inſtructa.* Holocentrum dixit ARTEDVS, quia omnes eius partes exter- p. 40.

nae ſcilicet caput, pinnae, ſquamae, immo ipſa cauda aculeatae ſunt.

p. 59. Callorynchus ex chondropterigiis eſt, corpus *oblongum, cathetoplateum, alepidotum*; caput *craſſitudinem corporis aequans, laeue, decliue in roſtrum pendulum, membranaceum mire formatum, ſub quo os anguſtum, denticulis in maxillis utrisque munitum, latitat:* Foramen branchiarum *utrinque unicum in infimo capite;* pinnae *ſeptem, in dorſo duae, poſt anum nulla.*

Icones additae optimae ſunt, et praecipue noua quaedam genera a nobis deſcripta illuſtrant. Oſtenditur enim Tab. I. *Anableps* a parte prona, ſupina et laterali. *Charax* dorſo ad modum prominulo, pinna ani oſſiculorum quinquaginta. *Charax* pinna ani oſſiculorum triginta unius, dorſo leuiter conuexo. Tab. II. *Plecoſtemus* dorſo monopterygio, ore cirrato, edentulo, oſſiculo ſuperiori caudae bifurcae ſetiformi, breui a parte prona et ſupina. Tab. III. *Plecoſtomus* dorſo dipterygio, cirris duobus, cauda bifurca a parte prona et ſupina. *Callichthys* cirris ſex, lateralibus unico ſquamarum ordine veſtitis, a parte prona et ſupina. Tab. IV. *Callorynchus* a parte laterali et ſupina.

VII.

Parus minimus, Polonorum Remiz, Bononienſium Pendulinus, deſcriptus; Perilluſtri Dno. HANS GOTTHELF A GLOBIG dicatus, a IO. DANIELE TITIO, accedit tabularum aenearum biga. Lipſ. apud haeredes Lankiſios 1755. 6 plag. in 4to.

Auicula, quam Cl. Auctor in hoc libello deſcribit, in catalogis auium non occurrit, immo ornithologis ignota quidem eſt, digna tamen, quae curatius deſcribatur et in lucem producatur. Namque ſtructura nidi, quem haec auis condit, plane ſingularis eſt, et a forma reliquorum nidorum valde diuerſa; relatio auctorum de illa aut nulla prorſus, aut parca admodum, aut anceps et obſcura; regio, quam habitat non quaelibet, ſed plerumque ſeptentrionalis, aut, ſi qua recedit a ſeptentrione, paludoſa tamen, ſyluis et arundinetis ſtipata; auis ipſa ad euitandas aucupum inſidias aſtuta, in ſalictis deliteſcens, difficulter viua capitur, ut eius copiam, qui hanc partem hiſtoriae naturalis amant, raro facere ſibi poſſint. Haec et ſimilia momenta, Auctorem noſtrum, qui iam Mathematum Profeſſor Wittebergae meret, impulerunt ut, pro eo quo fertur in hiſtoriam naturalem ſtudio, hanc auiculam deſcriberet, pro loco in facultate philoſophica Lipſienſi ſpeciminis aliquid ſibi cum edendum eſſet. Neque ſe huic operi omnium primo manus non admouiſſe, lubens profitetur, ſiquidem Ampliſſ. CAIETANVS MONTIVS, in illuſtri Bononienſi Inſtituto Phyſices Profeſſor, huius auiculae deſcriptionem breuem dedit *, ad cognoſcendam eius ſpeciem ſatis tamen accommodatam. Hanc ut ſuppleret Cl. Auctor, non ſolum varia auis exem-

 pla

* *Comment. art. atque Scient. Inſtit. Bonon.* T. II. P. II. p. 56.

pla ipſe ſibi conquiri curauit, ſed ex inſtructiſſimo rerum naturalium theſauro regio Dreſdenſi, beneuolentia Cl. EILENBVRGII, Muſaeo regio Praefecti, aliquot auiculae exempla, cum pullis et ouis, in ſpiritu vini optime conſeruata, ad examinandum recepit, et ex Cl. SCHVLZIO, viro docto, qui in Lithuania, medicinae faciendae cauſa, plures annos egit, multa ſuper indole auiculae noſtrae comperit. Deinceps Cl. KLEINIVS, praeter deſcriptionem auis, maſculi ſexus, accuratiſſimam eius, quoad caput et digitos, delineationem Auctori ſubminiſtrauit; ut adeo his, aliisque ſubſidiis inſtructus, plenam abſolutamque auiculae hiſtoriam pertexere potuerit.

p. 12. Nomen eius quod attinet, Italis *Pendulinus*, Polonis *Remiz* appellatur, quod nomen ei in Ruſſia quoque atque in Sibiriae regionibus, paululum tamen immutatum, manſit. Malunt enim Maſchi, ſiue, ut Noſtri homines aiunt, Ruſſi, *Remes* pronunciare. RZAZCZYNSKIVS, Hiſtoriae naturalis Poloniae diligens ſcriptor, utrumque vocabulum, *Remis* ac *Remiz* uſurpat. Non nullis placet ſcribere *Remiſch* ſiue *Remitzſch*. Vtcunque haec ſe habeant, vocabulum *Remis* aut *Remiz* originem ſuam eleganter prodit. Eſt enim idem, ac ſi germanice *Römiſch* diceres, aut auiculam Remis *Romanam auiculam* appellares. Cl. Auctor rationem addit: forte auiculae huius natale ſolum, Italia, antiquis auium noſtrarum obſeruatoribus ſatis fuit, cur eandem, deficiente germanico vocabulo, *Romanam*, tanquam aduenam ex Italia, nuncuparent. Accedit et hoc, quod non nulli eruditi in literis ad Auctorem *Remis* ſiue *Acanthis Romana* reſcripſerint; certiſſimo indicio, hanc ipſam denominationem aui noſtrae alicubi locorum eſſe impoſitam, eamque ſucceſſu temporis in vocabulum Remis degeneraſſe. Germanis deeſt nomen. KLEINIVS auem appellat, Parum Volhiniae, nido penſili, (*die Volhiniſche Beutelmeiſe*); ab aliis vero

auem

auem ſub nomine pari ſalicarii interdum venditari Cl. Auctor non vanus auguratur. Remiz igitur omnium primo tanquam Italiae incola conſideratur. Nidulatur potiſſimum propter Bononiam, ubi ei Pendulini nomen inditum eſt; habitat etiam prope Florentiam in Hetruriae lacubus, e quibus per tractum Venetum, ducatus Carinthiae et Auſtriae paludoſos in Bohemiam, Poloniam, ſeptentrionemque migraſſe videtur. Praeterea in Poloniae et Volhyniae tractibus paludoſis frequentiſſime latitat, ad Pripetum amnem, ad Horinum item Sterumque fluuios. In Sibiria eam GMELINVS, poſt STRAHLENBERGIVM, reperiit. Immo in Hungaria quoque ſuperiori auiculam reperiri Cl. Auctor ex amico, qui has regiones obierat, audiuit. Ad deſcriptionem auis Auctor ſe accingens, quadruplicem dedit: primam MONTII ex p. 16. Comment. Acad. Scient. et Art. Inſtit. Bononienſ. breuiſſimis repetitam; ſecundam et tertiam, maris et foeminae, a KLEINIO Auctori ſuppeditatam; et quartam ab Auctore ipſo confectam, una cum dimenſione partium auis externarum. Hanc in praeſenti Lectori exhibemus, ut eo melius ipſe, qualis ſit auicula, poſſit iudicare. *Remiz auicula*, inquit Cl. Au- p. 18. ctor, *magnitudine ad troglodytem accedit, hac tamen paulo maior; pedes ex rubro cineritii, tetradactyli, fiſſi, digitis ſolutis, tribus anticis, uno poſtico, unguibus aduncis cute rugoſa veſtitis; femur inferius muſculoſum, plumis tectum; roſtrum ex albo flaueſcens, conicum, mandibulis in linea recta aequalibus et fortiter ſecantibus, ſubito decreſcens in ſummum acumen; nares rotundae, peruiae; extrinſecus ampliores; caput ſupra cinereum, in radice roſtri ex nigro fuſcum, qualis zona etiam oculos circumdat; ceruix penitus cinerea, niſi quod circa primam vertebram colli macula nigro-fuſca apparet; humeri cinnamei coloris, linea cinnamea ſupra dorſum excurrente iuncti; dorſum paulo elatum, cineritium, pennis in medio nigricantibus, apice cano terminatis; alae*

cinnameae, et in iis remiges breuiores rubeſcentes, margine albeſcente anguloſo, exteriores vero, ſiue remiges primi ordinis, totae cinnameae; inter remiges breuiores et inter humeros plumae cinereae albeſcentes maculam canam oblongam formant in dorſum excurrentem; guttur cinereum, iugulum plumulis rubeſcentibus, paucis incanis intermixtis variegatum; pectus, venter et uropygium cinerea, ad latera tamen verſus podicem, ubi femur incipit, zona nigreſcens conſpicitur; cauda tota cinnamea, rotundata, rectricibus longitudine diſcrepantibus coloris cinnamei, et *margine albeſcente inſtructis.* -- Deſcriptionem excipit *dimenſio partium externarum.*

His cognitis Cl. Auctor ad conſtituendam huius auis ſpeciem accedit. Eam roſtro ſubulato, recto, *lingua lacero-emarginata* in regulis primo numerauit, ſecutus Ill. LINNAEVM, qui troglodylibus linguam adſcribit apice bifido lacerato, qualem in hac auicula Auctor obſeruauit. Cum vero animaduerteret linguam ad conſtituendam auium ſpeciem criterium non eſſe falli neſcium, omnibus rite cricumſpectis auem, cum Cl. KLEINIO, inter Paros retulit, ſimulque de conformatione linguae in auium ſpeciebus plura eleganter illuſtrauit. Obiter PETR. BARRERIVM notat, qui in definiendis auium claſſibus parum accurate procedit*. Porro oſtendit, quid differat Pendulinus a paro caudato, cui alias fere ſimilis eſt, ſimilem nidi ſtructuram cum illo ſeruat. Pendulinus in arundinetis degit. Raro viua comprehenditur, nec niſi ſolis occaſu aut coelo turbido in nidis latitans. Bis per annum foetificat: ſemel incipientibus vernis diebus; iterum in aeſtate. Nidum induſtria atque arte prorſus mirabili conſtruit, figura ſingulari et modo diuerſo. Non enim nidum, ut reliquae volucres, ſuperne patulum, crateris inſtar conficit, ſed clauſum, in modum ſacci arcuati, et undequaque occluſi

* Edidit *ornithologiae ſpecimen nouum.* Perpinian. 1745. in 4to.

occluſi, excepto foramine, quo introire ſolet. Figu-
ra nidi communiter duplex eſt, vel ſacciformis, vel
perae inſtar; nunc amplo latoque fundo, nunc angu-
ſto et in apicem obtuſum deſinente. Cl. Auctor
utramque delineari fecit, in tabulis aeneis huic tra-
ctatui adiunctis. Materia, ex qua nidus conſtat, ſunt
pappi florum, lanugo populi et ſalicum, et diuerſas
molecularum ſericearum molliumque ſpecies, in cali-
cibus typharum, carduorum et plantarum pappoſa-
rum abſconditis; quae omnia filis gramineis et can-
nabinis tenuiſſimis firmiter in ſe inuicem roſtro inne-
ctit auicula. Huius materiae lanuginoſae intus in
nido ingens copia reperitur, praeſertim in fundo eius,
ut ibi oua molliter cubent, et pulli a frigore aeris-
que intemperie tuti ſint, ſi qua mater in pabulum
volat. Fabrica nidi omnium, qui illa contemplan-
tur, admirationem meretur. Quamuis enim gene-
ratim obſeruatum ſit, aues minores in conſtruendis
nidis magnam operam et induſtriam collocare, noſtra
tamen auicula, victis reliquarum alitum hac in re
ſtudio et ſolertia, corpore minima, arte maxima ni-
dum ſuum componit, non aliter, ac ſi quis eam
texendi regulas data opera docuiſſet. Et hic ille eſt
locus ubi Auctor cum uniuerſam nidi fabricam, eius
firmitatem atque texturae elegantiam pluribus expo-
nit, tum errores diuellit, quos BONANNVS et AL- p. 32.
DROVANDVS, pendulino nunquam viſo, commi-
ſerunt. Poſterior enim nidum noſtrae auiculae qui-
dem delineauit, ſed eum pari caudati opus eſſe cre-
didit. Quae ipſa nidorum ſimilitudo Auctorem no-
ſtrum eo deduxit, ut diſcrimen utriusque nidi rectius
indagaret, conſtitueretque; praeſertim cum et Cl. p. 34.
FRISCHIVS, nidum pari caudati, errore inductus,
pro nido chlorionis ſiue turdi aurei habuerit. De
chlorione hic multa eleganter animaduerſa occurrunt.
Diſcrimen nidorum Auctor e ſola materia nidorum
ſtatuit eſſe colligendum: ita quidem, ut pendulino-

rum nidi e pappis et lino conſtent; pari caudati ex muſco et lino; galguli ſiue chlorionis ex ſtramine et fibris cannabinis. Caetera parus caudatus, fatetur Cl. Auctor, varios quoque materia nidos effingit; omnes nidis penduliui ſimiles, ſuperne tectos, utero intus capaci. Pendulinus nidum ex ramis arborum, populorum praecipue et ſalicum, tenuiſſimis ſuſpendit; plerumque ſuper aquam fluentem, orificio nidi verſus flumen exporrecto. Magnitudo nidorum ſaepe variat; plerumque tamen longitudo ſex aut ſeptem et latitudo quatuor pollicum eſſe deprehenditur.
p. 39. Vſus nidorum ubique non idem. In Italia paſſim ſuperſtitioſus; in Polonia et Lithuania venum exponuntur nidi, ut qui remedium catarrho equorum hominumque adhibent, ſi ſub eorum naribus comburantur, aut cum lacte decocti, ceruici applicentur; immo tumores impoſiti leuare ſolent, quod ſicco calori tribuendum, quem in parte laeſa excitant. Oua pendulinus ponit quaterna aut quina; pulli poſt duodecimam diem excluduntur et excluſi vermibus inſectisque aquaticis aluntur. Quod nidum ſemper ſuſpendat auicula, calliditati eius ſcriptores tribuunt, ut ab animantium inſidiis, qualiacunque demum illa poſſint eſſe, tuta ſit. Hinc ſuper aquis nidum ſuſpendit, hinc ſuſpenſi oſtium ſemper verſus flumen directum, hinc ramulus tenuiſſimus, hinc filum ſubtile e quo nidus in quadam a ſurculo diſtantia dependet, et hinc tota demum nidi ſtructura, firmitas, orificii anguſtia, omniaque ea, quae Auctor fuſe de illo enarrauit. Auis ad oſcines pertinet; non erratica eſt, nec frigus vel in rigidiſſima ſeptentrione refugiens. Pendulinus vocatur, quod nidum ſuſpendit; auctor tamen neque a domeſtico vocabulo Remiz abſtinere voluit, praeſertim cum et illud polonicum aliquod ſonet et patriae alitis congruum. Imo ſi quod aliud nomen ſubſtituiſſet, in memoriam illuſtriſſimae Principis RADZIVILIAE, Cancellarii M.

D Li-

D. Lithuaniae quondam conſortis, vehementer iniurius fuiſſet; quippe quae, pro ſua, qua erat in rem naturalem, eruditionemque omnem promouendam animi inclinatione, hanc auiculam omnium prima in lucem protraxit, atque eruditis ſcrutandam propoſuit. Quam inſignem laudem, illuſtri matronae debitam et ab Auctore eleganter dictam, nec hoc loco praetermittere taciti poſſumus.

VIII.

Continuatio epitomes quarundam obſeruationum phyſico-medicarum, in *promtuario* anglico *viris ingenuis dicato**, reperiundarum.

Quam fallax ſaepe ſit tempeſtatis imminentis vel et praeſentis iudicium, ex varia mercurii in barometro obſeruata altitudine illatum, confirmat obſeruatio hic loci adducta et a nobis etiam haud raro facta, quod nempe cum vento aquilone coelum permanſerit gratum atque ſerenum, etſi alte deſcendiſſet mercurius; contra vero factum fuerit pluuioſum, miti lenique flante auſtro, etſi is longe ſuperiorem occupaſſet locum. Num varia haec aeris temperiei ratio a variis quaſi ventorum fluminibus, ita ut v. c. inferior terraeque propinquus ventus a meridie, ſuperior autem isque vehementior a ſeptentrione venerit? p. 8.

Subitae, quae tum temporis fuerant, tempeſtatis mutationes effecerunt febres acutas et inter has in primis multas, ſi nimirum aegri calidum ſeruauerant regimen, exanthematicas, e quibus tamen, iuſto obſeruato regimine, multi euaſerunt aegri. Quibus ab initio applicata fuerant veſicatoria, ii male ſe habebant;

* The Gentleman's Magazine, and Hiſtorical Chronicle. Volume XXIV. For the Year MDCCLIV. By SYLVANVS VRBAN. Gent. London, 8. mai. c. f.

bant; ſalutaris autem eorum uſus fuit, quando debilis pulſus, eorum applicationem requiſiuerat.

p. 18. Anonymus auctor catalogum exponit omnium plantarum, quarum plerarumque flores hortos exornare ſolent, ita ut in ſex diuerſis ſeriebus, iuxta ſe poſitis, primo nomen plantae, ad ſeriem litterarum, ſecundo, partem, per quam propagatio fieri poteſt, ſcilicet vel per radicem vel per ſemen, tertio tempus, quo plantatio inſtituenda, quarto, loci, in quem planta ponenda, conditionem, quinto terrae indolem, ſexto culturae methodum, declaret.

p. 257. Faſciculo, qui menſe *iunio* prodiit, inſertae leguntur litterae Viri Cl. G. WATTS, in quibus is primae foetus iam iam in lucem editi reſpirationis cauſam indagat; deinque periculum demonſtrat, quod nimis citam funiculi umbilicalis deligationem ſequi non numquam ſolet. Ante omnia vero aliorum de illa primum facta corporis functione enarrat atque refellit opiniones, quarum prima eſt: quod aer in pulmones irruens, prima expanſi pectoris cauſa ſit. Cur is vero, inquit, non ſponte et ex eadem ratione ingreditur follem eumque diſtendit? Cur non cadaueris pulmones? Altera, quod vehementes ad edendum iam foetum oriundi nixus totum eius corpuſculum agitent, omnesque, et ideo etiam reſpirationem praeſtantes, muſculos in actionem deducant. Num autem vere et ſemper adſunt validi iſti motus? Et nonne muſculi ad reſpirationem pertinentes prius moueri obſeruantur, quam reliqui totius corpuſculi? Alia eſt ſententia Cl. WHYTT*, licet eodem fere fundamento ſuperſtructa. Ab infantis nempe nunc naſcentis violentioribus, quos ſub ipſo partu edit, motibus

* v. Ei. Treatiſe on the vital and other involuntary motions; et Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 596 ſeqq.

motibus ſanguinis circulum fieri celeriorem ; eum itaque prope ductum arterioſum copioſius accumulatum ibique ideo maiorem expertum reſiſtentiam ad ipſam potius arteriam pulmonalem determinari; a quo maiore ſanguinis in pulmones detruſi cumulo et plenitudinis, et aucti caloris, ſenſum ſiue fortiorem vaſorum pulmonalium oriri ſtimulum ſimulque, ad amouendam ingratam hancce ſenſationem, aliquem reſpirandi niſum ſeu quaſi appetitum. Attamen violentiores iſtos ſani foetus motus non facile eſſe obuios, iam monitum fuit. Neque alterum illius auctoris firmius eſt argumentum, quod vitae nimirum pabulo, ex ipſo aere hauriendo et per ſanguinem matris adducto, nunc priuatus infans, ipſe aerem in pulmones ducere cogatur. Cur vero, recte Noſter regerit, infans illico editus iam reſpirat ante, quam funis ſit praeciſus, placenta adhuc in utero haerente?

Eam itaque phaenomeni huius veram eſſe putat cauſam, quod foetus ſanus, grato uteri materni calore huc uſque fotus, nunc vero excluſus, ambientis aeris, reſpectu illius loci, quem hactenus occupauerat embryo, frigidi dicendi, vim experiens, clamores edat ideoque paulo violentius reſpiret ſiue prima vice thoracem ipſe ampliet *, recipiat aerem eumque emittat, hancque deinde corporis actionem ex aliis cauſis continuare cogatur. Qua deinde ſententia ulterius expoſita et illuſtrata, ad funis umbilicalis ſaepe nimis cito factam praeciſionem Cl. Auctor progreditur. In eo enim caſu, ubi laborioſo conamine editi foetus caput fuit compreſſum, isque ideo vitae ſigna

* Primum editi foetus actionem eſſe, ut thoracem diducat, Cl. ROEDERER quoque obſeruauit. vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 641. A frigoris autem admiſſi ingrato ſenſu ad actionem hanc excitari videri foetum, exiſtimat Ill. HALLER. v. Praelect. b. BOERHAAV. Vol. V. P. II. p. 456.

ſigna exhibet modo debilis, et ſine ſenſu iacere videtur, tum, fune ſtatim praeciſo, ſanguis omnis in pulmonibus, corde viciniſque vaſis nimium coacervatus, haecce vitae domicilia opprimit, foetumque penitus necat. Quapropter ut foetus excitati laetam antea expectet obſtetricans reſpirationem, quam liget funem, Cl. Auctor ſuadet*.

p. 265. Paulo infra non nulli enarrantur caſus aegrorum ſcrophuloſis tumoribus atque ulceribus affectorum, quos Auctor anonymus curaſſe perhibetur lenioribus ex mercurio praeparatis per interualla et in parcioribus doſibus datis remediis; ex mercurio nimirum dulci, floribus ſulphuris, ſale abſinthii, radice ialappae atque nuce moſchata, confectis, interpoſito puluere ex aethiope minerali, gummi guaiaco, lapidibus cancrorum, ſale abſinthii et nuce moſchata, et decocto ligni guaiaci inſuper propinato. Externe applicata fuerant ulceribus fomenta ex urina, cui additum fuerat ſal commune.

p. 266. Laudatur quoque ab eodem Auctore remedium ex decem granis calomel, (ita mercurius dulcis ſaepius ſublimatus vocatur Anglis,) cum duabus drachmis mellis roſati depurati commiſtis, cuius aliqua particula aegri, qui ſcrophuloſi habitus fuiſſe dicitur, oculis chronica inflammatione affectis, bis vel ter per diem applicata fuerat, interpoſitis non nunquam, propter vehementes dolores, fotibus emollientibus atque diſcutientibus. Quamuis iam viſcida alba membrana obſcuraſſet pupillam, poſt aliquot tamen menſes oculos penitus claros fuiſſe redditos Auctor perhibet. Num illud autem viſcidum membranae corneae dictae inhaeſerit; an in humore aqueo, uti inter-

* Ut ſanguinis aliqua portio emittatur ex ipſo fune, paulo rectius adhuc viſum dant alii conſilium et inter eos iam commemoratus Cl. ROEDERER. v. ibid. eod.

interdum euenire ſolet, fluctuauerit; anque interna ſimul adhibita fuerint remedia? non commemorat,

Quem ad modum vaſa culinaria e cupro parata nociuam alimentis conciliant qualitatem, ita eandem a figulinis, quorum ſuperficies plumbeo encauſto obducta eſt, expectandam eſſe exemplo quodam confirmat Cl. IACOBVS LIND, quo aliquis nimirum medicus limoniorum ſuccum in tali vaſe euaporaturus, inſignem ſacchari ſaturni copiam in fundo vaſis reperiit. Ab omni itaque uſu oeconomico ſeu alio etiam, ubi accedunt ſalia, Noſter exiſtimat remouendum eſſe hocce ſupellectilis genus, ad cuius praeparationem receptum fuerit plumbum, eique cuncta illa vaſa figulina anteponi debere, cuius ſuperficies alio modo reddita fuerit polita, qualia ſunt v. c. porcellana Sinica: ad non nullorum enim Europaeorum praeparationem plumbum aſſumi opinatur. Quorundam etiam meminit anglicorum fictilium, quae ita incruſtari narrat, ut ſal commune vel marinum, illis in furno poſitis atque candentibus inſpergatur, cuius acidi vapores eorum ſuperficiei inhaereant eamque reddant vitream. p. 177.

Acida, quem ad modum in genere omni reſiſtunt putredini, ita etiam contra carcinomata taliaque ulcera cum fructu adhiberi per experientiam conſtat, adeo ut, ſi aliquando ſpecificum aduerſus dirum hunc morbum inueniretur, ad hanc claſſem pertinere illud debere ſuſpicamur. Quam ob cauſam remedii nunc exhibituri ſumus notitiam, in faſciculo menſis *iulii* reperiundam, quae ſuperiorum iuſſu in Virginia publici iuris facta fuit, poſteaquam ii tentaminum cum illo faciendorum curam demandauerant non nullis viris, qui de exoptato eorum ſucceſſu qnoque ad illos retulerunt. Totam itaque formulam, prout ibi legitur, iam transſcribere iuuabit: p. 316.

Recipe

Recipe quartam modii Anglici partem acetoſae hortenſis (*a peck of garden ſorrel,*) et dimidio huius portionis paulo maiorem quantitatem chelidonii maioris (*celandine*); contunde utramque hanc plantam in mortario et exprime ſuccum per purum aliquod linteum in vaſculum e ſtanno, cui plumbum admiſceri ſolet, confectum (*a pewter baſon*). Interioris deinde corticis cuiusdam arboris *perſimon* dictae*, ab illa arboris parte, quae ſpectat meridiem, deglupti manipulum paulo maiorem tere in puluerem tenuiſſimum, adde parum aquae fontanae et per horae tempus ſepone tumque ſuccum mediante linteo expreſſum illi priori admiſce. Piſtillum poſtea ferreum redde candens, eiusque ope quatuor aluminis uncias cum utroque illo ſucco commiſce. Quo probe facto, vaſculum expone radiis ſolis, donec omnis auolauerit humiditas, remanente tantum puluere, quantum demum fieri poterit, ſicco facto; quapropter bis vel ter quouis die agitari debet. Is, ſi factus fuerit nimium albus atque friabilis, (*crumbly*) eidem denuo ſubiici debet operationi, addita illorum ſuccorum pauca quantitate, aluminis autem e contrario, ſi durus nimis atque tenax (*ſticky*) ſit, in utroque caſu ſolis aeſtu iterum exſiccandus. Recte tandem ſi fuerit praeparatus et ſimplicia, quae hancce ingrediuntur compoſitionem, iuſtam inter ſe habeant rationem, medio quodam die aeſtuoſo, minime vero ſub eius ortum vel quoque finem, in tenuiſſimum redigatur puluerem, qui medio die calido atque ſicco apparebit ſubalbidi coloris, minus vero candidi matutino tempore. Aptiſſimum praeparando huic pulueri tempus erit ſub exitum menſis maii vel iunii initium. Ad

* In detegenda vera huius vocis ſignificatione multum quidem ſtudii atque diligentiae, ſed fruſtra, adhibuimus. An forte mali limoniae quoddam genus, quod dulciores fructus ferre ſolet, ſubintelligendum?

Ad pulueris eius uſum aliqua ſic dicta aqua requiritur, quae ſequentem in modum praeparari iubetur:

Recipe interiorem corticem et radicis tum ſaſſafras tum ligni campechini (*logwood*) et quercus Hiſpanicae, eo in loco, qui meridiem reſpicit, degluptum; ſinguli corticis manipulum unum vaſi inde lapideo et coque in ſpiritus *rum* dicti (ex arundine ſaccharifera praeparati), menſura una (*gallon*), ad quartae partis remanentiam; illum deinde liquorem effunde et ſufficienti mellis quantitate redde dulcem, cui inſuper admiſce ſpiritus terebinthinae minorem aliquam doſin*, in quo aluminis optimi quantitas, quae nucem aequat moſchatam maiorem, et vitrioli albi, quae dimidio minor eſt, ſoluta fuit.

Aqua haec atque ille puluis ſequenti ratione applicari docentur:

Inſpergatur puluis parti affectae, quae puro deinde neque carpto cooperienda erit linteo, in illam aquam intincto, quae antea in oſtrearum aliqua teſta calefacta fuit. Applicetur tandem lamina quaedam plumbi tamque arcte alligetur, ac aeger demum tolerare poterit. Hac ratione omni mane debet continuari, et, quoties deligatur ulcus, hoc ſedulo abſtergi; omnisque aer ſummopere ab illo arceri. Nec alia aqua ulla, praeter iam iam commemoratam, tangat ulcus, vel ſi maxime illud iam ab aliquo tempore ſanatum eſſe videatur. Recrudeſcere enim ſolent iſti cancri, quorum curatio nec ſtudioſe neque radicitus fuerunt curati. Febribus aluique ſegnitiei obnoxii non raro fiunt tales aegri, qui una ideo alteraque vice purgari debent pilulis *ex duobus* dictis **, absque ullo

* *Half a gill* nominatur in anglico textu illud pondus, cuius veram et accuratam ignorare nos determinationem, lubenter fatemur.

** Conſtant ex Colocynthidis et Scammonii partibus aequa-

ullo tamen mercurio. Qui ſanguine abundant, iis conducunt aliquot pilulae quouis die datae ex conſerua roſarum rubrarum et venae ſectio interdum repetita. Non nunquam accidit, ut in iſta carcinomata, ab ipſa curatione propiora viſa, ſanguinis nimium irruat, quo in caſu iuuat emplaſtrum ex cedro ita praeparandum, ut quaedam eius folia in furno ſubcalido tantum reddantur arida inque puluerem terantur per cribrum, ut ſubtiliſſimus fiat, transiiciendum, qui deinde cum melle ad talem conſiſtentiam miſcendus erit, ut emplaſtri loco imponi poſſit, cuius ope ſanguis ille reprimetur. Caue autem, ulli ne corporis cuiuscunque ſexus parti, infra ventriculi regionem ſitae, applicetur. Per totum quoque curationis tempus ab omni potu ſpirituoſo omnique alimentorum genere, aromate acri condito, ſollicite ſeſe abſtineat aeger, atque potus loco in genere utatur infuſo ex radice betae (*beet-root*) praeparando.

Primariis ad cancrum curandum indicationibus conuenire hanc formulam ſatis patet, quae ita quidem ſe habet, ut, quae eam ingrediuntur, remedia ſimplicia dicta in omnibus forte locis non ad manus ſint, quibus tamen a prudente medico et medicamentorum et eorum agendi rationis atque virium gnaro, alia ſuo tempore ſubſtitui facile poterunt. Cautae nunc relictum eſto experientiae, num haec illius virtutem ſemper confirmatura ſit.

p. 330. Veſpa deſcribitur, ab Auctore *Maſon-Fly* dicta, quod ad lacus ex argilla variisque aliis rebus aedificare ſolet celluloſum opus, in quod, cum nunquam reuerti ſoleat, qui aliarum veſparum mos eſt, ouula tantum ponit, quae a calore excluſa, ex vermiculo in veſpam iterum commutantur et auolant. Imperfecta

aequalibus, parte triceſima ſecunda olei caryophyllorum, cum ſyrupo de Ceruiſpina ſubactis.

ꝏa tamen deſcriptio eſt, nulla colorum expoſitio, icone addita aliquantum illuſtratur.

Omnium fere primam, de multis eisque ut ſimpliciſſimis, ita et ſaepe tutiſſimis, quam habemus medicamentis, cognitionem ſoli debemus experientiae: quapropter eo lubentius eorum remediorum factam repetimus mentionem, quae apud populos artium ſcientiarumque ignaros, et ſolius tantum inſtinctibus naturae viuere viſos, contra morbos prae aliis obuios in uſu eſſe legimus. Relationem itaque viri, p. 351. ex Groenlandia reducis, commemoramus, qua ſcorbutus ibidem magnam ſaepe ſtragem facere dicitur, contra quem incolae herbam cochleariae (*ſcurvy-graſſ*) atque acetoſae (*ſorrel*) adhibeant, ita tamen, ut, quemadmodum utraque planta numquam ibi ſeparatim, ſed ſemper in uno ſimul eodemque agro creſcere obſeruetur, ſic etiam utraque ſibi iuncta in uſum vocetur remediumque inde fiat vix non ſemper aduerſus ſcorbutum ſalutare; etſi ſingula herba non idem praeſtet. In iuſculo ex auium vel cerui rangiferi (*raindeer*) carne confecto coquuntur illae, addita vel hordei vel auenae farina, quo aluus ſolui, putridique humores multo lenius, ac ullo alio remedio, expurgari dicuntur.

In Hibernia prope *Wicklow* * fons quidam eſſe p. 355. fertur, ſaporis valde acidi atque coloris dilute coerulei, qui ferri fruſta in ipſum immiſſa cupro incruſtare, quin immo poſt aliquod tempus in hocce metallum prorſus immutare dicitur. Vt modus igitur, quo id fiat, perſpici poſſit, ſequentia ideo ab Auctore anonymo facta ſunt tentamina. Phialae longo apertoque collo inſtructae immitte limaturae cupri aliquam

* De hoc fonte vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. pag. 54. P. II. p. 122. Vol. IV. P. III. p. 393.

aliquam copiam, duploque maiorem olei vitrioli infunde quantitatem. Cum magna illico ebullitione exſurget fumus, ipſaque ſolutio colorem acquiret elegantiſſime coeruleum. Prima hac cupri portione ſoluta, aliam eius ſuperadde, donec ebullitio ceſſet ideoque prorſus omne abſorptum ſit acidum. Liquore decantato atque ſepoſito, cryſtalli apparebunt grate coeruleae, quae ſunt verum cupri vitriolum idemque ac illud commune, a quo deinde illud acidum ſequenti modo ſeparari poterit. In pura nimirum aqua ſolue aliquam illius vitrioli quantitatem huicque ſolutioni aliquot inde clauos ferreos puros, qui paulo poſt metallica quadam cuprei coloris obducentur cruſta, quae verum eſt cuprum malleoque tractari et igne fundi poteſt; acidum vero deinde cum ferro ſe unire pergit, donec omne cuprum fuerit praecipitatum. Ex hoc igitur corroſo ferro orietur vitriolum, *ſal Martis* ideo appellandum, quum viridem ſolutio iſta nanciſcatur colorem, ab additis vero adſtringentibus atrum; ſuperficiei innatet ſpuma ferruginea eiusdemque indolis ſedimentum fundum petat. Inde ſequitur, ut acidum vitriolicum fortius attrahatur a ferro, quam a cupro retineri poſſit. Cuprum enim, priore modo ſolutum, in aqua ſolui poteſt, uti aliud corpus ſalinum; a ferro autem addito attrahitur acidum cumque hoc ſuſpenſae illae particulae cupri, donec illius ſuperficiem attingat acidum. Illud nunc itaque cupreo ſalinum corpuſculum euaneſcit, et, cupro ſeparato, acido autem cum ferro unito, vitriolum martis oritur in aqua ſuſpenſum, derelictum vero cuprum vel ſuperficiei illius ferri adhaeret eamque omnem ambit, vel ad fundum deiicitur. En modus, quo illud apud iam dictum fontem apparens phaenomenon explicari poteſt! Vnde vero, pergit Cl. Auctor, ſingularis ille *niſus in contactum* acidum inter atque ferrum? Vera omnino latet cauſa; ex principio certe illo de grauitate ſpecifica deriuari nequit,

nequit, quum haec cupri ad illam ferri circiter eſſe conſtet, ut 8:7; vis itaque cupri ad retinendum acidum octaua parte maior eſſe deberet, quam ferri, quum attractionis nimirum vis ſemper, caeteris paribus, in ratione quantitatis materiae eſſe ſoleat. Finit tandem hunc commentarium Cl. Auctor, cupri uſum medicum contra illos defendens, qui ſemper et ſine addita aliqua limitatione illum eſſe putant noxium atque deleterium.

Obſeruationes phyſicae microſcopii ope factae p. 361. leguntur in eodem faſciculo menſis ſextilis, de quibus, uti haud prorſus incognitis, nihil quidem iam adducimus, illud tamen ſilentio praeterire nolumus, quod Cl. Auctor in experiundi arte non imperitus viſus, aſſerat, animalcula iſta in aceto aut variis plantarum infuſionibus obuia putrefactionis ideo non eſſe poſſe effectum, quod per experientiam conſtet, in vaſis probe obturatis talia non apparere.

Non quidem frequens, quam maxime tamen p. 362. ardua eſt obſeruatio Auctoris cuiusdam anonymi, qua is ad infantem quatuordecim tantum dies natum vocatus, in eius ſuperiore parte oſſis parietalis dextri lateris deprehendit tumorem, minoris oui gallinacei magnitudinem aequantem, attactu quidem mollem, absque fluctuatione tamen ſubtus percipienda et ſine immutato integumentorum colore, qui breui tempore poſt partum obſeruatus, maius ſenſim ſenſimque acquiſiuerat augmentum. Ab initio ecchymoſin eſſe hunc morbum Cl. Auctor exiſtimauit; huius autem cum ſuſcipere vellet curam ideoque curatius adhuc inueſtigaret tumorem, acutum oſſis marginem circum undique detexit indeque collegit, in conformando hoc oſſe naturam ſuum officium adhuc nondum expleuiſſe, cerebrumque ideo hic loci non ſatis compreſſum, ab infantis perpetuis clamoribus atque vio-

 lentis

lentis motibus propulſum indeque hunc tumorem efformatum fuiſſe, quam Auctoris ſententiam felix curationis ſucceſſus comprobauit. Per faſciam enim moderate adſtrictam fotusque roborantes tumor iſte ſenſim ſenſimque ſubſedit, intraque quatuordecim dierum ſpatium prorſus euanuit. Quamuis enim hoc breui tempore oſſis defectui haud mederi potuiſſe naturam quilibet facile perſpiciat, iſta tamen inuolucra eum denſitatis gradum potuerunt nanciſci, ut ulteriori cerebri protruſioni reſiſterent. Similis obſeruatio in obſeruationibus a b. LE DRAN * editis legitur.

p.410. Cl. IO. HARRISON in faſciculo menſis *ſeptembris* deſcribit veſpam minorem, pedibus ſex, ad corpus nigris, mox luteis, ad extremum cinnamomi colore: in abdomine annuli ſex vel ſeptem lutei, transuerſi, interſtitiis nigris. Ad parietes viridarii ex tenui materia ex nigro cinerea habitaculum tales efformarunt, roſae magnitudine, ad baſin rotundum, ſuperius acutum. Quae in exſtruendo hoc opere animaduerſa fuerint, a Cl. Auctore exponit et in nota addita adnotauit Cl. Editor, a vulgari veſpa nullam eſſe differentiam, niſi quod haec veſpa luteum habeat colorem in ea parte, quae in aliis eſt nigra, et vice verſa.

p.463. Quae de ſexu plantarum a Cl. CAROLO ALSTON, faſciculo, menſi octobri deſtinato, breuiter exponuntur et pulueri antherarum facultatem, plantarum ſemina fertilia reddendi, denegant, ea melius uberiusque declarata leguntur ab eodem Auctore alibi **.

In

* vid. Obſervat. I. p. 1 ſeqq. edit. Pariſ. 1731. 8.

** vid. Eſſays and Obſervations phyſical and litterary. Read before a Society in Edinburgh. Vol. I. 1754. 8. p. 205. Conf. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 58.

In ultimo tandem, qui menſe *decembri* prodiit p. 543. faſciculo, legitur commentarius Cl. HALES, quo indefeſſus ille vir, naues, homines atque merces a peſtis contagione tuendi methodum proponit. Vnum pluraue nimirum foramina diametri octo pollicum ſub inferius nauis conſtratum incidantur per latus vento oppoſitum (*windward ſide*) ſinguloque eius immittatur inflexus tubus ferreus eiusdem diametri, infra cuius inferiorem ampliorémque extremitatem poſitum ſit vas foculi in formam conſtructum, in quo ſulphuris atque carbonum quinquaginta pondo comburantur, ut acidi inde exſurgentes vapores nauem totam impleant, nautis, ne ſuffocentur durante ſuffitione, ideoque ut in libero aere ſint, ad ſummam nauis partem ablegatis, quorum etiam veſtimenta ſuffiri, poſt vero in aqua ſalſa deinque in pura elui debent. Ipſi quoque homines ſalſa aqua lauentur hisque ſimul remedia dentur contra peſtem proficua. Fumigandi etiam ille modus in iis nauibus poterit eſſe utilis atque neceſſarius, in quibus aliae malignae atque contagioſae febres ſaepe graſſantur.

Homines autem, qui ſuffitus eius actionem ſubire debent, et fortius, et eo quoque modo, ne in aliquod incurrant periculum, ſuffumigentur. Capillis itaque eorum praeciſis praegreſſaque lotura aceto facta, oculi, nares atque aures, cooperiantur linteis complicatis inque ceram igni liquefactam antea intinctis, et ſuper haec pannis aſperioribus, in lixiuium alcalinum forte antea immerſis deinque probe expreſſis. Tubos deinde trium vel quatuor pollicum longitudinis, in feneſtrarum valuis vel ipſis potius nauis parietibus applicatos ibique traiectos, recipere iubentur in os, ut, dum incenditur ſulphur et donec iterum patefieri poſſint fores, tamdiu per eos reſpirent.

Eo quoque tempore, quando merces deportantur in nauem vel haec iis exinanitur, ſulphuris ea in-

cendi debet copia, quae a nautis huc et illuc euntibus ferri poterit.

Multum quoque ad arcendam contagionem facere videtur ille mos, quo panni in acetum intincti in variis nauium locis ſuſpenduntur, praeſertim ſi ventilatorum ope effoetus aer expellatur atque corrigatur. Fumigatio ipſa et grauior et leuior eſto, quo maior vel minor imminentis periculi metus eſt, fierique antea debet, quam homines exponuntur in terram, repetique poteſt, nauibus iam exoneratis.

Quodſi vapores iſti acidi vere contrarientur particulis peſtiferis aliisque malignis, vel aeri vel hominum multitudini inhaerentibus, uti certe a veritatis ſpecie haud alienum eſſe videtur, in aliis quoque locis v. c. noſodochiis publicis, ubi ſimilis metuenda saepius erit infectio, cum fructu applicari poſſe candem ſuffitionem facile apparet.

p. 549. Variolas arte ipſa excitare optimum huc usque fuit remedium, tutum a periculo inde metuendo praeſtandi genus humanum. Quo etiam factum eſſe videtur, ut ulteriorem vaſtationem, quam longo iam tempore per magnam Europae partem effecerat lues, inter armenta atque boues in primis obuia, ſimili quoque modo depelli poſſe non nulli crederent in Anglia, ideoque facerent tentamina ſequenti modo. Ab initio ſanguis, inciſa vena, detrahebatur animali, hocque ipſum ab eo tempore ad perfectam usque ſanationem ab uſu foeni omnisque ſicci pabuli arcebatur; e contrario autem, ut aluus eius libera ſeruaretur, furfures aut ſtramenta minutim conciſa et aqua feruida perfuſa ipſi porrigebantur. Poſt tres deinde dies anterior aliqua colli pars incidebatur, inque hoc inflictum vulnus immittebatur aliqua ſtupae copia, intinctae antea in morboſam iſtam materiem, e naribus vel oculis alius aegroti animalis profluentem, quae ſtupa, vulnere conſuto, donec ingruentis morbi apparerent

parerent ſymptomata, in eo relinquebatur, tum autem ex eo eiiciebatur ipſumque animal educebatur in viride paſcuum.

Hac experiundi ratione Anglus quidam uſus fuit in octo vitulis iunioribus, quorum ſeptem quaeſito morbo infecti ſunt. In alio vero loco bos vetulus tentamini ſubiectus eodemque inde morbo correptus fuit. Quae tamen animalia cuncta conualuere ſemperque deinde manſere tuta atque a nouo morbi inſultu libera, licet iterum iterumque aegrotanti gregi immitterentur.

IX.

A Treatiſe of Midwifery, chiefly with Regard to the Operation. With ſeveral Improvements in that Art. To which is added ſome Caſes and Deſcriptions with Plates of ſeveral new Inſtruments both in Midwifery and Surgery. By BENIAMIN PVGH, Surgeon at Chelmsford in Eſſex. London. Printed for I. Buckland. MDCCLIV. 8. mai. pl. 10½. tab. aen. 11.

i. e.

De arte obſtetricia tractatus; auxilii potiſſimum chirurgici habito reſpectu et variis interſperſis artis illius emendationibus. Accedunt non nulli caſus atque nouorum aliquot inſtrumentorum in arte tum obſtetricia, tum chirurgica, utilium deſcriptiones cum additis iconibus. Auctore BENIAMINE PVGH, Chirurgo.

Eum quidem finem, ut omnia, quae ad artem obſtetriciam pertinere videantur, explicaret, propoſitum ſibi non habuit Cl. Auctor, ſed ut ea potius,

quae per quatuordecim annorum praxin in bis mille fere caſibus certa et utilia, vel huc uſque iam cognitis artis dogmatibus praeferenda obſeruauit, publico uſui exponeret; pernicioſa potiſſimum non nullorum obſtetricantium agendi ratione commotus, qua illos nimirum ſaepius absque ulla neceſſitate, foetus, dum, capitibus eorum compreſſis, eos extrahunt, enecare audiuerat. Ad hocce enim durum confugiendi artis auxilium rariſſimam dari recte iudicat occaſionem ſibique per quatuordecim annos numquam, antea vero bis tantum obuiam factam. Plurima et ea quidem potiora artis capita perluſtrat, uti illico apparebit, quum ea iam enarrare velimus: in iis tamen ſaepe breuis eſt, eaque tantum monet, quae prae aliis ſcitu eſſe putat neceſſaria, reliquis omiſſis: qua in re quin laudemus eum, facere non poſſumus, quum multorum, qui de aliqua re ſcribunt, etſi noua quaedam afferant, is tamen fere noxius eſſe videatur mos, ut omnia, quae ipſorum argumentum aliquo modo attinere videantur, conquirant ideoque notiſſima et centies dicta repetant, librorum numerum praeter omnem neceſſitatem augeant ſaepiusque id efficiant, ut, quae vel noua vel certe rectius habent cogitata, eo magis lateant, quo minus inſignis iſta voluminum farrago ab omnibus artis alicuius cultoribus perlegi atque examinari poterit. Omni quoque laude dignus eſt Cl. Auctoris candor, quo nihil, quod melius ac antea agi poſſe, vel ipſum ſe inueniſſe credidit, reticere aut in aliam occaſionem reſeruare voluit, et quo iuniores chirurgos atque obſtetricantes humanitatis atque honeſtatis officia in praefamine docet horumque ſemper eſſe memores iubet. Quam ob rem etiam inſtrumenta, quibus a ſe vel nouiter inuentis, vel minimum correctis, ſuoque nimirum uſui magis accommodatis, cum in hac arte, tum in aliis quoque caſibus chirurgicis, uti dicit, accurate delineata ſiſtit eorumque uſum ſatis fuſe exponit.

Eum

Eum igitur in conſcribendo hocce libro adhibuit ordinem, ut exponat *primo capite* modum atque tempus, quo os uteri internum attrectatu explorari debeat; *ſecundo*, diuerſum parturientis ſitum, et in naturali et praeternaturali partu obſeruandum, *tertio*, abortum et, quod eum comitari ſolet, ſanguinis profluuium; *quarto*, naturalis atque facilis partus hiſtoriam; *quinto*, de extrahendis ſecundinis et ſanguinis ſubſequente profluuio; *ſexto*, de illo caſu, ubi duo pluresue adſunt foetus; *ſeptimo*, de conuertendo foetu, modoque ac tempore pedibus eum attrahendi; *octauo* de ſignis atque extractione foetus mortui; *nono*, de iſto caſu, quando vaginae vel uteri prolapſu laborat parturiens; *decimo* ad *viceſimum* usque *ſecundum* de difficilis partus generibus a malo quarum demum cunque partium foetus ſitu vel nimis grandi capite, vel ipſius quoque parturientis nimium anguſtis genitalibus ortis; *viceſimo tertio*, de foetus capite in utero relicto, *quarto*, de mola, *quinto*, de operatione caeſarea dicta, tandemque *viceſimo ſexto*, de perinaeo disrupto vicinisque partibus vexatis. Quatuor deinde notatu digni viſi enarrantur caſus, quos tandem excipiunt inſtrumentorum, quae delineata ſiſtuntur, deſcriptiones, incuruae nimirum forcipis, alius deinde forcipis ad extrahendum abortum commendati; flexilis canalis aeri inſpirando accommodati; laquei generis ſuper infantis pedes iniiciendi; machinae cuiusdam, admodum compoſitae viſae, ad infantis caput, ſi relictum fuerit in utero, extrahendum; duplicis machinae, pedis femorisque oſſibus fractis atque repoſitis in iuſto ſitu continendis inſeruientis; alius deinde ad luxati humeri os reponendum excogitatae; tandemque ſcalpelli ad ani fiſtulam commendati.

Aliqua nunc ſubiungere liceat ex ipſo libro paſſim excerpta. Ad explorandum os uteri duobus, p. 1.
quam uno, digitis uti mauult Cl. Auctor, quum dia-

metrum eius emetiri partiumque harum rationem inueſtigare certius binosque digitos altius, quam unum, inferre poſſit. Aptiſſimum explorandae feminae ſitum putat eſſe in ſiniſtro ipſius latere, adductis verſus ventrem feminibus. De variis illis indiciis, quae per tactus operationem per varios grauiditatis menſes repetitam, de foetus praeſentia, habitu et incremento, habere atque colligere poſſumus, nihil eum dicere miramur.

p. 6. Reſupinum parturientis ſitum in partu naturali minus eſſe commodum, uti et illum in ſella perforata, propter frigus infimo ventri facile admiſſum; erectum vero, ſuperiore corporis parte paululum inclinata, ſaepius aptum; minus autem illum, ubi genu procumbit femina; magis tamen eum in longo potiſſimum partu, ubi alius feminae in acclinatorio poſitae inſidet gremio; omnium vero optimum plurimisque caſibus conuenientiſſimum iudicat eum, quo ſiniſtro lateri incumbit parturiens et obſtetricans dextra utitur manu. Ex transuerſo autem ſuper lectum collocetur femina, quando inuerti debet foetus, ut ſiniſtram adhibeat chirurgus, dextram vero inter femora porrectam abdomini imponat lenique preſſione alteram manum iuuet.

p. 17. Membranae quidem, foetum inuoluentes, optime disrumpuntur a natura ipſa; non numquam tamen accidit, ut praegrande foetus caput propulſum, viam praecludat aquis hincque illarum rupturam reddat difficilem; vel quoque ut earum textura tam firma craſſaque ſit, ut motibus illis ad excludendum partum ortis reſiſtant; quibus in caſibus eas digitis ſuis aperire debet tutoque poteſt obſtetricans.

p. 20. Quando aliqua iam capitis pars ad externum usque orificium ſiue labia peruenit, funis autem collo ſemel tantum circumuolutus retardati partus cauſa eſt, ſatis ille adhuc longus eſt, quo reuolui poſſit; ſi vero duplex, quin et triplex ſit circumuolutio: dolores

res magna cum vehementia urgent atque periculum efficiunt, ne ille proxime rumpatur a placenta. Itaque forſex obtuſi immittatur acuminis praeſcindaturque funis absque haemorrhagiae metu; illico tamen deinde protrahatur foetus, debita eius atque funis cura habita. Cautiſſimos eſſe illos Cl. Auctor iubet, p. 23.
qui in eo caſu, quando caput iam deſcendit in vaginam doloresque nimis ſe remittunt mulierque debilis eſt, in anum eius intrudant digitum, hocque inflexo maxillaeque foetus inferiori impoſito, foetum propellere conantur. Metus enim facile oriri poterit, ne vagina aeque, ac inteſtinum rectum vexentur, quin et dilacerentur. Tutius erit, ſi dolores langueſcant neque propius accedat caput, inter parturientis femina porrigere dextram manum, eiusque pollicem unius lateris inguini, reliquos autem digitos alteri imponere, manu nimirum ſupra oſſa pubis extenſa foetusque capite comprehenſo. Quoties deinde nixus oritur ad partum, is manu hac impreſſa iuuetur; quo auxilio et breuiores et fortiores redduntur iſti dolores faciliusque foetus excluditur.

Ab eorum partibus ſtat Cl. Auctor, qui, ſecun- p. 27.
dis non facile ſubſequentibus, manum paulo poſt editum foetum immittere iubent in uterum illasque caute diducere vel potius deglubere, praeſertim ſi valde adhaereſcant, vel funis iam putridus a ruptura propior ſit; ea tamen ſemper obſeruata lege, ut dextra manus imo ventri impoſita ſit, uterusque ideo in ſitu ſuo contineatur alteriusque manus in utero detentae actio leni preſſione adiuuetur. Quid? Quod poſt unum alterumque ab edito iam partu diem, quin et tribus vicibus poſt tertium aduocatus, Noſter absque multa difficultate eo modo adhuc extraxiſſe placentam afferat. Ab ea tamen putrida facta tamdiuque relicta, uteroque inde inflammato, una alteraque femina poſt quartum quintumue diem periit. Extractas ſecundinas ſequitur ſanguinis profluuium, quod, ſi a pla-

a placentae parte vel ſanguine grumoſo relictis oritur, his excuſſis imminuitur; ſi vero ab ea neutra cauſa fit, praeter internorum remediorum uſum ſplenia in frigidum acetum vel adſtringens decoctum intincta, abdomini et pubi applicata, tandem vero adſtringentes iniectiones in ipſum uterum immiſſas, requirit, ſi nulli alii remedio cedere voluerit.

p. 33. Plures uno ſi reperiantur foetus, hoc excluſo, immediate reliquos conquirat obſtetricans, eosque, velamentis digito disruptis, pedibus attrahat.

p. 49. Methodo, qua foetus facillime inuerti atque extrahi queat, accurate enarrata; ſub finem alicuius periculi meminit Auctor, quod adeſſe opinatur, quando foetus ad caput usque protractus ſit funisque propendeat, ne ab hoc compreſſo ſanguinis circulatio inter matrem atque foetum tollatur. Quam ob rem ſiniſtrae manus digitos in vaginam ad naſcentis pectus, tum vero in eius os, quoad demum fieri poſſit, ut linguam deprimat, eo modo immittere iubet obſtetricantem, ut manu ſua inteſtinum rectum aliquo modo reprimat, hacque ipſa parum modo incuruata aeri conciliet aditum in infantuli fauces atque pulmones; qua ratione ſe multos ſeruaſſe foetus exiſtimat et aſſerit, morti alias obnoxios facile factos. Iis tamen, quos in utero adhuc ſpiritum duxerint, crebrius accidere fatetur, ut in lucem editi non illico reſpirent, quapropter omni ſtudio eos excitandos eſſe monet. Ante vero, quam in enchireſi iam iam deſcripta verſatus fuerit, aliquem ſe dicit excogitaſſe canalem, hic quoque delineatum, craſſitiei caulis pennae cygneae ex filis ferreis tenuibus confectum et aluta obductum, cuius tamen uſui ſuos nunc digitos praeferat.

p. 51. Quodſi vero eueniat, ut caput infantuli vel propter nimis magnum ſui volumen vel locorum anguſtias protrahi nequeat, laeuam manum in loco ſuo detineat chirurgus, obſtetricantem vero vel aliam feminam

minam robuſtam ad parturientis latus in genubus collocet, quae eius abdomen brachiis ſuis comprehendat, ipſe vero dextra ſua, abdomen tangendo, infantuli caput quaerat, ſique hoc non in iuſto ſuo, ſed alio, loco inueniat, tum huic imponat illius feminae utriusque manus palmam hacque partem illam deprimi iubeat, ipſe autem eodem tempore foetum prehendat ſuoque modo protrahat; id, quod ideo facile fieri poſſe Cl. Auctor contendit, quoniam infantuli caput ut plurimum ſine noxa aliquo modo comprimi queat. Qua conuertendi et extrahendi foetum, ipſique conciliandi aerem, methodo, ſuaeque incuruae forcipis, illa niſi ſola iuuerint auxilia, adhibitae uſu, expectatam ſemper ſe attuliſſe opem absque cruentae alicuius umquam ſuſcipiendae operationis neceſſitate, aſſeuerat.

Si de foetu, num viuat, an mortuus ſit, iudicare velimus, omnia probe inter ſe conferenda ſunt ſigna, quorum tamen certiſſimum dat foetor cadauerosus; licet negari nequeat, non numquam accidere, ut, foetu iam mortuo, eius tamen integra maneant velamenta neque effluant aquae, hinc per aliquot adhuc interdum ſeptimanas omnis putredo ab embryone arceatur. Quodſi vero de eius morte quoque conſtet, ſatius tamen eſſe videtur, naturales ad partum dolores expectare, quam vi quadam adhibita eum accelerare. In eo interim caſu, ubi manus quoque requiritur auxiliatrix, eorum probari non poteſt conſilium, qui uncum immediate applicare iubent, quin facilius aeque ac tutius pedibus prehendi queat foetus ſicque educi; id, quod tamen caute fieri debet, ne putridi foetus caput laxius abrumpatur. p. 59. p. 64.

Relaxatis quidem uteri ligamentis, vaginae ipſiusque non numquam uteri oriri poterit prolapſus; quo fit, ut eius orificium, quod dilatari debebat, verſus vaginae orificium deprimatur; quare digitis illum caute attollat chirurgus, donec caput perruperit, p. 67.

tumque

tumque illos ad huius utrumque latus apponat, ut utero reſiſtat deſcenſuro foetusque tuto propellatur. Illico deinde manum immittat in uterum leniterque ſoluat placentam, accuratam imperans puerperae quietem per aliquod tempus obſeruandam.

p. 69. Multi artis obſtetriciae doctores obliquum uteri ſitum inter cauſas difficilis partus referunt: Noſter tamen, num is vere detur, dubitat, eumque menti repraeſentare ſe non poſſe fatetur. Obſeruationes tamen anatomicae, niſi fallimur, in feminis potiſſimum obuiae, quae trunci aliquam partem habent diſtortam, vel obeſae quoque ſunt ſaepiusque iam pepererunt, contra eum pugnare exiſtimauerimus; ita, ut uterus nimium vel anteriora verſus, ſuper pectinis oſſa, propendere, vel quoque reſupinatus eſſe, vel in alterutrum quoque latus inflecti poſſe deprehendatur; etſi frequentiſſimam difficilis partus cauſam vel in ipſo foetu male compoſito, vel in matris pelui male conformata, unde tamen ſaepius quoque uteri obliquitas, obuenire lubenter concedamus.

p. 71. Ex utiliſſimis omnino eam eſſe intelligimus tractationem, quam caput undecimum comprehendit, de magno nimis foetus capitis volumine vel nimium anguſta malaue peluis conformatione, capite valde coarctato ſeu inclauato dicto, indeque orta neceſſitate inſtrumenta non nunquam vocandi in auxilium, quorum tamen uſum et cautiſſimum et rariſſimum eſſe debere iuniores monet obſtetricantes, quando nimirum aliud prorſus nullum habere poſſit locum. Tum vero optimum iuuamen expectari poſſe dicit a ſua forcipe, cuius laminae excauatae paululumque incuruae ſunt, ad mediam ſui partem, ut firma ſit earum coniunctio, cochlea inſtructae; qua in re contra Cl. SMELLIE diſputat, qui vittam aliquam line-
p. 88. am illi fini ſufficientem eſſe dixerat. Quodſi autem aliquando accidat, ut capitis imminuendi voluminis extrema urgeat neceſſitas, tum incuruo ſatisque lon-

go

go uti docet ſcalpello, ad extrahendum vero corpuſculum alia illi priori valde ſimili forcipe, quippe cuius laminae tantum in ſuprema ſui parte uncum habent, quo ipſa cranii oſſa tuto prehendi poſſint.

In omni fere partu praeternaturali funis umbilicalis ſolet prolabi; unde periculum eo in primis caſu, ubi ſequitur caput vel una protruditur. Itaque in uterum iubent eum reiicere Auctores, Noſter autem pedes illico conquirere foetumque attrahere; quum ille numquam in eo iterum retineri queat. p. 110.

Sic dictas molas ad uteri tantum morbos refert, quoniam ut plurimum inter quadrageſimum et quinquageſimum aetatis annum occurrere ſoleant. Attamen, ſaepius in iunioribus feminis illas nos obſeruare meminimus; quare hanc rem optime adhuc explicaſſe credimus Cl. ROEDERER, qui veram conceptionem eius generis molae primam eſſe cauſam, nutritionem autem foetus variis ex cauſis impediri poſſe, ideoque ſecundinas nimium ſuccum nutritium recipientes in informem talem formam excreſcere, deleto fere foetus corpuſculo *. p. 115.

Perinaeo disrupto, ſi ad anum usque penetrauerit ruptura, ſuturam applicat Cl. Auctor atque fotus ex aequalibus lactis ſpirituque vini vel frumenti (*brandy*) partibus paratos. Quatenus haec ſibi conueniat miſtura, iam diiudicare nolumus. p. 119.

Ex illis quatuor caſibus, quos libro Cl. Auctor addidit, primus concernit aliquem tumorem cyſticum margini oris uteri interni accretum, qui baſi ſua digiti craſſitiem, volumine autem illud oui gallinacei maioris aequauerat, foetus imminentis excluſionem prorſus cohibens, et quem, filo antea ipſi iniecto, feliciter extirpauerat ſcalpello, foetu deinde poſt horam p. 121.

* vid. Comment. Societ. Scient. Gottingenſis Tom. II. ad ann. 1752. p. 354 ſqq. et Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 711.

ram edito. Sanitati prorſus reſtituta femina, aliquoties adhuc partum enixa fuit.

p. 123. Alter caſus exponit hiſtoriam mulieris cuiusdam viginti duos annos natae, gemellis grauidae hydrope aſcite ſimul affectae, cui, internis medicinis incaſſum adhibitis, aquam eduxit Auctor per paracenteſeos chirurgiam; quo facto, partus negotium feliciter fuit abſolutum, aqua vero denuo in ventrem contracta, remediis et purgantibus et diureticis euacuata fuit. Aegra inde ſanata quinquies poſtea peperit.

p. 129. Similem caſum tertius exhibet articulus feminae octo et viginti annorum, grauidae, poſt paracenteſin foetum feliciter quidem enixae, eandem vero deinde chirurgiam aliquoties expertae, tandemque placida morte extinctae.

p. 131. Vltimus denique caſus feminam ſiſtit, ante unum menſem iam partum difficillimum paſſam, ſubſequens tempus ſatis quidem bene peragentem; ſed non, niſi difficili gradu, incedere valentem, cuius fere totius vaginae parietes, ab obſtetricantis mulieris rudi manu male nuper tractati, inter ſe fuerant concreti, a Cl. Auctore autem, et ſcalpelli et turundae applicatione, ex voto diuiſi atque ſanati.

p. 132. Sub finem denique inſtrumentorum eorumque uſus legitur explicatio, de quibus tamen parum utilis ſine iconibus dici poſſe breuibus opinamur.

X.

Oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum. Auctore R. RVSSELL, M. D. F. R. S. Londini. Impenſis I. et I. Rivington et I. Fletcher Oxonii. MDCCLV. 8. mai. pl. 16½. tab. aen. 1.

Ciuium ſuorum amantiſſimus Cl. Auctor, quum tabem, a glandulis obſtructis ortam, frequentiſſimum inter eos morbum eſſe eorumque quotannis multos e medio tollere animaduerteret, de remedio contra iſtam meditans, in aqua marina id ſe inueniſſe laetabatur, ideoque ante hos ſex annos conſcribebat diſſertationem *, in qua ipſius huius morbi naturam inueſtigabat modumque docebat, quo aqua marina pro diuerſis, quibus conſtituitur, partibus, ſua nimirum *ſalſedine*, *amaritudine*, *nitroſitate* atque *unctuoſitate*, ei mederi poſſet, ſubnexis aliquot aegrorum hiſtoriis, quos illius uſu a variis morbis liberauerat, recentibus nimirum et pulmonum et infimi ventris et colli aliarumque corporis externarum partium glandularum obſtructionibus, recentibus articulorum tumoribus, omnibus cutem defoedantibus morbis, renum obſtructionibus, niſi largior aliquis inhaerens calculus, aut eorum inflammatio, aduerſaretur, hepatisque recentibus obſtructionibus. Scire enim licet, eam Cl. Auctorem alere videri ſententiam, quod ſecretionum vix non omne negotium glandulari partium fabricae tribuendum, certe quod omnium

* De tabe glandulari ſiue de uſu aquae marinae in morbis glandularum Diſſertatio. Auctore RICARDO RVSSELL, M. D. E Theatro Sheldoniano. Proſtant venales apud Iacobum Fletcher, Oxon. et I. et I. Rivington. Lond. MDCCL. 8. mai. pl. 15. tabb. aen. 7.

omnium corporis noſtri viſcerum ſtructura glanduloſa ſit eoque igitur facilius obnoxia obſtructionibus, quibus cunctis, ſi nondum abierint in ſcirrhum, ſiue nulla adhuc eas prehenderit inflammatio aut quoque ſuppuratio, mederi queat aqua marina, ad librae usque pondus omni aut alterno mane per longum ſaepe tempus hauſta, praeſertim ſi aethiops, cinnabaris, antimonium, cineresque potiſſimum plantarum ſubmarinarum calcinati ſimul in uſum vocentur; quapropter etiam non nullarum ex iis ibi adiecerat Cl. Auctor et icones et deſcriptiones, madreporae nimirum, quercus marinae, et ſine veſiculis et cum iis obuiae, calcis Americanae, corallinae atque corallii.

Vlterius deinde in hoc argumentum Cl. Auctor inquiſiuit, unde ſupra iam indicatus liber ſuam cepit originem, cuius ſummam ipſe exponit ſub praefaminis initium. *Eam*, ibi inquit, *explicare conabor methodum, per quam natura, certis et conſtitutis temporibus aut vitae periodis, ſecretiones glandularum mutare, et nouas quasdam inducere conſueuit; tum etiam vias conſiderabo, per quas leuamen afferre ſolet partium aegrotantium organis, quae vel ex parte tantum impediuntur, vel ex toto muneribus ſuis fungi deſinunt. Videtur autem, priusquam partis alicuius aegritudines proprias morboſue deſcribamus, in ipſo limine operis non nihil de uniuerſo ſubiecto, cuius poſtea ratio erit illuſtranda, proponere oportere.* Ea igitur, quae in genere de hoc argumento praemiſit Cl. Auctor, ita ſe habent breuibus comprehenſa:

p. 3. Deus, cum procrearet hominem, indidit ipſi perpetuam perennemque dotem *fluidi* cuiusdam *animati*, hominibus per generationum ſucceſſionem progignendis tamdiu ſufficientis, quamdiu ipſius ſapientiae placuerit. Illuſtrat hoc anatomia comparatiua. *Semina* enim haec *primordialia* in vegetantibus aeque, ac animantibus, praeſentia idoneas expectant matrices,

matrices, a quibus recipi ſuoque tempore in lucem edi poſſunt. Planta enim, ut animal, infantilem, maturam, ſeneſcentemque habet aetatem, et, uti in hoc maſculo, ſemina numero infinita cum ſanguine circumagi videntur, donec pubertatis tempore excludantur, ita et in illius tubulis per plures annos talia circumferri poſſunt, donec in fructum colligantur. Vtrumque etiam illud ſubiectum, vegetabile certe, non ſui ſolum, ſed diuerſi quoque generis continere videtur ſemina. Fungi variae formae variique coloris in diuerſis plantis arboribusque prouenientes illud comprobant. Porro in hepate ouium reperiri ſolent animalcula. Ex inſtituta etiam comparatione, non admodum diuerſis inter ſe legibus fieri apparet et animalium, et vegetabilium prouentum, ſimilitudine inſigni per omnem utrorumque hiſtoriam conſpicua. Ita vero ſemina iſta primordialia conſeruari videntur in homine, ut nullius quidem humoris lentior, at perfectior quoque nulla, ſit ſecretio, quam ſeminis, ante cuius perfectam praeparationem animalcula nullo in corporis loco haerere poſſe probabile eſt, donec in eo elaborato ſuſpendantur eoque recipiantur, ſemenque animatum quaſi fiat. Etſi huius interim perfectio in hominibus ſit lentiſſima; in ſuis tamen obeundis muneribus ſemper, a partu ad vitae usque finem occupata eſt natura, ideoque varias praeſtat ſecretiones variasque efficit mutationes in corporis habitu, paulatim, certisque aetatis temporibus legibusque fixis oriundas, ad quas, ex veterum et HIPPOCRATIS potiſſimum ſententia non admodum abſurda viſa, *igne* ad efficiendum motum atque calorem, et *aqua* ſeu humore, ad diſtendenda ampliandaque vaſa, ceu praecipuis inſtrumentis, utitur. Attritu enim oriri augerique calorem conſtat; vires autem fibris animalibus, quae atterendi munus illud habent, neceſſariae pubertatis tempore maiores fiunt ſeminis ope, uti ab eodem

p. 7. (margin, at "comparatione")
p. 9. (margin, at "potiſſimum")

etiam glandularum in primis conglomeratarum tunicae muſculares tum temporis auctiores vires naſcuntur, ideoque ſimul multi glandularum morbi tolluntur. Toroſitatem igitur corporis vimque muſcularem auctam ſequitur aucta elaſticitas, attritioque fluidorum auctusque natiuus calor. *In utroque igitur*
p. 13. *ſexu*, inquit Cl. Auctor, *neſcio quid in organis generationis ineſt*, *quod certis quibusdam ſecretionibus glandularibus*, *et incremento pariter animali*, *neceſſarium eſſe videtur*. *Vix enim concipi poteſt*, *quantum non modo tonus*, *verum etiam figura ſolidorum ex ſola earum ſecretionum iactura mutetur.* Vt vim tamen demonſtraret, quam in corpus eiusque ſecretiones, glandulares in primis, habeat maſculinum ſemen, varia de ceruis non nullis diuerſae aetatis ideo cepit hicque loci fuſe deſcribit experimenta, quos caſtrare iuſſit, obſeruatis iis, quae ſubſecuta fuerant, phaenomenis, quae potiſſimum haec ſunt: quod vel nulla prorſus cornua prouenerint amplius, vel ea informia tantum atque villoſa facta fuerint, nodis quibusdam oſſeis ex latere propullulantibus, ex quibus glandulae molles et villoſo velamento coopertae ad uuarum modum in racemis dependerint, uti ex icone hic addita eleganter apparet, muſculis infirmis atque tenuibus factis et voce mutata, ipſo tamen corporis habitu pingui, laeui atque rotundo facto. Colligit tandem ex illis, *ſemen maſculinum incrementum, quod in longitudinem eſt, ſiſtere, incrementum tamen laterale, ſiue craſſitudinem adiuuare.*

p. 23. Vt deinde doceat, quatenus omnes hae mutationes ad intelligendam glandularis ſyſtematis ſecretionum doctrinam illiusque morbos cognoſcendos pro diuerſis aetatibus pertineant, ab infantili hominis aetate ad ſenilem usque progrediendo eas expendit, ſimulque de morborum tranſitionibus e loco in locum per glandulare ſyſtema factis, eorumque etiam ideo ibique praeſtitis curationibus differit, vaſorumque

perco-

percolantium multitudinis uſum inde probat, quo alterum alteri, ſuborta difficultate aliqua, ſubſidio eſſe poſſit.

In *capite* itaque *primo de ſtatu infantis, quamdiu vita eius ex matre pendet*, agere incipit. Ouulo nimirum humano ex ouario matris in ipſius uterum delato huicque tenaciter adhaerente, noua fit ſanguinis materni, per placentae nunc oriundae vaſa, ad embryonem deducti, circulatio, qua ſupprimuntur catamenia et plethorae inde natae ſymptomata matrem ſolent affligere, donec tollendae huic, et placentae, et embryonis, ſufficiat incrementum. Vnde patet et venae ſectionem et diaetam mediocrem cum remediis antacidis leniterque laxantibus adhiberi tum temporis debere a medico; qua potiſſimum in re, quin Cl. Auctoris ſententiae ſubſcribamus nosmet ipſi facere non poſſumus, ſanguinis miſſionem ſic dictam prophylacticam ſub grauiditatis initium magis, quam ſub medium eius tempus, neceſſariam iudicantes. Quaedam quoque ſimul obiter commemorat incommoda, quae vel a menſtruis, quo minus prima vice prorumpant, impeditis vel ab eorum ſuppreſſione, propter vaſorum diſtenſionem neglectamque venae ſectionem debitam, occupare ſolent ouaria. De placenta deinde diſſerere pergit eamque glandulare corpus eſſe cum WHARTONO ſtatuit, quod pro tempore vaſorum ſanguiferorum, quae menſium inſeruiunt negotio, vaſorumque lacteorum munere fungatur; qua ſenſim aucta, ſimul quoque creſcere foetum; morbis autem, a plethora ortis, obnoxiam fieri ac ideo embryonis nutrimento quin et vitae nocere poſſe, niſi iuſto tempore ſuccurratur.

p. 25.
p. 28.
p. 31.

Caput ſecundum de glandularum ſtatu, a partu uſque ad dentitionem, exponit. Foetu in lucem edito, ſtatim eius vita ex glandulari ſecretione tubi alimentarii, qui glandula ſui generis appellari poſſit, pendet, ita ut alimenta, adiuuantibus et faucium et ven-

p. 38.

triculi et inteſtinorum glandularum ſecretionibus, eo delata ibique digeſta, nutritium ſuccum per vaſa lactea demittant, quo tubuli totius corporis non valde adhuc firmi, ſed laxi, nec cordi valide reſiſtentes, impleantur, extendantur inque omnem dimenſionem increſcant. Quo minus interim in tam debili corporis ſtatu oriantur obſtructiones, ſanguinem puſillorum Auctor naturae eſſe voluit valde dilutum, pallidum plerumque et aquoſum; ac ne humorum facile nimis fiat abundantia, per cutis, renum et alui glandulas reliquasque corporis ſecretiones glandulares ſemper deducuntur iſtae redundantiae; quarum igitur ſecretionum unam alteramque deficientem illico ſequuntur morbi ſicque in primis dictae fluxiones. Ex illis autem praecipuae eſſe ſolent iſtae, quae per cutis inteſtinorumque glandulas fieri ſolent, mutuum
p. 42. inter ſe inuicem auxilium ferentes. Quo etiam fit, ut vel in cute vel infimo ventre prima morborum indicia obſeruentur in infantulis, qualis eſt effloreſcentia iſta ſeu eruptio rubra, *the red gum, rubeola* dicta, cutem occupans, proprius cunarum morbus. Tum temporis quoque munere ſuo fungi incipiunt glandulae poſt aures et in inguinibus ſitae, ſine quarum ſecretionibus ſeroſis infantes ſanos eſſe non poſſe iam olim obſeruauerat HIPPOCRATES, quare ſingulari modo et munditiei ſtudere debent nutrices, ne excoriationes oriantur, et ſecretionibus ipſis conſeruandis medici, ne in alia eaque peiora mala incidant infantes, quippe qui, redundantiae onere grauati, ſomnolenti fiunt, ventriculo laborant, vomitibus, flatibus, ſpasmis, torminibus aliisque inde pendentibus defatigentur ſymptomatibus a materia ibi ſuppreſſa nuncque in alimentorum canalis glandulas conuerſa. Salutaris tum quidem oritur diarrhoea, cuius tamen, quae ſubeſt, acrimonia pulueribus teſtaceis infringi, ipſa vero, ſi nimia ſit, modico rhabarbari uſu ſupprimi debet, ſpamis ſimul, ſi urgeant, leuibus datis

remediis

remediis opiatis conſopiendis. Ex frequentiſſimis vero, quae iſtis malis ſuperuenire ſolent, ſymptomatibus eſſe ſolet epilepſia, ſymptomatica tamen atque notha tantum dicenda, cuius igitur aliquot exempla Cl. Auctor ſatis fuſe enarrando ſubiungit; ex quibus hiſtoriis illud tantum annotamus, quod et in hiſce puſillis et venam ſecare, et fonticulum in nucha excitare, is non reformidauerit.

Obſeruationem adhuc aliam ab eo quaſi in tranſitu commemoratam repetere liceat, quod non nullorum infantum habitum ſic a natura conſtitutum inuenerit, ut, variolas per inoculationem in eis excitaturus, febrim quidem effecerit iuſto tempore exortam cum putridis foetidisque ſudoribus; nullis vero per totum morbi decurſum in cute apparentibus eruptionibus; infantibus tamen ipſis ex illo tempore tutis atque illaeſis permanſis, licet deinde medium inter contagium diu verſati fuerint. p. 44.

Inter alios quoque huic infantilis vitae periodo accidentes morbos, ab imbecillo partium tono oriundos, refertur aphtharum malum, interdum quidem ſatis dirum, eiusdem tamen naturae viſum, cuius iſta eſt iam memorata affectio cutis, *red gum* dicta; glandulis in uno caſu cutis, in altero internarum partium, oris, faucium, e. ſ. p. affectis. Partes affectas remediis acidis leniterque adſtringentibus fricare, nutricis autem papillas, ne inde afficiantur, cerato defendere et aqua cum maluis cocta lauare iubet Cl. Auctor. p. 57.

In *tertio capite de ſtatu glandularum dentiendi tempore* ita ſtatuitur, ut natura tum temporis in aliis ſecretionibus tardius, ideoque in propellendis dentibus eo validius agere dicatur; unde plenitudo quaedam, cui tollendae ſuccurrere ſaepe ſoleat diarrhoea. Inciſio gingiuarum, venae ſectio et, quae leniter aluum ducunt, remedia interdum quoque neceſſaria. p. 61.

Quae huc uſque de glandularum officiis dicta ſunt,
quod non ſolum humores ſtructurae ſuae conuenien-
tes vitaeque neceſſarios ſecernant, ſed et redundan-
tiis, quae corpori iam increſcenti ſuperuenire ſaepius
ſolent, imminuendis inſeruiant, ea quoque de ſub-
p. 64. ſequentibus vitae periodis valent. Itaque in *capite
quarto de ſtatu glandularum a dentitione ad pubertatis
tempus* differere pergit Cl. Auctor. Mollis quidem
infantum habitus poſt dentitionem peractam ſolet
mutari, ſed mutatio haec non, niſi lente fit atque
gradatim; hinc etiam morbi in hac vitae periodo ob-
uii a laxo potiſſimum debilique corporis ſtatu proue-
nire obſeruantur. Adipoſae tamen glandulae muſcu-
lorum vi ſenſim ſenſimque coarctantur ipſique muſcu-
li textura firmiores fiunt, inde glandulae magis inter-
nae, in primis vero tonſillae atque uuula, afficiun-
tur. Quodſi tamen accidat, ut primis iſtis fluxioni-
nibus cutis glandulae valde debilitatae ſint, tum
etiam per huius aetatis annos noui in cute repullu-
lant morbi, leproſae ſic dictae atque ſcorbuticae eru-
ptiones, quae niſi ante pubertatem ſanantur, non
p. 67. adeo facile deinde curationem recipiunt. Fluxiones in-
terim ad tonſillas vicinasque partes factae intumeſcen-
tiam quidem ſaepius, rarius tamen mouent ſuppura-
tionem, quae vero, ſi ſemel inualuit, facile reuerti-
tur, quo tamen fit, ut illae partes vehementer laxae
chirurgi manum requirant, qua ex parte praecidi de-
bent, cuius generis curationis exempla hic loci enar-
p. 70. rantur. Quae tamen mala, niſi in principio iis oc-
curratur, facile ſequi ſolet angina inflammatoria at-
que peripneumonia, uterque morbus ſaepiſſime le-
thalis.

p. 73. Ad illa quoque mala, quae a laxitate partium,
tanquam cauſa praediſponente, proueniunt, perti-
net rachitis, affectio vere glandularis tumque potiſ-
ſimum rebellis, quando intermittentes febres ab in-
fantum habitu cachectico ortae eum comitantur.

Articu-

Articulorum glandulae oſſiumque capita primum afficiuntur, deinde reliquae partes, tandemque aſcite vera terminari non numquam ſolet morbus. Si pallida fuerit facies atque oedematoſa, ens veneris cum remediis purgantibus, rhabarbaro in primis, et roborantibus, multum profuit. Ex ſymptomatibus, quae diro iſti morbo non numquam ſuperueniunt, ſunt quoque gingiuarum laxitas atque putredo et concatenatae ceruicis glandulae ſcrophuloſae illaeque menſenterii vitiatae. Omnia tamen, quae de hoc p. 78. morbo obſeruata proſtant, probant eum *a tono laxato* oriri, *praeſertim in cerebri parte glandulari.*

Vti vero in prima, ſic et in hac aetate ortas, p. 79. plenitudines ſubleuare ſaepe ſolent inteſtinorum glandulae, excitata diarrhoea. Nihilo tamen minus iam dictis adhuc plura obueniunt interdum mala, v. c. tumores ex omnibus ſtrumarum generibus tam pertinaces, ut, niſi a maturatione diligentiſſime prohibeantur, vel ipſo pubertatis tempore raro curentur: Porro alba ſic dicta febris, ſeu cachecticus et oedematoſus puellarum habitus a ſanguine nimis aquoſo ortus, ab octauo ad decimum quartum aetatis annum perdurans, cui ipſa quidem menſtruatio plerumque medetur, circa quam tamen medicos recte iubet eſſe cautos Cl. Auctor, ne ideo ante debitum p. 81. tempus ſecretiones illas vi quadam prouocent, chalybe in primis, quippe cuius uſus debeat eſſe circumſpectus in pulmonum morbis et efficiendis et augendis, in omnium glandularum vitiis quibuscunque, calore nimis aucto, quin et inflammationibus, vix non ſemper exitioſus. In genere quoque illa valet regula, quod nulla ſecretio, aut ante tempus a natura conſtitutum, aut aliqua vi, prouocari debeat.

Caput deinde ſequitur *quintum de ſtatu glandularum circa pubertatis tempus.* Laxitatis enim ſtatu, in p. 86. quo partes adhuc molliores diſtendi, ſeparari elongarique debebant, huc uſque conſiderato, prouectior

nunc aetas, qua omnes corporis partes magis elaſticae, firmiores ſubeundisque laboribus aptiores, redduntur, incrementum earum in longitudinem paulatim ſiſti, illud vero, quod in ampliatione vaſorum atque confirmatione conſiſtit, augeri incipit, morbis inde prioris aetatis ope ipſius naturae ſuperandis, omnem mereri videtur attentionem. Efficiuntur autem hae mutationes ſeminis, nunc praeparandi, viribus in ipſum ſanguinem redundantibus. Plures
p. 90. enim glandularum ſeries, quas *incentiuas* appellat Cl. Auctor, ſuas tum temporis praeſtare incipiunt ſecretiones foetidas atque hircinas dicendas, quibus et mas et femina in venerem incenduntur ac utriusque habitus inſigniter mutatur firmaturque. In hac nimirum intumeſcunt mammae, fluunt catamenia, ouaria mutantur; in illo praeparari coepit ſemen, animalcula recipiuntur ab eo, muſculi fiunt magis toroſi, glandulae adipoſae hinc comprimuntur fortius, illarum conglomeratarum muſculares tunicae magis elaſticae fiunt, totusque corporis habitus firmior fit atque ſanguis melius elaboratur. En! quae ſunt remedia, quibus natura gradatim utitur, tum ad incrementum corpori atque vigorem ipſi conciliandum, cum ad morbos, qui ab infirmiore aetate ſupererant, profligandos. Hi enim, niſi inter puber-
p. 96. tatem et viceſimum quintum aetatis annum tolluntur, raro poſtea ſe curari ſinunt, ex quibus, uti diriſſimus, ſic et frequentiſſimus, eſſe ſolet epilepſia, quae tamen, niſi cauſa eius, uti et aliorum capitis morborum, in ſpinis quibusdam oſſium caluae, vel eorum carie, vel extrauaſatis humoribus, vel ſcirrhoſis cerebri tumoribus, ſed ſi potius, uti plerumque fit, in ſtrumoſo cerebri ſtatu conſiſtat, ſaepiſſime curationem fere ſponte admittit, corpore pubertatis tempore firmato, uti etiam ex aliquot hiſtoriis huc allatis apparet.

Quem

Quem ad modum autem tenues atque ſeroſae p. 104.
puerili aetati communes ſecretiones nunc euaneſcunt, ita nunc eorum locum facile occupant febres inflammatoriae, quae frequentiores adhuc forent, niſi magnas iſtas in utroque ſexu natura ſubſtitueret immutationes, aut per nares quoque ſanguinis excitaret profluuium. Glandularum etiam aliquae, inguinales potiſſimum, fere ſemper patent febrium, in primis malignarum, criſi; aliae vero, uti ceruicis atque gutturis, morbis epidemicis per ſe eſſe ſolent obnoxiae, licet adhuc ſaepius afficiantur, quando eruptiuarum febrium metaſtaſis a glandulis cutis ad illas fieri ſolet; uti obſeruare licet in *angina* iſta *epidemica gangraenoſa*, in Anglia aliisque Europae regionibus huc uſque obuia, cuius accuratam hic loci Cl. Auctor ſuppeditat deſcriptionem, egregiis interſperſis cautelis practicis.

Aliud quoque huic aetati fere proprium obſerua- p. 114.
re licet anginae externae genus, *the mumps* dictae, plurimos iuuenes vel ſemel in vita affligentis, gutturis, ceruicis, vicinarumque partium glandulas externos occupantis, regimini mediocriter calido facile ut plurimum cedentis. Interdum tamen a gutture defertur morbus ad teſtes, metaſtaſi quaſi critica facta, quare auxilia, quae febrim valde temperant diſcutiuntque tumorem, caute uſurpanda ſunt, quoniam a teſticulis ad cerebrum inhaerentis materiae interdum factam fuiſſe translationem ex obſeruationibus conſtat.

In *capite* poſtea *ſexto de ſtatu glandularum a puber-* p. 119.
tate ad aetatis annum triceſimum quintum in maribus; et ad quadrageſimum quintum vel ſextum annum, in foeminis agit Cl. Auctor. Si praegreſſis vitae temporibus in hanc uſque aetatem ea corporis habita fuerit cura, ut nullum ullibi pus ſyſtema glandulare vitiauerit, omnes nunc corporis partes perfectiſſimam nactae ſunt conditionem, qua debitis fungi poterunt

mune-

muneribus. Mulieres in primis ſanae ſunt, nec aliquibus plenitudinis incommodis facile afflictae, ſi matres fiant, prolique ipſae praebeant mammam, eo niſi forte corporis robore deſtitutae ſint, quod nutri-
p. 122. endi muneri competit. Laxior itaque tonus, iuſtus menſium fluxus, praegnatio atque lactatio, ipſis ſunt adiumento, quo minus tam grauibus morbis obnoxiae eſſe ſoleant, quam mares. In his enim alia eſt rerum facies, quum ſecretiones iſtae poſt pubertatem factae aliquam corpori iam inducant rigiditatem, efficiantque plenitudinem, difficilioremque humorum tranſitum per vaſa percolantia, niſi corpus valide exerceatur; id, quod ii probant, qui vitae ſedentariae
p. 127. dediti ſunt. Glandularium igitur in primis ſecretionum ſumma habenda eſt cura, quum ab animali calore iam inſigniter aucto pericula iſta increſcant, quae a glandulis in puerili aetate obſtructis aut alio modo impeditis oriri poſſint, ſiue in iis adſint adhuc tubercula, ſiue tonus earum partium modo relaxatus id efficiat, ut morbi in adultiore deinde aetate orti in debilitatas potiſſimum iſtas partes alliciantur conuertanturque. Quid? quod omnium ſecretionum
p. 131. ſtudioſa habeatur ratio; quum adoleſcens haec aetas *criticum* quaſi *tempus* ſit *futurae aetatis ſanitatisque tanquam ſpecimen.*

p. 134. *Caput ſeptimum* complectitur doctrinam *de ſtatu glandularum a ſupra dictis periodis ad annum ſexageſimum tertium, quod tempus climactericum vocatur.* Solida corporis firma, fluida bene miſta atque compreſſa, auctus inde natiuus calor, uberrima ſpirituum animalium ſeparatio, circulatio humorum libera, copioſaque perſpiratio laetam virentemque praeſtiterunt huc uſque ſanitatem. Ab hoc autem tempore, ſecretionibus iſtis, a quibus muſculorum vis aucta dependebat, parcioribus ſenſim exiſtentibus, functionum animalium vigor ardorque iuuenilis aliquatenus ſenſimque imminui incipit, fibris quidem rigidioribus,

dioribus, ideo tamen non magis elaſticis factis. In minima itaque vaſa capillaria ſanguis difficilius propellitur, nec reticulum ſolum illud mucoſum ſub cute poſitum lympha impletur pituitoſa, ſed uniuerſum quoque glandularum ſyſtema eidem viciſſitudini fit obnoxium. Feminae tamen, quando menſtrua p. 138.
purgatio ceſſat, prae maribus periclitantur a glandulis, quum mollior illarum eſſe ſoleat habitus; hinc colli, mammarum, uteri aliarumque partium, glandularum tumores variique morbi non raro ſubſequuntur; *adeoque probabile eſt, purgationem menſtruam* p. 141.
non ſanguinem tantum emittere, ſed et humores etiam alios e corpore deducere, qui, ſiquidem intus continerentur, muliebrem habitum multum turbarent. Sanguine interim per ſanguifera uteri vaſa ulterius non imminuto, collateralia is diſtendit augetque vaſa; hinc per nares, aluumque interdum fit eius profluuium, aut diarrhoea oritur, donec aequilibrium in motu humorum factum ſit. Mares autem e contrario po- p. 144.
dagrae prae aliis morbis fiunt obnoxii maloque hypochondriaco, cuius utriusque tamen cauſa, ex quibuscunque intemperantiae generibus inter pubertatis aetatisque prouectioris annos, commiſſae plerumque repetenda erit. In utroque porro ſexu, ob vi- p. 147.
res vitae paulatim imminutas, morbi, quorum fomes in prioribus iam aderat aetatibus, nunc ſaeuire acuique magis, glandulares autem potiſſimum partes recipere ſolent congeſtiones chronicas. Quoni- p. 149.
am vero tunicae earum muſculares, valde debilitatae, fluida nec coercere ſatis, neque idoneas efficere poſſunt ſecretiones, hinc ſexcenti alii morbi, aſthma, icterus, hydrops, e. ſ. p. Auxilio quidem ſaepius venire ſolet natura variis ſponte excitatis profluuiis ſeroſis per aluum, renes, cutem: inde tamen noui crebrius oriuntur morbi, cholerae, dyſenteriae, haemorrhoides, aliique, qui ex uno glandularum ordine in alterum potius moueri, quam radicitus hac aetate

tolli

p. 151. tolli umquam poterunt. Quid? quod ne podagra quidem, etſi prius, naſcentes plenitudines in articulos exonerando, iuuerat, nunc proſit, ortis in articulorum glandulis concretionibus cretae ſimilibus, uniuerſoque glandularum ſyſtemate vitiato, quod *podagricorum* tandem dicta excipit *cachexia*, hydropis ut plurimum variis generibus finita, niſi, morbo iterum in extrema proiecto, podagrae paroxyſmi, aliquo modo prouocati, acerrime redeant.

p. 156. Vltimum denique *caput*, quod *octauum* eſt, *de ſtatu glandularum a tempore climacterico ad ſenectutis finem* Cl. Auctoris cogitata continet. Quamuis etiam omnes glandularum ſecretiones pro diuerſis vitae periodis rite proceſſerint, neque ex illis in ſenectutem aliqui protracti fuerint morbi: ipſius tamen corporis elaſticitate atque vigore paulatim tandemque vehementer imminutis, eiusque contra partibus rigidis quin et earum quibusdam non numquam oſſeis factis, fluidis proinde debilius compreſſis, ſpiritibusque non niſi parce ſecretis, fieri non poteſt, quin in pueritiae morbos iterum relabantur ſenes. Hinc fluxio moleſtaque deſtillatio in oculorum, narium atque tracheae glandulas, tuſſis, dyſpnoea, e. ſ. p. Naturalis iſte quoque mucus ad partes quasdam contra acrimoniam defendendas, vel eas quoque lubricandas neceſſarius deficit, hinc ſtranguriae, dyſuriae et quaedam inter ambulandum, oſſium crepitatio eundique difficultas.
p. 159. Inter alia vero, quibus affliguntur ſenes, incommoda ſingularis quidam pruritus, huic aetati proprius, a fluidis lente circulantibus acribusque factis materieque tali perſpirabili retenta ortus, referri debet; ad cuius mitigationem certe, uti reliquos cutis ſenum morbos curandos, balnei tepidi uſum, ex aqua marina, ſi ad manus ſit, parandi, locoque opiatorum, quae non numquam efflagitant illi aegri, calorem vero, ſi darentur, natiuum extinguerent,
p. 161. generoſum vinum commendat Cl. Auctor, memorabili

bili allato exemplo ſenis octogenarii, tali non ſolum pruritu peſſime affecti, ſed et adeo cachectici facti, ut crura intumuerint ſphacelo ſenili tentata. Praeter adhibitas fomentationes aegrum libere potare vinum ille iuſſit, donec profundus ſomnus accederet; quo diu ſatis protracto, totum corpus tepeſcere, crurum tumor ſubſidere, eſcharae digeri, ſanarique coeperunt ulcuſcula, aegro deinde per eiusdem vini atque antiſcorbuticorum uſum ſanitati reſtituto perque aliquot deinde annos ab eisdem malis libere permanſo.

En illae leges, quibus pro diuerſi vitae humanae periodis, in variis ordinandis ſecretionibus natura utitur! enque neceſſitas, quae hinc inde impoſita eſt medicis in plurimis hominum morbis, pro diuerſa eorum aetate, ad illas reſpiciendi ſecretiones, ut intelligant, quasnam ex iis vel augere, vel cohibere prorſusue ſupprimere, vel alium in locum dirigere, ideoque per iuſtum earum moderamen, ceu habenarum quaſi auxilium, innumeris in caſibus ſuccurrere debeant aegrotantibus. p. 164.

Altera huius libri pars continet *Diſſertationem Epiſtolarem de quibusdam remediis veterum anti-ſtrumoſis et de lauatione tam tepida, quam marina, ad Virum Doctiſſimum*, RICARDVM FREWIN, M. D. in qua non eodem ſolum eleganti ſermone latino uſus fuit eandemque veterum optimae notae auctorum frequentem ſtudioſamque lectionem, ac in priore illa libri parte, cuius ſummam lectoribus noſtris iam iam dedimus, adhibuit ſuamque fecit Cl. Auctor: ſed in qua etiam intimiorem artis medicae cognitionem eiusque prudentem, et, uti ex allatis exemplis apparet, felicem quoque comprobauit docuitque applicationem: quae tamen cuncta ſub uno quaſi breuique ponere aſpectu ratione iuſtaque diſtributione ordinato, recenſionis limites vetant. p. 173.

XI.

XI.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oeconomie, und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Erſter Band. Nürnberg, bey Georg Peter Monath. 1756. 8. 1 Alph. 13 Bogen.

i. e.

Franconica collectio Obſeruationum ex phyſica, medicina, re oeconomica, et reliquis affinitate quadam cum his connexis ſcientiis depromtarum. Volumen I.

Inter diaria erudita, quorum numerus noſtris temporibus in Germania valde creſcit, et de quorum plerisque ipſi paſſim expoſuimus, noſtram etiam attentionem merentur Franconicae collectiones, quae ſuperiori anno prodire in publicum coeperunt, quarumque primum volumen hoc, quo viuimus, anno abſolutum iam indicaſſe iuuabit. Editorem vero Auctoremque earundem ex praefatione praefixa intelleximus eſſe Cl. DELIVM, Erlangenſis Academiae Profeſſorem celeberrimum, cuius ſcripta non nulla nos ipſos recenſuiſſe laeti recordamur. Ille etenim quum obſeruaret his ipſis diebus ubique fere in Europae prouinciis, atque in patria etiam Germania omnes eruditorum labores eo conſpirare, ut naturam abditosque eius altius penetrent receſſus, ciues ſuos etiam Francos ad ſimiles laudabili exemplo ſuſcipiendos labores excitauit, atque, ut ſuas, quas quisque in eadem, quam in primis colit, ſcientia vel arte meditationes, obſeruationes vel tentamina fecit, cum ipſo communicarent, inuitauit. Quamuis autem Francos potiſſimum vocauit Cl. Editor, ab aliis tamen etiam eruditis aliarum regionum transmiſſa ſcripta ſe gratum accepturum eſſe profitetur. Ad de-

lectum

lectum ipſarum obſeruationum, quas comprehendit Franconica collectio, quod attinet, phyſicam, medicinam et oeconomiam prae reliquis illuſtrabunt, atque ipſa praefatio ſpeciatim indicat, quae a quouis transmittendae deſiderantur, obſeruationum indolem; nimirum ex omni hiſtoria naturali et phyſica generali petitas, morborum et in hominibus et in brutis animalibus factas, chirurgicas, forenſes, ſectiones cadauerum, experimenta phyſica, phyſiologica, vel chemica, de theſauris rariorum naturae, vel inuentis mechanicis, de inſtitutis medicis vel conſiliis ſanitatis relationes, ad metallurgiam, ad agri hortorumque culturam ſpectantes adnotationes, noua ſcripta phyſico medica, tandem vitas etiam virorum de ſcientia naturali vel medicina vel oeconomia bene meritorum continebit Collectio laudata Franconica. Multa omnino perlegentibus nobis primum hoc earum Volumen occurrerunt noua et egregie dicta, quae vero ſigillatim recenſere quum vix liceat, ſpeciminis loco pauca adduxiſſe ſufficiant.

Part. I. no. 2. Obſeruationes circa circulationem ſanguinis in ranis factae leguntur. Ex quo lentium p. 16. uſus inter naturae indagatores magis inualuit, praeter innumera alia, earum auxilio detecta, etiam ipſa ſanguinis circulatio in viuis animalibus perluſtrari potuit attentius; quin imo Cl. LIEBERKÜHN ingenioſe machinam conſtruxit, cuius ope eadem in viuae ranae meſenterio per horas aliquot cernitur. Qua quidem Anonymus Auctor ſaepius ſe uſum fuiſſe confitetur; alium tamen iam docet eumque ſimpliciorem eadem phaenomena perluſtrandi modum. Nimirum in lamina lignea media foramen rotundum incidit, ranamque dein huic laminae affigit, ita, ut eius menſenterium ſuper foramen aciculis firmetur; quo facto, ſiniſtra manu laminam tenet, dextra vero lentem oculo applicans, ſimplici hoc apparatu ea-

dem vidit, quae olim viderat auxilio artificioſiſſimae illius machinae. Vidit vero ille hoc modo vaſa duplicis generis et in iis motum ſanguinis contrarium. In aliis alternus fuit motus, et undatim ſanguis fluere viſus eſt; maiora ſe inſuper alterno motu contrahere euidentius apparuerunt; hae ſunt arteriae. Quieuit in iisdem ſanguis aliquoties, quin cito in amplius cauum retroceſſit, iterum vero propulſus undarum inſtar fluctuauit, donec noua unda liberum reddiderit motum. Vaſa haec anguſtiora reddita, contrariam directionem habent, continuoque flumine in iis mouetur ſanguis; venae ſunt. Super eadem oblique et transuerſim ſaepe excurrunt utriusque generis vaſcula ſine ulla inde orta confuſione.

p. 22. Ex arteriis oriuntur et in venas ſeſe terminant minora vaſcula pellucida, in quibus natant exigua corpuſcula, ab albo et flauo fluido diſtincta; alia pallide rubent ſingula; accumulata intenſius rubent. In magnis venis inordinata eorum confuſio; in arteriis unam eandemque directionem habent; per omnem canalis longitudinem ubique diſtribuuntur, in axi propius ſe attingunt. Corpuſcula haec ſunt globuli ſanguinis. Numquam apparuerunt iſti rotundi, ſemper multis ſuperficiebus inſtructi inaequalibus, obtuſeque anguloſis, neque umquam, ex adſerto Cl. LEEVWENHOECKII, in ſex vel plures minores diuiſi globulos; neque vaſa lactea viſa ſunt. Nigra puncta ſeſe viſui obtulerunt in vaſorum ſuperficie pilis obſita, ſed quid eadem ſint, non liquet. In non nullis vaſis nimium tenſis orta ſenſim fuit maior rubedo, tumor et ruptura, liquidique in meſenterium et inter huius laminas effuſio. In aliis, ab ſolis radiis, dum compoſitum microſcopium adhibitum fuit, per horam ſemis ſat exſiccatis et criſpatis tamen motus adhuc ſuperfuit, inſignis particularum accumula-
p. 24. tio, inſignisque rubor. Vbi minora vaſcula in maiores venas intrarent, maior celeritas ſanguinis obſeruata

ſeruata fuit, utrum a valuulis, quae viſae non ſunt, an ab aucto diametro, dubium eſt. Acicula quum pungeretur vaſculum, leuis orta eſt vaſculi oſcillatio, quum vero traiiceretur, lento motu particulae ad latera egreſſae fuerunt. Dum cor excidebatur, uniuerſalis vaſorum orta eſt oſcillatio, in arteriis tardior, celerior in venis motus ſanguinis, tandem ipſa ſtaſis, ſimul inteſtinorum conuulſio; ſed rana liberata a ſuis compedibus ſine corde proſiliit, an forte ab elaſticitate propria et inter interſtitia adhuc haerente ſanguine vel fluido nerueo? In meſenterio ex improuiſo pellucidi corpuſculi motus obſeruatus fuit ſimilis bombyci recens ex ouulo nato, quod fuit apus, extrema lumbricus, in arcum ſeſe mouens; unde vero intra meſenterii membranas peruenerit ille, non liquet.

Part. II. No. 9. D. IO. GE. HOFMANNI *Meditationes circa antimonii diaphoretici praeparationem, cum collectis inde non nullis, rem medicam et oeconomicam ſpectantibus, corollariis.* Duplici modo paratur ſic dictum diaphoreticum antimonium, puluis enim huius cum tripla portione nitri omnis ſimul in mortarium immittitur, adiectoque carbone candente accenditur libero aere; vel ſucceſſiue puluis infunditur, partitisque vicibus detonatio perficitur vel in conclaui aeri peruio vel etiam ſub dio. Haec poſterior parandae calcis antimonii ratio et commodior eſt et tutior, quin etiam ſalubrior. Plures enim, immo omnes acidae et ſulphureae partes igne expelluntur, dum ſucceſſiue peragitur detonatio, atque relicta inde calx antimonii ſine metu vomitus adhiberi poteſt, id, quod ab illa calce priori ratione parata ſaepius accidere ſolet. Sed alius eſt adhuc huius praeparationis uſus. Quamuis enim accenſi illi vapores acidi et ſulphurei in loco clauſo hominem ſuffocare valeant, ipſi tamen, in primis ſi cum aere externo haud nimium copioſi pulmones intrent, multam pituitam p. 156.

tenacem reſoluere, tuſſisque ope expellere poſſe Auctor affirmat. Vt vero inter praeparandum haec ſalutaris vis obtineri queat ab accenſis vaporibus acidis et ſulphureis, ſuadet idem et conclaue ad hunc laborem eligendum eſſe, quod per aperturas oppoſitas aeris permittat liberum tranſitum, et venti rationem habendam eſſe, ex qua plaga tum temporis, quando peragitur detonatio, adueniat, ne contrario motu eosdem in conclaue repellat ſuffocetque adſtantes. Ex his monitis euitare pericula diſcere poſſunt, qui in cellis ſubterraneis inter vapores eiusmodi verſari coguntur. Liquet inde ſimul interdum vapores iſtos ex veneno conuerti poſſe in ſalutarem medicinam.

p. 475. *Part. VI. No. 2. De morſu canis rabidi deque modo, quo effectus eius feliciter praeuertit*, exponit D. IO. WOLFG. FRID. BOENNEGKEN. In naturam indolemque veneni, in rabidi animalis ſaliua latitantis, non inquiſiuit Noſter, ſed de inueniendo contra illud remedio ſollicitus, id in oleo oliuarum et in lichene cinereo terreſtri Raii inueniſſe, feliciqne ſucceſſu adhibuiſſe, Anglorum permotus exemplo*, confirmat. Duo enim puer et puella quum a cane rabido morderentur, utriusque in humero inflictum vulnus mox oleo oliuarum illinire, dein ſcariſare profundius iuſſit, tandemque vulneri emplaſtrum e cantharidibus ſuperimpoſuit, ac interne dedit puluerem e contraierua et viperis, mixturamque bezoardicam. Felix euentus excepit uſum horum remediorum.
p. 492. Alius puer a cane rabido morſus, variisque adhibitis remediis tamen nouos expertus hydrophobiae inſultus, a ſumto aliquot dies puluere, e lichene cinereo terreſtri Raii, pipere nigro et ſacharo cando parato, iterum

* Philoſ. Transact. Vol. XX. no. 237. p. 49. et Pharmacopoeia Colleg. Reg. Medic. Londin. p. 117. praeparatio eiusdem pulueris legitur deſcripta, et in Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 331.

iterum conualuit. An igitur in lichene iſto virtus ſpecifica contra morſum canis rabidi quaerenda ſit, ex unico quidem exemplo affirmare non annititur Noſter, alios tamen medicos, ut plura eo inſtituant tentamina, incitare maluit.

No 3. D. W. S. CH. HIRSCHING *docet nouam ſalis ammoniaci cocturam.* In Aegypto ſola hactenus coctum fuit ſal ammoniacum. Sed quum analyſis chemica illud ex alcali volatili et ſale communi et vitriolo martis componi demonſtret, facilis etiam eius apud nos tentanda Cl. Auctori videtur coctura. Nam loco excrementorum animalium, quibus Aegypti utuntur, primam materiem coquendo ſali ammoniaco offerunt omnis animalium generis oſſa, cornua, ungulae, quae abundant alcali quodam volatili, et adeo copioſa haberi poſſunt, ut, ſi iuſſu magiſtratuum colligi offerrique deberet quotannis certa eorum quantitas, profecto ingens ſemper ſine ullis impenſis ad cocturam ſuppeteret copia ſalis alcalini volatilis. Dein ſalis communis et vitrioli martis tanta in Germania caritas non eſt, ut multae impenſae inde oriantur, quin e vitrioli martis inter cocturam relicta parte metallica et acida ſalina noui potius redundaturi videntur reditus. Pars enim metallica, quae ineſt vitriolo, mixtionem ſalis ammoniaci non intrat, ſed inſtar pulueris ſubſidet, igneque fornacis fuſorii tractata purum reddit metallum ferri: Acidum vero vitrioli terrae ſalis communis ſeſe admiſcet, atque, poſt peractam ſalis ammoniaci praeparationem, ſolutum cryſtalliſationis ope offert optimum ſal anglicum Ebshamenſe; ut adeo ex hac utriusque et ferri et ſalis amari facta praeparatione facile ſeſe compenſare poſſe videantur impenſae omnes, ſalis ammoniaci coquendi gratia factae. p. 496.

XII.

Obſeruationes non nullae circa morbos nuperorum heic aliquot annorum epidemicos per reciprocum aeris humani et atmoſphaerici commercium illuſtratos. Quibus aditum aperit volentibus ad ſectiones ſuas aeque ac demonſtrationes anatomicas, humaniſſimeque ad eas inuitat IOH. IACOB. HVBER, Phil. et Med. D. Anat. et Chirurg. Prof. Sereniſſ. Landgrauii Haſſiae Conſiliarius aulicus atque archiater. Aulae Bad. Durlac. medicus. Facult. med. patriae, quae Baſileae eſt, collega, et laborum ſocius. Acad. Caeſar. Nat. Curioſ. et reg. Londin. ſociet. Scient. ſodalis. Caſſellis, 1755. 4. Typis Ioh. Eckh. Hüteri, pag. 44.

p. 1. Cum varias ac multiplices inter morborum cauſas aeris quoque ac tempeſtatum conditionem locum ſibi non infimum vindicare perſpiceret Cl. Auctor, non uniuerſam quidem aeris compagem atque efficaciam hic pertractare, ſed elaſtici tantum et peregrinis corpuſculis inquinati aeris intra oeconomiam
p. 4. corporis humani exiſtentiam vindicare, conſenſum huius cum atmoſphaerico aere atque commercium reciprocum inueſtigare, et conſequentias aliquas ſiue effectus commercii illius, valetudini haud raro noxios indicare, eosdemque, quantum licet, corrigere ſibi propoſuit. Aeris igitur qualitatibus, et in primis eiusdem penetrabilitate ac elaſticitate, breuiter expoſitis, nec animalia nec vegetabilia aere ad increſcen-
p. 7. dum carere poſſe oſtendit, idque ex bombycum ouulis praecipue, reliquorum quoque ſeminum naturam referentibus ac adaequate declarantibus, illuſtrat, quibus primam expanſionem atque vitalitatem aer

calorís

caloris externi ope intra eadem expanſus dare perhibet, adeo, ut hinc quoque ad ſimile, modo gradu longe diuerſum, aeris ac caloris auxilium in mineralium increſcendi modo agnoſcendum inducatur. Quaerit igitur, quanam ratione homo ſibi ſoli, intimis ſuis partibus, viſceribus, fluidis, ſimilem aeris elaſtici uſum, neceſſitatem, miniſterium minime contemnendum denegare velit, cum eius praeſentiam, praeter alias plurimas, a Cl. Auctore adductas p. 12. rationes, aer in cadauerum ſectionibus nunquam non deprehenſus, ſanguinis ac muci e naribus mortuorum effuſio, nec non tympanitis, emphyſema, abſconditi abſceſſus, et calculi vix ſolidi v. g. veſiculae felleae, aquae ſupernatantes ſatis ſuperque confirment, et cum eius modi aerem internum per corpus noſtrum diſperſum non ſolum ſummi in arte medica viri agnouerint, ſed in ſanguine quoque morientium animalium oculis ſuis conſpexerint? Progreditur ita- p. 15. que ad reciprocum aeris externi cum illo intra corpus noſtrum agente nexum, ad quem propius intelligendum opportuna ſatis exempla ea eſſe cenſet, quae intra corpus noſtrum circumferre prouerbio dicimur, calendaria, omni thermometro, barometro, hygrometro exactiora, ut et languorem illum, quem graui aere nos premente vel turbido coelo experimur, nec non peſtis ortum, communicationes, et tranſitiones e corpore in corpus, vel e regione una in diſſitam aliam, ex quibus ultimis praecipue ſatis conſtare arbitratur, hoſpitare in aere inquinamenta illa, ſanguini, nec non ſubinde ſpiritibus infenſa, quae vel cum ingeſtis ad ſanguinem, vel cum inſpirato aere vel aliis viis ad intimos corporis receſſus deferantur.

Et ſic declarato aeris atmoſphaerici commercio p. 22. cum illo intra oeconomiam noſtram latente, ad effectus illius tranſiens Cl. Auctor oſtendit, atmoſphaeram non ſolum a ſalubritate ſua peſtiferorum contagioſorumque morborum aliarumque impuritatum ipſi

 a va-

a variis effluuiis admiſtarum exemplo euidenter recedere, ſed et minus euidente indole ſua, et variis modis ac mirificis, qui certas adhuc ad regulas redigi haud potuerint, agere in hominum valetudinem, quorſum ſubitaneae tempeſtatum et climatis conſueti mutationes praeter alia praecipue pertineant, quae ipſi etiam praecipuus fons atque origo morborum vel epidemice graſſantium vel endemiorum eſſe vi-
p. 24. dentur. Quaedam inſuper aeris vitia huic illiue corporis noſtri parti infenſa magis, ut capiti, oculis vel auribus, dentibus, faucibus, pulmoni, articulis, membranis aliis, cuti vel ipſis adeo neruis eſſe cenſet, unde epidemicas illas cephalalgias, integras vel dimidiatas, ophthalmias, otalgias, odontalgias, anginas, tuſſes, aſthmata vel et inflammatorias adeo ſtaſes thoracis, rheumatiſmos, arthritides, eſſloreſcentias cutis varias, neruorum morbos, praeter alios, ſpirituum quaſi naturam ac functionem turbantes, deriuat.

p. 25. Morbos dein ab aliquot retro annis, anno ſcilicet 1752 ad autumnum 1755 maxime ſolemnes, breuiter adumbrat, eosque omnes malo huic aeris mori, hoc tamen cum diſcrimine probe obſeruando adſcribit, quod eſca malignis corpuſculis grauida in pueris liberiorem aditum ad ſanguinem inuenerit, in adultis vero ſuam iam in primis viis exercuerit malignitatem. Sic in cholerae morbo anxias ventriculi agitationes, ab inquinato et per os, vehiculi genere quocunque ingeſto aere excitari ipſi magis placet, quam bilem vitiatam vel abundantem accuſare; maxime cum motu demum illo vehementi ac ſpaſtico ventriculi proliciatur bilis, et ne quidem ſemper bilis exeat, et cum in aliis quoque vomitibus, arte vel morbo alio productis, bilem ſimul excerni quam frequentiſſime videamus, ubi ſuſpicio ſit morbi bilioſi nulla.
p. 31. Harmonicae quoque aeris intus contenti proportioni cum reliquis fluidis laeſae, et vel in defectu vel abun-

abundantia peccanti, morbos praeter euidentem cauſam aliam malignos adſcribendos eſſe cenſet, quando v. g. in febribus inter acutos, intermittentes ac catarrhales mediam quandam naturam deprehendit, ubi ſine pulſu forti, inaequali, celeri, pleno, febris tamen adfuit cum animi atque corporis proſtratione continua, vires pedetentim conſumens, uſque dum placida plerumque mors inſequeretur, ſine ulla cutis effloreſcentia, ſine ſiti magna, ſine punctorio dolore partis ullius, vix ſubinde langueſcentibus euacuationibus aluinis, aliisque, atque omnem remediorum vim eludens. Anomalas tales malignasque febres tum maxime obſeruauit, quando ex ſubitaneis frequentibusque aeris ac tempeſtatum viciſſitudinibus, alii catarrhali febre, cephalaea, vel alio maxime exanthematico morbo correpti ſunt, vel quando clandeſtina animi inquietudo per aliquod iam tempus durans praeceſſit. Si quis vero easdem ad neruorum p. 32.
morbos referre mallet, ſingulares eosdem ac raros, a ſpaſticis, conuulſiuis, tremulis, dolorificis, verbo, euidentiorem partium aegritudinem, vel dolorem comitantibus, probe ſeiungendos, non repugnantem inueniet Cl. Auctorem, ſed eo accedentem libentius, quo illud aeris vitium in minutiſſimis particulis latere, et abſcondito impetu ſuo cuniculos magis agere, quam aperte oppugnare corpus videatur. In cura- p. 36.
tione autem horum morborum primo dolorem, ab irritatione partium ſenſibilium ortum, mitigandum, dein aerem ſuffitu, perflatione cubiculorum, peregrinatione mutandum; aeris vero particulas, per cibos in ventriculum iam delatas, alui purgationibus euacuandas, vel abſorbendas, vel, ſi ſanguinem iam intrauerint, per cutis emunctoria eliminandas eſſe ſuadet.

XIII.

Tripes Heitersbacenſis, cuius primam conſiderationem hiſtorico-dogmaticam, praeſide GEORGIO FRIDERICO SIGWART, Ph. et M. D. Chirurg. et Anat. Prof. Publ. Ordin. Facult. medic. ſeniore, p. t. Vniuerſitatis Rectore, pro gradu Doctoris, publice defendendam ſumſit *Chriſtoph. Fridericus Lieſching*, Tubingae, 1755. Litteris Bauhof- et Franckianis. 4. plag. 5½. Tab. aenea 1.

Nec non

Tripes Heitersbacenſis, cuius ſecundam conſiderationem dogmaticam praeſide G. E. SIGWART, pro gradu Doctoris publice defendendam ſumſit *Iohannes Dannenberger*, Tubingae, 1755. Typis Loeffleriae viduae. 4. plag. 5.

Cum quodlibet naturae factum Cl. Auctori non ſolum hiſtoricam, ſed et dogmaticam conſiderationem mereri videatur; totam quoque hanc pertractationem in duas partes, diuidere ipſi placuit. In priore, utpote breuiſſima, hiſtoriam tripedis huius puellae perpendit, in altera vero quinquaginta duas, monſtroſum hunc foetum concernentes, ſibi ipſe mouit quaeſtiones, quarum duas priores in diſſertatione adhuc prima, ſequentes vero quatuor quaeſtiones in diſſertatione ſecunda, paragraphorum numerum concatenata ſerie cum illo, in priore diſſertatione obſeruato, continuante diſcuſſit, reliquarum ſolutiones procul dubio alia occaſione partitis vicibus daturus. Nos hanc inchoatam quidem, nondum vero abſolutam, dogmaticam conſiderationem, eam quoque ob rationem, quod metaphyſici potius, quam medici argumenti eſſe videatur, iam miſſam facimus, et le-

ctoribus

ſtoribus noſtris nunc ea tantum, quae ad hiſtoriam huius monſtri adhuc viuentis propius ſpectant, paucis indicaturi ſumus. En totius hiſtoriae ſummam!

Scriniarii cuiusdam *Io. Iacobi Dietſch*, corporis firmi atque valentis, uxor, cuius antecedentes bini ſuperſtites infantes vegeti et bene conformati ſunt, in quinquenni coniugio tertium grauida facta, per totum huius grauiditatis tempus bona gauiſa eſt valetudine, nec quicquam ipſi, praeter inſignem, ex improuiſo caprae adſpectu, terrorem, accidit. Vergente anno 1754 in pago *Heitersbacenſi* ad agros *Nagoldenſes* pertinente, monſtroſam hanc puellam agripparum partu difficili et laborioſo in lucem edidit, et cum antea comitiali morbo laboraſſet, ab eo tempore, quo enixa eſt tripedem hanc puellam, cum ſanitate ita in gratiam rediit, ut ab hoc morbo nunc plane liberata ſit. Tripes vero haec puella aetatis ſuae, extra nempe uterum maternum, primum iam compleuerat annum, cum prima vice Cl. Auctori monſtraretur. Quoad ſexus ſui diſtinctionem in genitalibus externis nullum is obſeruauit vitium; nec reliquum uniuerſum corpus a conſueta abluſit forma; nullo quoque a natiuitate ſua graui afflicta morbo bene viguit puella, atque animam ipſi datam eſſe viuacem et ſerenam, ex quibuscunque ipſius functionibus animalibus iam iam haud obſcure coniicere licuit. Pes vero iſte tertius, quem Cl. Auctor binis figuris aeneis delineare curauit, quarum prima illum a poſteriore, ſecunda autem ab anteriore parte repraeſentat, ſequentem in modum ab ipſo deſcribitur: *Quoad quantitatem fere aequalis eſt pedi ordinario, nec huic quoad figuram diſſimilis; ſupra iſtum vero exſurgit tumor inſignis, ſulco, in media parte altius impreſſo, diſtinctus, et natium quoddam rudimentum oſtendens. Quod ſitum attinet, pars illius poſterior ad ſpinam, anterior vero ad inguinalem et iliacam regionem protenditur. Nulla vero, ſaltim non notabilis, muſculoſa fabrica ſentitur,*

p. 14.
p. 16.

titur, et ſola adeſſe videntur integumenta communia, undique aequabilia et multis vaſis picta. Tumor hic ubique ad tactum valde mollis eſt, et ita mobilis, ut ſingulis reſpirationis viciſſitudinibus reſpondeant ipſius mutationes. Sub eiulatu vero, quam maxime inflatur. Infra hunc tumorem cum mobilitate affixus pes haeret tertius. In parte femoris poſtica fouea occurrit, et in anteriori obſeruatur protuberantia inſtar verrucae eleuata. Pedem inferiorem ad femur retractum ob renitentes contractas partes molles extendere nequit infantula. Articulus tamen mobilis eſt. Pes extremus unico tantum digito, maiori nempe, inſtructus, reliquorum pedis digitorum loco lobulum carneum appenſum habet; reliqua fabrica omnis reſpondet receptae naturae conſuetudini.

XIV.

Herrn IOH. HEINRICHS GOTTLOB VON IVSTI *neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens derer Menſchen. Leipzig, bey Bernhard Chriſtoph Breitkopf. Erſter Band. 1754. 8. Alph. 2. pl. 1.*

i. e.

Nouae veritates in incrementum phyſices et commoda vitae communis hominum in ſocietate viuentium. Auctore Cl. DE IVSTI.

Ea eſt noſtri aeui conditio, ut quiuis fere hiſtoriae naturalis omnisque phyſices amore teneatur, et de harum ſcientiarum limitibus ulterius amplificandis ſollicite cogitet. Teſtantur de hoc innumera, quibus noſtra abundant tempora, ſcripta, quorum auctores in detegendis naturae diuitiis toti fuere. Vt igitur ſuam quoque conferret ſymbolam Cl. Auctor, qui orbi litterario, et olim et nunc variis innotuit ſcriptis,

ſcriptis, hunc libellum periodicum luci expoſuit publicae, in quo elaborando, ut iam patet ex titulo, duplicem ſibi propoſuit ſcopum, quorum prior phyſices ſcientiam, alter vero ſocietatis hominum commoda ſpectat. Illius igitur conſequendi cauſa, varia ex minerarum ſeu foſſilium regno potiſſimum depromta, reliquis ex oeconomicis, politicis, morumque doctrina adlatis, immiſcet. Vt eo tamen rectius lectores noſtri ipſam inſtituti rationem intelligant, unam alteramue hinc inde deſumtam particulam breuibus hic allegare in animum induximus; cum iuſto eſſemus longiores, ſi omnia, quae phyſico-chemicam tangunt ſcientiam, indicare vellemus. Prodiit vero ipſe liber per interualla, et duobus menſibus peractis pars quaelibet fuit excuſa, per anni vero ſpatium volumen integrum comparuit. Cum vero negotiis obrutus munereque, cui apud Goettingenſes praeeſt, impeditus Cl. Auctor, huic libro ulterius continuando vacare amplius neutiquam poſſit, factum eſt, ut alterius voluminis prima alteraque tantum pars lucem conſpexerit.

Part. I. no. 1. Nouam pretioſorum lapidum ſpeciem, quam anno 1752, in Morauiae comitatu, cui eſt nomen *Nannieſt*, inter alia, quae ibidem copioſe eruuntur, id genus foſſilia, detexit Cl. Auctor, fuſius deſcribit, et figura aenea adiecta illuſtrauit. Variis argumentis demonſtrare annititur, hancce lapideam glebam nulli huc usque cognito gemmarum ſeu pſeudo gemmarum generi eſſe annumerandum, ſed ob eas, quae ipſi ſunt, qualitates, peculiarem conſtituere ſpeciem. Eſt vero hoc foſſile, externam eius ſi reſpexeris formam, colore lacteo, opacum, lineis rectis fuſco-rubris, ad amethyſtinum vergentibus colorem, inſignitum: magnaque in copia granatorum fruſtula ipſi immixta deprehenduntur, quae tam arcte inhaerent, ut ſeparari ab ipſo, ſumma licet vi p. 3.

adhibi-

adhibita, neutiquam poſſint. Interna fabrica ab omnibus aliis, ex Cl. Auctoris ſententia *, differt lapidibus, cum achatae duritie cedat, marmor vero eadem ſuperet, nec, adſperſa aqua forti, alcali latitans prodat. Nullam ſubit lapis hic in igne mutationem, hinc ſpathis non annumerandus. Nullae proliciuntur ex ipſo, ope chalybis, ſcintillae, hinc a ſilicibus diſtingui facile poteſt. Adiicit quasdam Cl. Auctor de ortu ac geneſi lapidis huius coniecturas: colorem linearum amethyſtinum ab auro latitante dependere, granatos vero non ex lapide, ut matrice, exortos, ſed tantum ipſi inſperſos eſſe ſibi perſuadet.

p. 38. *No.* 4. Ferrum non ineſſe mineris martialibus, ſed in ipſa demum uſtulatione oriri demonſtrare conatur. Praecipua, quibus hanc ſuam fulcire ſtudet, argumenta eo redeunt: 1) Mineram ferri nullam, quamuis ſubtiliſſime tritam, a magnete, ante quam uſtulata fuerit, attrahi adfirmat: 2) mineram martialem, ſi ſolam, vel addito quodam alcali, uſtulaueris, nullum ope magnetis extrahere ex ea poteris ferrum, quod tamen magna ſeſe oſtendet in copia, ſi uſtulandae minerae addideris phlogiſton. Ex his coniicit, terram tantum metallicam ineſſe martialibus glebis, et, ſi quid etiam latitet in eis phlogiſti, illud tamen igne demum intime cum terra hac miſceri et ferrum hoc modo produci adſumit. Addit alias adhuc experientias, quae ſuam hypotheſin comprobare ipſi viſae ſunt, et cautelas in ipſa ferrum tractandi methodo attendendas ſubnectit.

p. 205. *Part. II. no.* 7. Repertus fuit in Auſtria, calcareus quidam lapis argenti compos, qui, quauis licet chemica encheireſi tentatus, nullum nec ſulphuris, nec arſenici, ſignum praebuit. Cum vero argentum nudum

* Contra quam varia monuit in epiſtola ad Cl. KAESTNERVM datam anonymus quidam Auctor. vid. *Hamburgiſches Magazin. XV. Band, 7tes Stück.* p. 100.

nudum ipſi ineſſe, nec armato quidem oculo, potuerit perſpicere Cl. Auctor, ipſum alcali, quo ſcatet omnis calcarea gleba, in mineram poſſe commutare metallum ſibi perſuaſit. Diſputat igitur varia, de ortu minerarum et omnem mineram a vaporum ſubterraneorum combinatione ac mixtione oriri demonſtrat. Oſtendit alcali et fixum et volatile, de cuius in regno foſſili praeſentia nemo dubitabit, in vapores ſubtiliſſimos poſſe reſolui; ſolutumque cum metallorum halitibus tale inire connubium, ut inde oriatur minera. Id ſtudet euincere ex eo, quod hepar ſulphuris ob ſuum alcali omnia metalla ſibi iungat, quin immo ipſum aurum, quod ſulphuris alias mixtionem reſpuit, ita deſtruat, ut nullo fere modo poſſit reduci. Quam igitur omnes phyſici hucuſque aſſeruerunt ſententiam, omnem nimirum metallorum *mineraliſationem* fieri per ſulphur et arſenicum, eam his adductis labefactare et tertium mineraliſationis principium addere conatur; ſimulque affirmat non ſolum argentum, ſed aurum quoque, quin immo omnia metalla, accedente alcali, in mineram poſſe conuerti. Addit ſub fine hiſtoriam huius fodinae, ex qua eruitur haec deſcripta minera, aliasque eius modi calcareas glebas, argento foetas, ex variis Germaniae locis, v. c. ex Sileſia, ſe accepiſſe aſſerit.

Part. III. no. 4. Corpora naturalia in lapideam p. 312. maſſam vel prorſus mutata, vel eadem tantum repleta, ea eruuntur in copia, ut nemo facile de vera corporum petrificatione dubitare queat. Cum vero in hoc naturae negotio declarando optimi deſudarint phyſici, innumeras fere inuenerunt difficultates nodosque, quos, cum ſoluere non potuerint, ſecandos putarunt. In ipſa vero hac diſquiſitione quaeſtio mota fuit: in quonam temporis annorumue ſpatio corpus quoddam naturale v. c. trunci arborum, quos in magna ſatis mole erutos ſeruant muſaea, in lapi-

dem

dem conuerti poſſit? Experientiam igitur, hanc quaeſtionem illuſtrantem, a variis Viennae phyſicis factam, Cl. Auctor hic recenſet. Sunt, ut hiſtoria docet, in Danubio rudera pontis a TRAIANO exſtructi, cuius trabes adhuc quaedam ſuperſtites manſerunt. Haud vana igitur coniectura ducti, has in petram eſſe mutatas, cum ſibi perſuaderent ſummi iſti viri, unam earum effodi curarunt. Nec ſpes fefellit. Fuit enim crus illud pontis, ex parte, modica quamuis, in lapidem conuerſum. Mirum tamen, quod, quamuis per mille ſeptingentorum annorum ſpatium aquae fuerit immerſum, non niſi ad ſeptem linearum geometricarum profunditatem, per omnem ligni ambitum, penetrauerit lapidea materia. Vnicum vero hoc exemplum, cum ad quaeſtionem propoſitam ſoluendam vix ſufficiat, operae pretium fore aſſerit Cl. Auctor, ſi et phyſicorum alii de hac re colligerent experientias, ut tandem, ex his collatis, maius veritatis eluceſcat argumentum.

p. 61. *Part. VII. no.* 3. Cum et varias metalla reddendi nobiliora adduxerit in hoc libello methodos, unius tantum ex his breuibus mentionem feciſſe ſufficiet, quae quidem, quamuis de ipſius efficacia cum Cl. Auctore ipſi dubitemus, reliquis tamen omnibus quodam modo praeſtare videtur. Paratur variis, quas fuſius deſcribit et explicat, encheireſibus, ex antimonii minera oleum coccinei coloris, ſaporisque dulciſſimi, in cuius uncia una cum ſemiſſe auri, huic operi peculiari modo adaptati, drachma ſoluitur. Affundenda haec ſolutio eſt ſolutioni argenti, aquae fortis ope factae; praecipitatur calx aurea, quae edulcorata et exſiccata, verum aurum deprehenditur.

p. 93. *No.* 5. Iaſpidem variegatam, maculis rubris et virideſcentibus inſignitam, in comitatu Mansfeldico reperit Cl. Auctor. Duplex eſt huius lapidis varietas, quarum una maioribus, altera minoribus gaudet maculis.

culis. Eae, quae viridi tinctae ſunt colore, partes pellucidae quodam modo deprehenduntur, et ex fibris, ſibi inuicem iunctis, compoſitae apparent. Hinc Amiantho ſeu asbeſto ſuam debere originem viſae ſunt Cl. Auctori, et per temporis ſpatium maiorem eas acquiſiuiſſe ſibi perſuadet duritiem. Nominare igitur nullus dubitat hanc glebam lapideam Iaſpasbeſtum, cum mos ſit mineralogis dicere quosdam lapides, Iaſpachatem, Iaſponychem etc. Ineſt interdum huic iaſpidi vena metallica cobalto ſimilis, quae, cum aeris acceſſu fatiſcat, ſpongioſum ſeu poroſum ex parte lapidem efficit.

Part. VIII. no. 6. C. F. SCHVLZIVS, cuius iam alias * mentionem fecimus, in epiſtola ad Cl. Auctorem data, de fruſtulis ſuccini, quondam in Saxonia prope *Pretzſch* effoſſis quaedam exponit. Deſcribit primum terram, cui hae glebae inhaeſerunt; conſtat nimirum ſtratum duplici terrarum genere; vel enim humus nigricans, mica arenaque commixta, ſaporis vitriolici, odoris bituminoſi ipſas inueſtit; vel argilla cinerea, ligni radicumue fruſtis referta eas cingit. Tegitur vero hocce ſtratum arena rubra quartzoſa, ſaxis aliisque venarum fruſtis commixta. Variat et colore et pelluciditate hoc repertum ſuccinum; aliud enim lucem transmittit coloreque aureo ſeſe diſtinguit; aliud opacum eſt et colore citrino tinctum. Commemorat inſuper Cl. Auctor, varia in hac regione ſuperioris potiſſimum ſeculi annis exorta fuiſſe terrarum incendia; miraturque hoc ſuccinum per tot annorum ſpatium incognitum latitaſſe, cum iam, teſte FRENTZELIO, anno praeteriti ſeculi ſexageſimo nono, terra haec, chemice examinata, oleum ſulphureum bitumenque, ſuccini reſoluti, ut ipſe fatetur modo nominatus Auctor, teſtes praebuerit. p. 133.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 707.

XV.

D. ANTON RÜDIGERS *ſyſtematiſche Anleitung zur reinen und überhaupt applicirten oder allgemeinen Chymie, darinnen die chymiſchen Handarbeiten in einer natürlichen Ordnung ausſührlich beſchrieben, ihr wahrer Gebrauch, und alle zu den Operationen gehörige, theils phyſicaliſche, theils mechaniſche Inſtrumente, und die nöthigſten Handgriffe und Vorſichten bey jeder Operation deutlich angezeiget werden, nebſt einem Unterrichte von der Ausarbeitung und den Kräften einiger brauchbaren Arzeneyen, und wie eine dogmatiſche Pharmacie nützlich abgehandelt werden könne. Mit Kupfern. Leipzig, verlegts Iohann Gottfried Dyck. 1756. 8. Alph. 2. pl. 5½.*

i. e.

D. ANTONII RÜDIGERI inſtitutiones ſyſtematicae purae atque generaliter adplicatae ſeu uniuerſae chymiae etc.

Hactenus variae quidem inſtitutiones chymicae in lucem prodierunt, aſt pauciſſimae earum ita conceptae ſunt, ut magis generales oſtenderent leges, ad quas corpora commiſcibilia mutari et componi poſſint atque debeant. Cum autem Cl. Auctor probe perſpexerit, chymiam, ſi indicata ratione pertractaretur, multo maiorem in aliis artibus atque ſcientiis utilitatem habituram eſſe, animum induxit, haſce ſuas praeſentes chymiae inſtitutiones conſcribere. Prima huius operis ſectio naturam, originem atque progreſſum artis chymicae cum optima methodo eam docendi et diſcendi ſiſtit. Altera ſectione ſimplicia magisque compoſita in primis corpora, non ſolum ſecun-

ſecundum indolem ſuam, ſed et quatenus mutationi corporum perficiendae inſeruiunt, conſiderantur. Tertia ſic dictas operationes chymicas, omnia vaſa, inſtrumenta atque enchireſes, quae ad illas tuto, cito ac commode peragendas requiruntur, ſimul cum vero earundem in corporibus mutandis uſu, exhibet. Quarta denique traditur variorum valde utilium medicamentorum praeparatio, et praeterea exponitur, qua ratione pharmacia methodo ſyſtematica pertractari poſſit.

In primo capite ſectionis primae conſiderantur in genere et clare exponuntur, ſubiectum, obiectum, inſtrumenta atque finis chymiae, adeoque artis huius faciendae tota natura. Materiae commiſcibiles in omnibus naturae regnis ſubiectum, materiarum praeparationes ad varios uſus humanos, earundemque diſquiſitiones ſecundum partes eſſentiales, obiectum ſeu finem artis paulo remotiorem conſtituunt. Chymicus nihil valet efficere ſine adplicatione corporum ad corpora, ſine motu atque quiete, et ſi deſtitutus eſt materiis, quae in ſe inuicem agunt. Inſtrumenta igitur chymiae diſtribuuntur in formalia atque materialia. Formalia ſunt vel remota, vel propiora, vel proxima. Inſtrumenta materialia vel ob mixtionem ſuam mutationes in corporibus producunt, vel ob certas quasdam mechanicas rationes id praeſtant, adeoque diuidantur, neceſſe eſt, in phyſica et mechanica. Ad formalia remota referuntur adplicatio corporum ad corpora, motus et quies. Formalia propiora ſunt variae corporum via ſicca et humida factae per menſtrua ſolutiones et ſolutorum a menſtruis ſeparationes, ubi ſimul fixa ſaepe redduntur volatilia et haec figi ſolent; porro mechanicae corporum ſubtiliſationes, et corporum mechanica ratione factae a ſe inuicem ſeparationes. Proximae vero et maxime definitae corporum mutationis cauſae ſunt ſic dictae operationes chymicae. Ad inſtrumenta materialia p. 1.

terialia phyſica pertinent cuncta corpora, quae mediate aut immediate alia corpora mutare, ſeparare ac in iis motum quendam excitare poſſunt, veluti ſal, ſulphur, mercurius, terra, aqua, ignis etc. Chymica vaſa, inſtrumenta, luta atque furni aliaeque huc ſpectantes res iure collocantur inter inſtrumenta materialia mechanica. Finis chymiae proximus et perpetuus eſt ſeparatio una cum combinatione, qui ſimul comprehendit chymicam productionem atque eductionem, utpote ſingulare ſeparationis genus. Diſquiſitio corporum eorundemque praeparatio in varios uſus eſt finis paulo remotior, aſt characteriſtica cognitio ſeparatorum ac combinatorum corporum et practica aeque ac theoretica ad alias artes et diſciplinas adplicatio remotiſſimus.

p. 25. Chymia igitur eſt ars, quae non ſolum leges ſuppeditat, in mutatione materiarum commiſcibilium obſeruandas, ſed etiam quae operationibus ipſis commonſtrat, quod datae leges ad corpora mutanda ſeu ſeparanda et de nouo combinanda, ad characteriſticam cognitionem ſeparatorum et combinatorum corporum acquirendam atque inde ortas experientias ulterius adplicandas reapſe valeant. Chymia vel pura atque dogmatica eſt, quatenus tantum dogmata et praecepta ſeparandi combinandique corpora proponit, vel adplicata, quoad dogmata propoſita vero uſu atque operationibus demonſtrat. Quatenus chymia leges tradit ſeparandi et producendi intime mixta, eatenus dicitur chymia pura, ſublimior, et diſtinguitur a pura communiori, quae modo docet, quibus auxiliis aggregata et compoſita mutari debeant. Adplicata vel eo fine inſtrumenta docet, quo operationes in genere recta ratione inſtituantur atque perficiantur, vel quaerit occulti latentis reuelationem, aut corporum in uſus humanos egregios eosdemque diuerſiſſimos aptam compoſitionem et praeparationem. Haec dicitur ſpecialiſſime adplicata, illa contra

contra generaliter adplicata. Ad ſpecialiſſime adplicatam et quidem ſublimiorem pertinet alchymia, ut pote ars, quae metalla mutat, non quatenus aggregata, verum quoad mixta ſunt.

In ſecundo capite fontes remotiores atque propiores, a quibus ars chymica orta et aucta fuit, indicantur. A metallurgia et alchymia, vetuſtiſſimis temporibus iam iam culta, ut propiori principio, et abinde ſenſim natis aliis artibus, oeconomicis v. g. mechanicis atque pharmaceuticis chymia potiſſimum originem duxit atque creuit. Omnes denique cultu harum artium factae et collectae experientiae anſam praebuerunt ad leges generales combinandi et ſeparandi corpora reperiundas, ad inſtrumenta artis fini apta in certum ordinem redigenda, adeoque ad ſyſtema quoddam chymicum conſtruendum. Methodus optima chymiam docendi atque diſcendi declarata eſt ex natura artis primo capite expoſita, et ex ipſo operis huius ordine clariſſime cognoſcitur. p. 30.

Sectione altera et quidem primo capite diſſeritur de luce atque igne ſolari, de aere, de phlogiſto, de igne actuali, de acido primigenio atque catholico, de aqua, de terra, de ſale in genere et denique de frigore. Operae utique pretium erit, varia, quae in conſideratione harum rerum occurrunt, indicare. Ignis ſolaris ex igne atque luce elementari, intima ratione inter ſe unitis, conſtat. Ignis ſolaris tenuiſſimae fuſionis ſeu vitrificationis inſtrumentum eſt, et hac vi ſua ignem culinarem longe plus ſuperat. Aeris liberior acceſſus potiſſimum impedit, quo minus ſpiritus vini rectificatiſſimus cum ſpiritu ſalis ammoniaci coaguletur et offa Helmontiana oriatur. Aer in ſe ſpectatus phlogiſti et ignis potentialis combinationem haud adiuuat, ſed potius ſubtile quoddam ſalinum idque nitroſum principium, in ipſo aere, vel materiis ignem actualem conſtituentibus latens, facit, ut corpora incendantur et comburantur. Ignis p. 51.

Ii 3 actualis,

actualis, qui ſemper praeſto eſt, ubi corpora inflammabilia vel candent, vel flamma ardent, ob lucem, quam ſecum habet, corpora mutat atque diſſoluit. Hinc quo magis lucida flamma ignis ardet, eo citius atque potentius diſſolutionis praeſtat effectum. Inde quoque lucidiſſima flamma, ſub detonatione orta, adhuc multo maiorem efficaciam exerit, quam ignis ſine nitro corporibus, quae incendi poſſunt, adplicatus. Acidum catholicum eſt acidum ſulphureum, cum potius acidum primigenium acidum vitriolicum fixum eſſe videatur. Hoc minus compoſitum, aſt magis concentratum eſt, quam illud. Aqua eſt medium unionis inter fluidas ſubtiliſſimas, halituoſas et ſolidas partes. Terra gypſea nec vitrioli, nec nitri, nec ſalis acido, ſiue ſit dilutum, ſiue concentratum, ſoluitur, aſt menſtruum ex acido ſalis concentrato, fumante, et ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua parato, pariterque minus aquoſo compoſitum, eam penitus, non ex parte, ſoluit, ſi fortis ſimul adhibetur digeſtio, ut menſtruum ebulliat. Terra pura et aqua ſunt ſalis eſſentiales partes, magis ſimplices et minus ſapidae, acidum e contrario primigenium atque catholicum conſtituunt partes eſſentiales, pariter minus compoſitas, aſt magis ſapidas. Frigus, eiusdemque certus quidam gradus, ſpiritum rectorem plantarum, ſeu oleum aethereum, ſubtilibus ſalinis particulis homogenea ratione mixtum, ex aquis deſtillatis in forma concentrata ſeparare ſolet.

p. 125. Altero capite agitur de variis liquoribus acidis, de materiis inflammabilibus ſolidis et fluidis, de ſalibus veris atque productis, nimirum alcalinis, acidis ac mediis, de ſaponibus, de metallis ac ſemimetallis, pariter et de affinitate corporum. Metalla compoſita ſunt ex terra mercuriali ſolida, ex terra igneſcibili atque terra quadam figente, quae in aliis metallis calcaream, in aliis vitreſcibilem indolem habet. Terra mercurialis eſt igne liquabilis, incombuſtibilis, metalla

metalla ponderoſa, mollia ac malleabilia reddens. A figente terra dependet cauſa duritiei, ſoliditatis atque coagulationis, et quam ob rem alterum metallum altero difficilius igne liquetur, alterumque altero facilius ſalinam mixtionem adipiſcatur. In diuerſis metallis diuerſa deprehenditur harum terrarum copia. Diuerſa haec copia ſimul cum diuerſa ratione, qua inter ſe mixtae ſunt hae terrae, facit vera metallorum diſcrimina, quorum cognitio omnium maxime ad metallorum mixtiones mutandas valet In ignobilioribus metallis, cum intime mixtis partibus, prorſus peregrina corpora una combinata ſunt.

Corpora dum corporibus adplicantur, vel cito ac valide, vel lente et magis debili ratione inter ſe coniunguntur, vel prorſus nullo modo coeunt. Niſus corporum in ſe inuicem in genere conſideratus, dicitur affinitas. Eſt quoddam uniuerſale criterium, ex quo corporum affinitates cognoſcuntur, nempe ratio et modus, quomodo ſibi inuicem adhaereant, dum rite componuntur. Attamen magis ſingularia criteria affinitatis et antipathiae corporum poni poſſunt, quae diuidere licet in externa ac interna, et externa iterum in magis generalia et ſpecialiora. Inter generalia locantur ſolutio et combinatio corporum per corpora, ſeparatio corporum per corpora, et denique congrua grauitas, ſoliditas, fluiditas, durities, mollities, color atque figura, quae omnia dum magis definiuntur, exiſtunt ſpecialiora externa. Corpora inter ſe affinia non ſolum inſtrumenta largiuntur, corpora miſcendi ac ſeparandi, verum etiam corpora imperfecta magis perficiendi. Sic et corporum affinitas cognita atque perſpecta eam habet utilitatem, ut futuros effectus, quos corpora ſibi affinia, dum combinantur, editura ſunt, praeuidere poſſimus. Vbi corpora duo ſibi inuicem debito modo adplicata, vel debili vel prorſus nulla ratione inter ſe uniuntur, non ſolum interueniente tertio quodam corpore, quod

p. 249.

utrisque affine eſt, maior affinitatis gradus produci, ſed etiam niſus in ſe inuicem, qui ante non aderat, excitari poteſt. Eiusmodi corpora, quae interuentu ſuo efficiunt, ut alia validius inter ſe cohaereant, et alia, quae prorſus unionem renuunt, facilius coeant, vocantur auxilia unionis appropriata, tertia proportionata, media coniunctiua.

p. 267. Primum caput ſectionis tertiae monſtrat operationes chymicas, quae peragendae ſunt, quando in ſingularibus corporibus ſeparationes atque mutationes fieri debent, harumque operationum generales effectus. Apparatus ſic dictus chymicus eſt mera artificis opera et fit, dum vel mechanica aut phyſica inſtrumenta corporibus adplicantur, vel auferuntur, vel corpora ad motum irritantur, et mota ad quietem iterum reducuntur. Corporum indoles atque effectus, qui ab artificis opera antegreſſa immediate proficiſcitur, eſt primaria, proxima et interna cauſa, quam ob rem ſeparationes atque mutationes contingant, cum e contrario omnia ea, quae artificis manu perficiuntur, ad cauſas remotiores exterioresque pertineant. Opera igitur artificis quam maxime differt ab opera naturae, et quamuis utraeque ad corpora mutanda requirantur, haec tamen multo maioris momenti eſt, et longe plus praeſtat in corporum mutatione, quam illa. Operationes vulgo ſic dictae chymicae proprie ſignificant ultimos in ſenſus incurrentes effectus, ab opera artificis atque naturae ortos. Mutationes corporum factae ſunt vel primarii effectus, vel ſecundarii, et primarii vel generaliores vel ſpecialiores. Primarii generaliores comprehendunt ſeparationem, eductionem, productionem, nouam combinationem; ſpecialiores contra aggregationem, aggregati deſtructionem, compoſitionem et imperfectae mixtionis ſeparationem, mixtionem perfectam et intimam partium, intimae mixtionis diſſolutionem. Rationes et modi, qui indicantur,

aggre-

aggregata, compoſita, nec non intime mixta producendi atque ſeparandi, ſunt varii et quam maxime inter ſeſe diſcrepantes. Secundarii effectus pariter diuiduntur in generaliores et ſpecialiores. Ad illos referuntur ſolutio, ſeparatio ſoluti corporis a ſoluente, ſeparatio puri ab impuro, leuioris ac ſubtilioris a groſſiori et ponderoſiori, volatiliſatio atque fixatio, e quibus explicatis natura fluidi atque ſolidi, puri et impuri, figentis, volatile reddentis, ac illius principii, quod penetrabile nominari meretur, declaratur. Solutio eſt vel mechanica vel phyſica. Haec fit per ignem et aerem, aut per ſic dicta menſtrua, via humida aut ſicca, vel ſuperficialis eſt, vel eſſentialis, vel radicalis, vel partialis ſiue extractio et ſolutio ſeparatoria. Corpus ſolutum a ſoluente ſeparatur, vel potiſſimum per praecipitationem, vel praecipue per coagulationem cum et ſine praecipitatione, vel per ſolutionem partialem. Separatio ſoluti corporis porro vel eſt ſuperficialis, vel eſſentialis, vel radicalis, vel partialis, et veluti ſolutio, via humida aut ſicca fieri ſolet.

Altero capite peculiares quidam ſecundarii effectus continentur, qui exiſtunt, dum ignis adplicatur corporibus, quorum indoles eiusmodi eſt, ut vel tota quanta, vel ex parte, in fumum, halitus et vapores ignis vi conuerti aut comburi queant. Conſideratae igitur in hoc capite obueniunt, deſtillatio, ſublimatio, euaporatio, uſtulatio, calcinatio, combuſtio, incineratio atque detonatio. p. 295.

Tertium caput complectitur operationes, corporum mutationi inſeruientes, quatenus iſta mechanice et phyſice via humida ſolui, ſoluta a menſtruis humidis phyſice ſeparari, et quatenus ſolida a fluidis, haec ab illis, et fluida ac ſolida a ſe inuicem mechanice ſeparari poſſunt. Primo igitur ordine habentur, contuſio, trituratio, conciſio, granulatio, raſio et raſpatio, limatio, laminatio, coagitatio atque con- p. 460.

cuſſio. Altera ſerie collocantur varia genera ſolutionum via humida, nempe ſolutio per deliquium, veluti deliquatio ſalium alcalinorum aliorumque corporum ad aera, et deliquatio myrrhae in ouo igne coagulato et excauato, ſolutio per inſolationem, ſolutio per imbibitionem et exſiccationem, ſolutio per infuſionem, ſolutio cum ebulliente menſtruo, ſolutio cum digerente calore, ſolutio ſine externo calore et per frequentiorem coagitationem, ſolutio per triturationem, ut ſolutio plantarum methodo Comitis DE GARAYE, et amalgamatio, ſolutio per vaporationem et caementationem, ſolutio per abſorptionem et praecipitationem etc. His ſuccedit ſeparatio phyſica, quae fit per additamenta, ſeu praecipitatio via humida, porro ſeparatio phyſica per coagulationem cum et ſine praecipitatione, quorſum pertinent calcinatio ſic dicta metallorum via humida, dephlegmatio et defoecatio, et denique cryſtalliſatio. Demum ſequuntur operationes corporum mechanice ſeparabilium, v. g. clarificatio, decantatio, filtratio et percolatio, ex et transpreſſio, ſeparatio oleorum ab aqua, deſpumatio, elutriatio, cribratio. Prorſus ſingulare quoddam genus eſt ſeparandi ſolida a ſolidis, ubi ferro, in lapidibus aut terreis partibus abſcondito, lapis magnetis in certa quadam diſtantia adplicatur.

p. 563. Quarto capite exhibentur operationes, quibus corpora mutantur, quoad iſta motui inteſtino ſunt obnoxia, et quatenus ex fixis volatilia, et ex volatilibus fixa fieri poſſunt, adeoque ibi expoſitae reperiuntur, maceratio, digeſtio, fermentatio, putrefactio, mercurificatio.

p. 590. Quinto tandem capite conſpiciuntur operationes, corporibus deſtinatae, quae phyſice via ſicca ſolubilia ac ſeparabilia ſunt, et in primis, quae igne liqueſcunt atque funduntur nimirum liquefactio, fuſio, vitrificatio, mineraliſatio, reductio, reſuſcitatio mercurii per mineraliſationem, ſcorificatio, cupellatio; porro

porro praecipitatio fuſoria auri et argenti, difflatio reguli antimonii ab auro, et denique eliquatio, praeſertim minerarum ac metallorum. Hoc igitur capite inſtitutiones ſyſtematicae purae atque generaliter adplicatae ſeu uniuerſae chymiae ad finem perducuntur.

Iſte recenſitarum operationum ordo hactenus a nemine obſeruatus eſt, et eximium omnino praeſtat uſum, ubi corpora cum ratione ſufficiente vel exploranda, vel varia ratione ad varios uſus mutanda ſunt. Operationes quaelibet ſecundum naturam, ſecundum vaſa atque inſtrumenta clare et plene deſcribuntur, apparatus operationum ubique in exemplis idoneis demonſtrantur et uſus earundem ſatis ſuperque declaratur. In ſingulis praeterea, ubi neceſſarium id viſum eſt, ſimul indicatur, qua ratione et ſub quibus cautionibus in exploratione corporum iis ſit utendum. Sic pariter oſtenditur, ſub quibus conditionibus operationes, quae aggregata tantum mutant, mixta corpora alterent, volatilia fixa, et fixa volatilia reddant. Quasdam tantummodo operationes, nempe calcinationem, combuſtionem atque digeſtionem, in praeſenti adducere liceat, quo clarius perſpiciatur, qua ratione ſingula expoſita ſit.

Quando gluten corporum igne ſicco aut mutatur, p. 415. aut diſſipatur, ut illa vel in puluerem dehiſcant, vel modo friabilia reddantur, ſine ulla combuſtione cum manifeſta flamma calcinandi corporis, dicitur iſte effectus calcinatio in genere. Corpora, quae iſti operationi ſubiiciuntur, vel potiſſimum ex ſolidis, vel maxime ex fluidis partibus conſtant. Dum corpora igne in puluerem conuertuntur, aut tantum magis friabilia euadunt, vel mixtio eorundem prorſus alteratur et noua exiſtit, praecipue ſi certus quidam ignis gradus diu atque aequabiliter continuatur, veluti videre eſt ex diu continuata, ſaepiusque repetita calcinatione metallorum imperfectorum, ex calcinatione vehe-

vehementi et per multas horas protracta colcotharis, quod demum mutatur in puluerem gryſeum, cinereum; vel corpora modo ab aquoſis aliisque fluidis partibus ſeparantur, ſeu plus minus exſiccantur absque ulla inſequente mixtionis diſſolutione. Hoc calcinationis genus longe diſcrepat ab illo, et dicitur calcinatio imperfecta, cum illud potius calcinatio perfecta ſit et proprie calcinatio nominari mereatur. Iſta, quae diu continuatum atque plerumque aequabilem ignis gradum poſtulat, poteſt inſtitui partim apertis, partim plus tectis vaſis, variis in furnis, vel cum prunis, vel cum ligno ardenti et variis ignis gradibus. Si ligno ardenti calcinantur corpora, et flamma ignis adeo dirigitur, ut ſuper vaſa aperta et corpora mutanda ruat, dicitur iſte calcinandi modus, calcinatio perfecta reuerberatoria, in qua praecipue ad primum ens ſalium, ſeu acidum oleoſum, quod in flamma ignis deliteſcit, attendendum eſt. Huc pertinet v. g. calcinatio metallorum ad pulverem via humida redactorum et bene edulcoratorum methodo ISAACI HOLLANDI inſtituta. Calcinatio perfecta ſiue fiat in plus tectis vaſis et leniori ignis gradu, ſiue magis apertis vaſis et igne fortiori, poteſt inſtitui cum additamentis, quae effectum huius non ſolum multo promptiorem reddunt, ſed etiam augent. Huiusce modi corpora ſunt varii ſales, ſulphur, imo arſenicum, metalla et ſemimetalla, nec non hepar ſulphuris, ut pote praeſentiſſimum auxilium calcinandi metalla. Vbi calcinatio in ollis caementatoriis perficitur cum additamentis, eo animo, ut quaedam iſtorum partes calcinando corpori uniantur, dicitur caementatio ſyncritica prorſus ſingularis. Calcinatio perfecta, ſeu calcinatio proprie ſic dicenda, uſtulatio haud eſt. Hac etenim nunquam intime mixta deſtruuntur et noua producuntur, cum tamen iſte effectus utique ab illa prouenire ſoleat. Combuſtionem cum aperta flamma poteſt quidem ſequi calcinatio

tio perfecta, aſt minime hanc illa. Poſtquam haec omnia praemiſſa ſunt, enchireſes, quas calcinatio corporum in ſpecie ſic dicenda requirit, indicantur. Hae deſumuntur ex indole ipſa corporum, et ſunt vel generales, vel magis definitae. Iſtae partim ſpectant ad corpora, quae potiſſimum ex ſolidis, partim ad ea, quae maxime ex fluidis partibus conſtant, partim ad mutationem ipſam, quam chymicus intendit. Sic peculiaris ratio procedendi neceſſaria eſt, ubi corpora, praecipue ab igne mutabilia, eo ſimul animo calcinantur, ut inde orta noua mixta firma atque ſtabilia maneant, nec adeo facili negotio iterum deſtruantur. p.422.

Poſtea varii apparatus calcinationis proprie ſic dicendae in variis exemplis demonſtrantur. Deſcribitur nimirum, quomodo calcinatio mercurii per ſe, in quonam vaſe, quali in furno, quibus ignis gradibus calcinatio colcotharis, cupri et ferri, auri et argenti, plumbi et ſtanni perfici debeat, ut iſta metalla, ſi non penitus, tamen aliquali ex parte, veram ſalis indolem nanciſcantur. Tum agitur de modo calcinandi tartarum, cineres elixiuiatos, et de nota characteriſtica ſalis alcalini bene calcinati. Sic pariter enchireſes ſuppeditantur, quae in calcinatione mercurii cum metallis adhibendae ſunt, ubi quis eorundem eſſentialem ſolutionem atque ſeparationem quaerit. Haec demum ſequuntur quaedam corollaria ac ſcholia ad calcinationem perfectam pertinentia. Diſſolutio atque productio mixti ſub calcinatione oriri ſolita ſaepiſſime non cognoſcuntur. Experimenta namque non ſemper cum ſufficienti materiae mutandae copia inſtituuntur, ignis requiſitus gradus nec adhibetur, nec ſatis diu et aequabiliter continuatur, et denique propterea, quod vulgo putatur, omnem copiam materiae ſumtae breui tempore eſſentialiter mutari debere, cum tamen per id temporis ſpatium, quod iſti labori impenditur, plerumque tantum p.424.

valde

valde exigua portio ſecundum mixtionem deſtruatur. Quando calcinationi corpora ſubiiciuntur, quo clarius iſta ſecundum partes conſtituentes detegantur, ſcire oportet, partes eorum eſſentiales ex facta mutatione tantum in genere neutiquam definita ratione eſſe declarandas. Sic ſi v. g. metalla ignobiliora diu continuata calcinatione ad terram minus reducibilem deducta ſunt, in genere tantum colligi poteſt, metallis iſtis ineſſe terram eamque fixam, metalla iſta gaudere fuſili principio, quod igne ſe diſſipari ſinit. Mutatio metallorum ignobiliorum in meram calcem ſola ignis ope facta, pariter et ſalium exſiccatio, eſt imperfecta calcinatio. Calcinatio ſiue perfecta, ſiue imperfecta eſt ſolutio via ſicca. Calcinatio ſic dicta via humida, veluti calcinatio philoſophica, caementatio diacritica auri, calcinatio metallorum per abſtractionem menſtrui corrodentis, poſſunt quidem calcinatio dici, neutiquam vero ad calcinationem, quae igne ſolo perfici ſolet, referri merentur. Combuſtio, poſtquam in genere pronunciatum eſt, quinam effectus illa ſit, varia ratione diuiditur.

p. 416. Corpora videlicet cremantur vel igne aperto, ſeu plus minus lucida flamma aut ignitione, vel actione ignis ſuffocata. Combuſtio fieri poteſt cum additamentis, quae efficiunt, ut corpora non ſolum ſubito ac cito, ſed etiam in vaſis clauſis cum lucidiſſima flamma conſumantur. Corpora comburuntur vel tota, ut ne veſtigium eorum relinquatur, vel tantum ex parte, cum remanentibus ſcilicet fixioribus particulis, et cum vel ſine inſequente incineratione. Quod res ita ſeſe habeat, notis probatur exemplis, v. g. combuſtione ſulphuris, crematione plantarum cum lucida flamma et ignitione, crematione earundem methodo Tacheniana, et detonatione, quae ad tertium cremandi genus refertur. In his prolatis exemplis deinde operationes oſtenduntur, quibus ad corpora modis indicatis comburenda pro varietate finis uti poſſumus.

poſſumus. Varii nempe apparatus comburendi ſulphur pro obtinendo eius ſpiritu acido, cremandi plantas ignis flamma liberiori, uſtulandi herbas ignis actione ſuffocata, et denique detonationis, cum omnibus vaſis atque inſtrumentis deſcribuntur, ita ut ſemper tuto, cito ac commode operationes iſtae perfici queant. Poſt ſingulae operationis deſcriptionem indicatur, quanam potiſſimum re altera ſeſe diſtinguat ab altera, variae hinc inde enchireſes ad ſingulari ratione ſub combuſtione mutanda corpora proponuntur, et tandem quoque dicuntur ea, quae ad uſum combuſtionis verum ſpectant, ubi ſimul variae cautiones circa combuſtionem, corpora explorandi gratia inſtitutam, obſeruandae inſeruntur.

Ad combuſtionem ſulphuris pro excipiendo ſpiritu acido aptiſſimus cenſetur iſte apparatus, cuius delineatio in Tab. III. ſub num. I. reperitur, et STAHLII methodus; attamen in aliis corporibus comburendo indagandis ille huic praeferendus eſſe dicitur. Hac occaſione ſimul problema Stahlianum: quo modo alcali fixum ab acido vitriolico; prouti ambo in certo quodam tartaro vitriolato coniuncta eſſent, in vola manus, uno temporis puncto, ſeparari poſſit: multo faciliori, quam ab aliis factum eſt, ratione ſoluitur. Inter regulas, quae corporum comburendorum explorationem attinent, praeſcribitur quaedam ita concepta: Si ea, quae vi ignis comburentis educta ſunt, ſecundum indolem curatius detegi debeant, ulterius combinanda atque componenda ſunt. p. 428. p. 432.

Res exemplo a phosphoro anglicano deſumto illuſtratur. Phosphorus iſte, dum comburitur, relinquit materiam colore laccae ſignatoriae ſimilem, quae non ſolum inſignem acrimoniam habet, ſed etiam adhuc aliqualem odorem phosphori edit. Haec materia cum leni igne ſuperhabetur, parumque de nitro depurato ſuperſpargitur, incipit nitrum p. 445.

trum ſpumeſcere, et exſurgunt vapores ſpiritus nitri valde percipiendi, poſt auditur quaedam decrepitatio, ac ſi ſal commune adiectum eſſet, materia illa phosphori ſenſim in nitro euaneſcit, et oritur ſal candidum, durum. Si e contrario ſal commune additur, neque ſpumeſcentia neque ullus acidi ſalis halitus percipitur, nec materia phosphori a combuſtione relicta in ſale communi addito disparet. Sic quoque concentratum acidum vitriolicum, quod tamen, ſimul ac nitro aut ſali communi adfunditur, eorundem ſpiritus expellit, nulla ratione huic materiae admiſcetur mutationemque infert. Hic phosphorus igitur una cum copioſiſſima inflammabilium partium, conſtat ex acido quodam concentrato. Acidum iſtud concentratum, a combuſtione ſuperſtes, quoniam ſpiritum nitri expellit, minime ſpiritum ſalis, et expulſo ſpiritu nitri, alcalinae huius parti ſalis communis proprietates largitur, videtur eſſe acidum ſalis, quod acido vitriolico liberum reddi nequit, adeoque quam maxime concentratum. Materia igitur phosphori a combuſtione remanens et arſenicum inter ſe conueniunt, quatenus ambo corpora ſpiritum quidem nitri, aſt minus ſalis de alcalina parte pellunt, acidasque ſuas partes oleo vitrioli adfuſo neutiquam dimittunt, quamuis certo tales contineant.

p. 565. Digeſtio vel ſolutionis et ſeparationis adminiculum eſt, vel inſtrumentum formale, primarium, ſeu cauſa proxima varias easque lentas mutationes in corporibus producendi. Hoc digeſtionis genus in capite quarto ſectionis tertiae ita exponitur. Indicatur primum, quinam effectus ſit iſta digeſtio, definiuntur corpora, quae huic operationi ſubiecta ſunt, finis declaratur, cuius cauſa corporibus digeſtio adplicatur; nempe quo facile, copioſe ac cito fluidae, ſolidaeque partes ſibi inuicem uniantur. Quibus praemiſſis digeſtio diuiditur in lenem atque fortem. Haec et illa poteſt eſſe vel ſimplex vel compoſita operatio

ſeu

ſeu proceſſus, in quantum lenem fortis ſequitur, vel illa huic ſuccedit. Digeſtione adhibita fluidae partes, dum ſolidis uniuntur, poſſunt vel fluiditatem conſeruare, vel plus minusue inſpiſſari, coagulari atque figi. Poſt haec oſtenditur, quodnam digeſtionis genus neceſſarium ſit, ubi fluida, dum ſolidis iunguntur, fluiditatem retinere, et ubi inſpiſſari, coagulari ac figi debeant. Quae poſtquam ſatis declarata ſunt, dicitur, quatenus fortis digeſtio ſpagyrica nominari mereatur, ſimulque exempla adducuntur, quibus hoc ſingulare digerendi genus illuſtratur. His praeuiſis cautiones atque leges ex natura digeſtionis demonſtratae deducuntur, quae animaduertendae ſunt, ubi digeſtio ad finem paulo ſuperius indicatum aſſequendum fieri debet. Denique de vaſis, de furnis, de gradibus ignis, ad digeſtionem tam lenem quam fortem neceſſariis, pariter et de ſigillatione hermetica, qua ratione et quando inſtituenda ſit, agitur.

Primo capite ſectionis quartae primum ratio red- p. 669. ditur, quam ob rem haec ſectio chymiae purae atque generaliter adplicatae annexa fuerit, deinde exponitur finis primarius pharmaciae dogmaticae, tum dicitur, quibus auxiliis iſte obtineatur, denique oſtenditur, quonam ordine proceſſus pharmaceutici exhiberi debeant, et quomodo ſyſtema pharmaciae dogmaticae huius artis fini conuenienter conſtrui poſſit. Permultae artes atque ſcientiae chymia uniuerſa carere haud poſſunt, utpote quae partim operationes, partim experientias, praeparationes atque diſquiſitiones corporum peculiares ſibique proprias ſuppeditat, quas illae neceſſe habent. Chymiae uniuerſae uſus igitur ratione adplicationis eſt ſane ampliſſimus, et vix ac ne vix quidem in toto ſuo ambitu ab uno homine, quamuis chymiae peritiſſimo, ſcite atque ſufficienter demonſtrandus. Cum vero iis, qui chymiam puram addiſcere volunt, ad minimum unum genus chymiae ſpecialiſſime adplicatae

ante oculos poni debeat, in uſum eorum, qui medicinae operam nauant, pharmacia electa fuit. Finis primarius huius artis in eo ſitus eſt, ut materiae chymicis operationibus ita praeparentur atque componantur, quo non ſolum medicamenta efficaciſſima, ſed etiam tuta, ac quantum fieri licet, iucunda euadant. Neceſſe porro eſſe ducitur, ut ſupellex medicamentorum talium ex cunctis ſingularibus materiarum generibus, quae chymicus diſcernere valet, comparetur. Generalis materiarum diuiſio optimam rationem ordinis proceſſuum pharmaceuticorum praebet. Materiae autem pharmaceuticae ſunt vel minus vel magis compoſitae. Illae poſſunt eſſe, aqua, oleum aliaeque fluidae ac ſolidae inflammabiles materiae, liquores acidi, ſolidi ſales acidi, fixi et volatiles ſales alcalini, vel denique corpora terrea variorum naturae regnorum; hae vero, ſolutiones aqua factae, veluti decocta, extracta, emulſiones, vel variae inflammabiles ac ſalinae materiae cum expreſſis et aethereis oleis compoſitae, ſolutiones et combinationes materiarum cum ardentibus ſpiritibus, cum variis acidis, et demum ſolutiones ſalibus mediis et acidis dulcificatis factae. Materiae pharmaceuticae, ſiue ſint minus, ſiue magis compoſitae, porro utiliter diuidi poſſunt in magis acres et plus lenientes.

p. 677. Alterum caput continet proceſſus, quibus materiae pharmaceuticae minus compoſitae parantur et ulteriori compoſitioni ac externo internoque uſui accommodantur, nimirum, deſtillationem aquarum aromaticarum et refrigerantium, et oleorum aethereorum, deſtillationem et rectificationem oleorum empyreumaticorum, ubi ſimul de oleis lenientibus expreſſione et coctione parandis agitur, deſtillationem ſpiritus vini ex fecibus vini, et praeparationem ſpiritus vini tartariſati, deſtillationem ſpiritus et olei ſic dicti vitrioli, deſtillationem ſpiritus nitri et ſalis fumantis, deſtillationem ſuccini, deſtillationem et rectifi-

reсtificationem aceti, deſtillationem et reсtificationem ſpiritus tartari, deſtillationem ſpiritus ſalis ammoniaci cum ſale tartari et calce viua, praeparationem antimonii diaphoretici et materiae perlatae, ubi ſimul natura praeparatorum terreorum pharmaceuticorum exponitur, praeparationem hepatis antimonii et croci metallorum.

In tertio capite ſequuntur proceſſus, quibus va- p.715. riae materiae minus compoſitae ulterius combinantur et combinatae ſeparantur ad uſum pharmaceuticum. Praeparationes igitur variorum medicamentorum ibi deprehenduntur, veluti aqua ſcillitica per ſolutionem, aqua calcis viuae, extraсtum reſoluens atque laxans, emulſio, ſapones varii, balſama odorata, eleoſachara, emplaſtra, unguenta, eſſentiae anodynae, tinсtura alcalina, ſpiritus abſtraсtitius aromaticus et formicarum, liquor mineralis anodynus, ſpiritus nitri dulcis, liquor fuliginis ſuccinatus, et liquor cornu cerui ſuccinatus, tartarus vitriolatus, ſal ammoniacum ſecretum GLAVBERI, terra foliata tartari, tartarus tartariſatus et ſolubilis, tartarus emeticus, aethiops mineralis et cinnabaris faсtitia, mercurius ſublimatus, aqua phagadaenica, cinnabaris antimonii, mercurius dulcis, lapis infernalis, tinсturae martis, ſacharum ſaturni, ſulphur antimonii auratum, reſina purgans, eſſentiae variae balſamicae cum acidis dulcificatis faсtae, elixir proprietatis. In omnibus his ac illis proceſſibus reperiuntur enchireſes, quaecunque neceſſariae ſunt ad diсta medicamenta efficaciſſima, tuta atque iucunda reddenda, et ubique ſimul medicamenti parati vis, ex mixtione huius, ex modo praeparandi et ex praсticis aliisque experientiis declaratur. Sic quoque ultimo capite ad finem huius ratio additur, cur non plures pharmaceutici proceſſus in hac dogmatica pharmacia traditi fuerint.

XVI.

An Eſſay towards a natural Hiſtory of the Corallines and other marine Productions of the like kind, commonly found on the Coaſts of Great Britain and Ireland; to which is added the deſcription of a large marine polype taken near the North Pole, by the Whale-fiſhers, in the ſummer 1753. by IOHN ELLIS, F.R.S. London printed for the Author, and ſold by A. Millar; I. and I. Rivington, and R. and I. Dosdley, 1755. 4 mai. pl. 14½ cum praefat. tab. aen. 40.

i. e.

Tentamen hiſtoriae naturalis Corallinarum et aliorum productorum marinorum ſimilium, quae in litoribus magnae Britanniae et Hiberniae reperiuntur. Additur deſcriptio Polypi praegrandis, prope polum borealem a balaenarum venatoribus, aeſtate anni 1753, e mari extracti. Auctore IOANNE ELLIS, R. S. S.

Fortuita fere fuit operi huic occaſio. Cum enim corallinas et ſimilia ſubmarina, ex litoribus Britannis accepta, Cl. Auctor animi gratia in varias formas diſponeret, regionum picturas imitatus, placuit hoc opus Cl. HALES, qui ſuaſit, ut sereniſſimae Principis Walliae viduae ſimile quid offerret, quo nepotes regii pulcris his naturae productis diſponendis delectarentur. Igitur plura conquirens ſenſim ad curatiorem ſubmarinorum contemplationem adductus eſt. Ad diſtinguenda haec producta Cl. RAIO in ſynopſi ſtirpium Britannicarum uſus eſt et itinera varia ad conquirendas has diuitias inſtituit. Corallinarum varietates plurimas ait reperiri iis in locis, ubi

oſtreae

oſtreae per aliquod tempus non perturbatae habitarunt. Hic veluti ſyluulas efficiunt. Oſtreae, a piſcatoribus e mari extractae, in vaſa aqua marina plena coniiciantur, animalcula enim corallinas inhabitantia adeo tenera ſunt, ut ab aere ſtatim corrugentur. Quam primum fieri poteſt, ad litus perlatis oſtreis, forcipe corallinae ab illis ſeparentur, et in vaſa aqua marina plena reponantur; in qua, hora circiter elapſa, moueri animalcula videbuntur, inprimis adhibita lente foci duorum digitorum; Extenſa et viuentia ſubito prehenſa in ſpiritum quendam reponantur, quo in tali habitu figantur, ut animalia fuiſſe et vixiſſe oculis pateat. Alia methodus haec eſt: Oſtreis una cum corallinis, in vaſa aqua marina plena, repoſitis, ita, ut ſaltem aqua tegantur, adfundatur aqua feruida ad latera vaſis, donec quantitate circiter frigidam aequet, deinde corallinae auellantur et in ſpiritus, ut ante, reponantur. Seruari etiam poſſunt, ſi ſuper charta in aqua feruida extendantur, cura adhibita, ut rami ſubtiliores nitide appareant; quam methodum, ut alia multa in botanicis, debere ſe ait Noſter Cl. BÜTTNERO, celebri botanico Berolinenſi.

Haec ex introductione deſumſimus. Opus ipſum in capita undecim diuiſum eſt, numerantur vero ſaltem decem, quinto per errorem bis occurrente; nos capita ſecundum verum illorum numerum citabimus.

Cap. I. Monet Cl. Auctor, uſurum ſe Cl. RAII appellationibus, et obiecta, de quibus acturus eſt, in Corallia, Corallinas, Keratophyta, Eſcharas, Spongias et Alcyonia diuiſurum; in ipſa vero tractatione magis ad texturae ſimilitudinem et animalium inhabitantium figuram reſpecturum, quam ad formam externam, cuius rationem botanici potiſſimum habuerunt. Orditur igitur a *Corallinis*, quarum nomine intelligit corpora ſubmarina, plantis ſimilia, p. I.

 quae

quae ex ramuſculis pluribus, tenuibus et ſubtiliter diuiſis atque articulatis conſiſtunt, ut ad muſcorum fere ſimilitudinem accedant. A plantis marinis textura, duritie et productis chemicis differunt. Quae enim ſic appellantur plantae marinae, ut algae, fuci, cet. deſtillatione nihil vel parum ſalis volatilis exhibent, corallinae vero inſignem eius quantitatem, combuſtae etiam cornu ambuſtum olent. Diuidit autem corallinas in veſiculatas, tubulares, celluloſas et articulatas, quas omnes LINNAEVS *Sertulariae* nomine complectitur. Veſiculatae ramis corneis cauis diſtinguuntur, varia et eleganti diſpoſitione plantas aemulantibus; pleraeque ramos habent denticulis ornatos, ut muſcorum folia, certis vero anni temporibus corpuſcula veſiculis ſimilia gerunt, a variis locis caulium et ramorum procedentia, ſingulae ſpecies figura ſibi propria. Siccorum color ſubluteus eſt aut pallide fuſcus. Aquae immerſae corallinae formam recuperant, qua vigentes in mari conſpiciebantur et mox liquido replentur, unde ſemipellucidae euadunt, coloris ad ſuccini colorem accedentis et elaſticae; adhaerent rupibus, teſtis, fucis, mediantibus tubulis radices imitantibus. Aceto inditae non efferueſcunt.

p. 4. *Cap. II. Corallinae veſiculatae* recenſentur numero viginti ſex et depictae ſiſtuntur. Nomina illarum omnia huc transferre ſuperuacuum nobis videtur, in primis cum absque picturis deſcriptiones perfecte intelligi vix poſſint. Aliquas tamen ſpeciminis loco adducemus. Prima eſt: *Corallina veſiculata, ſparſim et alternatim ramoſa, denticulis oppoſitis cylindricis, oribus crenatis patulis.* E profundo prope inſulam Dalkey ad introitum portus Dublinenſis extracta eſt. Ramificationes irregulares ſunt, maximam vero partem alternae; textura tenuis, pellucida cornea, denticuli magni, cylindrici, aperti, ſibi oppoſiti, quoduis autem par fixum videtur in paris proxime ſubiacentis vertice,

vertice. Veſiculae ſunt cordiformes, ſuperne tubo breui ornatae, quaſi aorta aut vena caua ibi eſſet reſecta.

Decima quinta eſt *corallina erecta, tubuloſa, pennata, halecis ſpinae facie;* RAII Syn. Stirp. Britt. no. 15. p. 36; *Corallina ſcrupoſa pennata, cauliculis craſſiuſculis rigidis.* Oſtreis, quae Londinum aduehuntur, frequenter adhaerens reperitur. Altitudinem digitorum ſex vel octo adipiſcitur, erecta et rigida, ſed cum ſicca eſt, fragilis. Caules ex inſigni numero tubulorum conſiſtunt, qui fere paralleli ſibi adnaſcuntur; in quibusdam, transuerſim ſectis, plus, quam centum, computare licet. Hi naſci videntur a pluribus tubis ſimilibus, nullo ordine ſpongiae ad modum congeſtis, oſtrearum teſtis adfixis, et corallinam radicum ad modum ſuſtinentibus. Creſcit corallina emiſſis eiusmodi radicibus tubuloſis, quae circum circa exſurgunt et ſuperficiei exteriori earum, quae antea ſurrexerunt, adrepunt, iisque firmiter adhaerent; progreſſi eo, quo natura illos deſtinauit, habitum mutant et ramos imitantur, ſub angulo quadraginta et quinque graduum ad caulem emergentes, tam egregius vero ordo in diſtantiis ramorum a ſe inuicem obſeruatur, ut, etſi alternatim ad caulem ſint diſpoſiti, corallina integra tamen prima facie ſpinam halecis exhibeat. Acetabula (*Sockets*) ad ramos alternatim diſpoſita ſunt: ex his acetabulis Auctor auguſto menſe, cum in loco *Whiteſtable* commoraretur, prominere vidit denticulos teneros, cylindricos, pellucidos, qui duplices eſſe videbantur, uno ſcilicet ſupra alterum collocato; His inerant polypi, inferioribus ſui partibus connexi, ſubſtantiae tenui carneae naturae polypis ipſis ſimili, quam per medium ramorum et tuborum caulis continuatam videre licebat. Specimina quaedam huius corallinae aprili menſe collecta nactus eſt; horum rami laterales, ſeriebus regularibus veſicularum erectarum tecti p. 17.

 veſiculae

veſiculae vero ſubſtantia quadam lutea plenae erant. In hoc ſtatu conſtitutam corallinam *florere* piſcatores dicunt. Veſiculae irregulariter ouiformes ſunt, tubus ex pediculo naſcitur et per latus ſupra verticem cuiusuis attollitur; tubus hic ſuperne apertus eſt et veſiculae arcte unitus videtur. Modus, quo creſcunt corallinae hae, nouis tubulis prioribus circumdatis, facit ad coralliorum originem explicandam, quae ex tubulis naſcuntur, cum ſecedunt animalia, materia lapideſcente replendis. Nam et in hac corallina, etſi materia tuborum ſpongioſa et elaſtica videatur, tubi tamen interiores, firmi, opaci et fragiles euadunt, cum exteriores et recentiores tenues et pellucidi ſint.
p. 23. Ceterum veſiculas has, quas toties nominat Cl. Auctor, uſu illarum nullo indicato, in ſpecie decima nona narrat, polypis habitatas ſe vidiſſe et polypum tentacula ex veſicula ſua protrudentem, motuque ſuo integram corallinam ſuccutientem. Veſiculas has, cum maturi ſunt polypi, a corallina ſecedere ait in introductione.

p. 30. *Cap. III. Tubularias* corallinas recenſet tres. Hae ex tubis ſimplicibus, iuxta ſe excreſcentibus, coagmentantur, denticulis vero et veſiculis carent. Corneam et elaſticam ſtructuram cum prioribus habent communem, priori etiam formae, poſtquam exſiccatae fuerunt, ab aqua reſtituuntur, exſurgunt itidem a tubis minutis vermicularibus, et dum altius excreſcunt, ſenſim ampliantur. Quidam tuborum rugoſi ſunt, ut trachea aut inteſtina animalium paruorum. Primam certe ſpeciem appellat *corallinam tubulariam laryngae ſimilem*, quam pro *fuco Dealenſi fiſtuloſo laryngae ſimili* RAII Syn. p. 39. habet. Copioſe ad oſtia Thameſis reperitur, corporibus marinis et ipſis nauibus adhaerens, unde Cl. Auctor ſaepius illam vidit, viuis animalculis egregium ſpectaculum exhibentem. Singulorum tubulorum vertices ſingulos polypos gerunt.

Cap.

Cap. IV. celliferas corallinas habet undecim. Adhaerent teſtis, fucis, cet. Structurae ſunt fragilis, cruſtaceae, transparentis, microſcopio patet eſſe cellas ſubtiles, animalculorum habitationes, connexas, et in formas varias et elegantes, ramorum ad modum diſpoſitas. Efferueſcunt cum acidis.

Prima ſpecies deſcribitur, *corallina cellifera erecta ramoſiſſima, tenerrima et plumoſa*, ſeu: *Corallina pumila erecta ramoſior* RAII Syn. no. 20. p. 37. Haec quidem corallina pro diuerſo ſuo ſtatu adeo ſibi diſſimilis eſt, ut pro duabus diuerſis ſpeciebus haberi poſſit. Iunior ramos plumoſos non oſtendit, cellis nondum apertis. Hac conditione in Cl. BVDDLE horto ſicco reperitur in theſauro SLOANII ſub nomine: *Fucus minimus, hirſutus, fibrillis herbaceis ſimilis.* v. D. DOODY in RAII Syn. p. 330. In ſtatu perfectiore vero rami hi tubuloſi plumis veluti ornantur, microſcopium vero oſtendit ramorum numerum ita augeri, ut ex quouis ramo duo alii naſcantur, quaelibet autem rami diuiſio ex ſeriebus duabus cellarum hemicylindricarum conſtet, articulis iunctarum et alternatim ſibi ad latus poſitarum, aperturis ad eamdem plagam reſpicientibus. Vertex cellae cuiusuis in acumen exterius vergens deſinit, in medio autem cella puncto nigro notatur, quod polypi mortui, olim hanc cellam habitantis, reſiduum eſt. Cum enim corallinam talem, viuo adhuc polypo, in aqua marina examinaſſet, ſepoſito exemplari poſt aliquod tempus reperit cadauer in punctum nigrum abiiſſe Mirabilis vero eſt corallina celluloſa americana, quam a Cl. COLLINSONO Noſter accepit *, et tab. XIX. depictam ſiſtit. Huius cellae conchulis praegnantes ſunt, ut illis educandis deſtinatam eſſe corallinam appareat: Quomodo vero ſui ſimiles hae conchae producant, difficile dictu eſt, niſi ſuſpicemur, augeri magni-

p. 33.
p. 35.

* vid. Philoſophical Transactions. Vol. XLVIII. P. I. p. 115. et Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 389.

magnitudinem et unicam impraegnare poſſe integram congeriem reliquarum corallina contentam. Supponi etiam poſſet, ex ſemine teſtaceorum horum animalium polypos vermiformes naſci, qui ubi maturuerunt, in animalia teſtacea parentibus ſuis ſimilia abeant.

p. 45. *Cap. V. Corallinis articulatis* deſtinatur. Hae microſcopio examinatae ex materia lapidea vel cretacea, cuius ſuperficies poris aut cellis tegitur, conſtat. Particulae ſunt breues, quae ita iunguntur, mediante membranoſa, craſſa, flexili, ex pluribus tubulis ſimilibus coagmentatis nata. In aceto pars lapidea aut cretacea diſſoluitur, reliqua pars integra manet, quae tum articulos illos ligamentoſos flexiles, format, tum cellis lapideis ſubſtrata eſt illasque ipſas format.

p. 56. *Cap. VI. De Keratophytis* agit, quae aliis *lithophyta* aut *lithoxyla* appellantur, quae primo intuitu partim lignea aut cornea, partim lapidea vel calcaria videntur. Generatim ad fruticum formam accedunt, baſin habentia radici ſimilem, cuius ope fulcro cuidam ſolido in oceano adhaerent. Alia in caulem et ramos exſurgunt; alia in retia explicantur, unde *flabella marina*, *pennae marinae* cet. appellantur. Plurima autem keratophytorum, cum perfecta ſunt, haec phaenomena exhibent: Baſi aut radici ligneae inſiſtunt, quae ſolido cuidam, ut rupi, corallio, teſtae maiori vel adhaeret adhuc, vel adhaeſiſſe ſe monſtrat. Baſis haec ex fibris longitudinalibus conſiſtit, ad latera arcte ſibi iunctis, ita, ut ſine vi ſeparari nequeant, a perimetro baſeos autem ad truncum adſcendentem progredientibus, in quo ſimili modo diſponuntur, haec enim textura microſcopiorum ope ad extrema uſque ramorum patet. Eadem microſcopia oſtendunt, quae fibrae oculo nudo videntur, reuera tubos eſſe exiguos, ex quibus frutex integer conſiſtit, hi autem tubi compreſſi ſunt et coaluerunt. Transuerſa trunci aut rami maioris ſectione accuratius examinata,

minata, praeter curſum tuborum longitudinalium, id etiam detegitur, circulorum ad modum circa trunci centrum diſpoſitos eſſe, fere ut in circulis ligneis arborum conſpicitur, quos *annuos* vocant, hoc ſaltem diſcrimine, quod in keratophytis laxius circuli ſibi adhaereant, quam in ligno, patet vero ſuperinductos eſſe, interpoſita ſaepius materia heterogenea. Partem iam deſcriptam alii *ligneam keratophytorum* appellant, alii ab odore, quem ambuſta edit, *corneam*, et haec in variis ſpeciebus, utcumque magnitudine, figura et reliquo habitu externo diuerſis, ſimilis tamen ſemper apparet, tum ſtructura, tum productis chymicis. Huic parti corneae aut ligneae ſuperinducitur materia lapidea aut calcarea, truncum et ramos ad extrema ipſa obtegens. Tegmen hoc tenue eſt ad initium trunci, ramis autem progredientibus craſſius fit, fibrae recentiſſimae certe proportione, ſi non ipſa abſoluta magnitudine craſſiſſimum habent. Et haec pars igni iniecta aliquid odoris marini cornei edit. Ordines cellarum vel pororum etiam oculo nudo exhibet, microſcopio vero examinata euidentius oſtendit, ſe corpus organicum eſſe, non fortuitam concretionem, ut cruſtae tophaceae ab aquis quibusdam muſcis aut aliis rebus ſuperinductae. Keratophytorum pleraque cum perfecta ſunt, phaenomena haec omnia exhibent, ſaepe autem cornei illi frutices, veſte calcarea nudati, conſpiciuntur, a fluctuum forte vi aut cauſis ſimilibus. Hinc Cl. BOERHAAVE veſtita, *Titano-keratophyta*, vocauit. Vt vero ulterius probet, corpora haec ſtructurae animalis eſſe, ſequentia addit: Specimina iuniora duos vel tres p. 59. digitos alta, ſurculo calcareo ſimilia videntur; ſecundum longitudinem diſſecta et accuratius conſiderata, in medio tubum tenuem corneum oſtendunt, materiam albidam veluti medullam continentem; proximi huic tubo ſunt alii tubuli calcarei, ei adhaerentes, illumque circumdantes, ſuperne vero etiam verticem tegen-

tegentes. In exemplaribus adultioribus ad ramorum origines tubuli hi tenues, calcarei cellulas animalium ex polyporum genere emittunt, ſingulis conuenienter apertis. Cellulae hae ſecundum longitudinem ramorum ordinatim ſemper diſponuntur, ſua lege in quauis ſpecie, non ad modum nidorum inſectorum in plantis, qui fortuito hic vel illic locantur, ſed plane eo ordine, qui in corallinarum cellis obſeruatur. Viſa vero ſunt animalia extendere ſe ex his cellis, tum ut eſcam capiant, tum ut materiem augendae ſtructurae huic colligant. Inſecta vero, quae plantas infeſtant, raro integras contegunt, ſaltem plantae ita tectae non diu vigent et florent. His pro ſententia, keratophyta a polypis ſtrui, adductis, ad keratophyti ſardinienſis ex eorum genere, quae *pennae marinae*
p. 60. vocantur, deſcriptionem progreditur. Altitudine circiter pedem aequat, ſurculi laterales alternatim ſibi opponuntur, circumdantur tuberculis exiguis, in aequalibus diſtantiis diſpoſitis, quorum plerumque tria ſimul caulem includunt. Microſcopio auctae flores arborum fructiferarum imitantur. Superficies integra materia calcarea tecta eſt, quae menſtruo acido indita facile diſſoluitur, polypis intus contentis apparentibus. Polypi vero in diuiſionibus keratophyti lateralibus ita detenti, corpori animalis integri uniuntur, mediante carne quadam, ex baſi cuiusuis procedente. Caro haec centrum ſtemmatis aut corporis animalis conſtituit, quod, ablato tegmento calcareo, facile per ſtemmata et ramos keratophyto-
p. 61. rum ſequi licet. Corneos autem circulos, qui ſtemma et ramos efficiunt, animalium opus eſſe probat Noſter exemplo keratophyti, quod Cl. LINNAEO *flabellum veneris* vocatur; huius ſtemma principale cum forte fractum alicubi eſſet, partibus tamen ramorum lateralium ope adhuc coniunctis, ut ſaltem hiatus eſſet, ubi ſeiunctae erant, animalia, cum in trunco ad hiatum illum adſcenderant, ad laeuam deflexerunt,

flexerunt, et reticulum ramoſum tubis ſuis calcareis
et corneis obduxerunt, ablatis vero tubis calcareis,
patet corneos infra poſitos illorum curſum perpetuo
ſequi; tandem ad ſuperiorem partem ſtemmatis re-
dierunt et illam conſueto more ſequuta ſunt. Prae- p. 65.
ter hoc tegmen calcareum, nihil cortici ſimile in ke-
ratophytis reperitur, ut eius loco illud eſſe pateat.
Ceterum laterales fibrae, illud cum mediis partibus
connectentes, ut in ligno, nullae reperiuntur, ut
pateat ſola viſciditate animalium conglutinari, in qui-
busdam ſpeciminibus climatum calidiorum, maſſam
ligno duriorem efficiunt, in primis cum ſicca ſunt.
Lapideum vero corallium maris mediterranei kerato- p. 66.
phytis, tum textura, tum productis chymicis, ſimil-
limum pronunciat, niſi quod ramificationes breuio-
res ſunt, tubi vero non in cornu abeunt, ſed in lapi-
dem. Ceterum ductus tuborum, modus, quo ſtem-
ma circumdant, et perimetrum eius et ramorum au-
gent, ſuperficies aſpera, friabilis, corticalis et cella-
rum aperturae ſtelliformes oſtendunt, non longe a
ſe ambo corporum genera remota eſſe. Keratophy- p. 67.
torum duas ſaltem ſpecies britannicas habet Noſter,
et horum indiuidua etiam rariora ſunt.

Cap. VII. Eſcharae deſtinatur, etſi corpora, quae p. 69.
cum RAIO hoc nomine complectitur, magis ad mil-
leporas pertinere adſerat. RAIVS characteris loco
tradit, ſuperficiem panni textilis ad modum expan-
ſam eſſe, microſcopium vero docet, ex cellularum
ordinibus conſiſtere. Eſcharas Noſter recenſet nu-
mero ſeptem, quibus addit *Retteporam eſcharam ma-* p. 71.
rinam IMPERATI p. 630. etſi italica ſit, quoniam a
quibusdam habita eſt pro eſchara retiformi RAII
Syn. p. 31.

Cap. VIII. De coralliis Anglicis agit, quorum p. 76.
duas ſaltem ſpecies habet, alteram, quae in RAII
ſynopſi p. 32. *Corallium album pumilum* vocatur, No-
ſtro *corallium pumilum album fere lapideum, ramoſum*,
alteram

alteram *corallium cretaceum lichenoides* ſiue *corallium maritimum calcariis rupibus adnaſcens.* MORISON. H. Oxon. III. p. 651. Priore ad agros fertiles reddendos utuntur. Secunda ſpecies cellis plena eſt, quae conſpiciuntur tegumento calcario, ab acido diſſoluto. Hac operatione pars membranoſa non laeditur, unde probabile fit, ab animalibus ortam eſſe.

p. 78. *Cap. VIIII. Spongias* recenſet. Has animalis naturae eſſe, iam ARISTOTELIS tempore quidam collegerunt inde, quia auulſae ſe contraherent, quod facile intelligitur, ſi a polypis inhabitari concedamus. In litoribus anglicis vero non multae ſpongiarum ſpecies reperiuntur, et hae maximam partem minutae et tenerae, neque habentur, niſi poſtquam diu a locis, in quibus creuerant, ſeparatae fuerunt, quibus argumentis excuſat ſe Cl. Auctor, quod ſtructuram illarum partiumque uſus explicare ſatis non poſſit; eo tamen propendet et ſpongias ab animalibus ſtrui. Species duas recenſet.

p. 82. *Cap. X. De alcyonio* tractat, quo marina refert, quae ad aliam claſſem reduci non poſſunt, in primis autem nidorum et matricum loco animalibus marinis inſeruiunt. Numerus illorum, quae exhibet, eſt quinarius. Primum appellat *alcyonium pulmonis inſtar lobatum,* forte *pulmonem marinum alterum* RONDELETII 132. RAII Syn. p. 31. n. 3. Eſt illud coloris obſcuri oliui, ſubſtantiae carneae, odoris ingrati, dum aperitur. Interiora eius plena ſunt particularum oblongarum flauarum, unde piſcatores angli *ficum marinam* appellant. Superficies ſtellulis radiorum ſex tegitur, polypis tentaculis ſex inſtructis ſimilibus. Interiora eius conſiſtebant ex ingenti numero ſacculorum ſubflauorum, viſcido claro liquore plenorum, in cuius medio ductus erat ad centrum ſingulae ſtellae pertingens, figuras complures regulares, teſtis ſimiles continens, quae an oua ſint, an pabu-

p. 84. lum animalis, incertum eſt. *Alcyonium ſeu veſicaria marina*

marina IO. BAVHINI ex veſiculis flauis componitur, figurae compreſſae globularis, pilae ad modum denſe coagmentatis. Saepius in litora anglica eiicitur, nautis ſaponis uſum praeſtans. Veſiculas has vero ouaria buccini vulgaris anglici reperit, matrix quaelibet circiter piſum magnum dimidium aequat, et teſtas embryones plurimas continet, quae maturitati propiores tegumentum ſuum extendunt, et valuulam quandam, in extremo anteriore veſiculae huius ſitam aperiunt, per quam exeunt, ſibi ipſis victurae. Similem naturae prouidentiam in embryonibus *bucci-* p. 85. *ni*, quod LISTERO Tab. 878. 879. *ampullatum clauicula ſulcata*, *una parte cuiusque orbis in planum compreſſa*, vocatur, obſeruamus. Hic enim matricum ſeries ligamento quodam connectitur, buccina vero iuniora, in illis incluſa, valuula quadam ab aqua marina defenduntur, donec ſatis adoleuerint, illamque perrumpant.

Cap. XI. Inſcriptum eſt: *de Coralliis tubulariis cet.* p. 90. continet autem corpora marina varia, quae caſu Cl. Auctori ſe obtulerunt. Elegans inter haec eſt: *Co-* p. 92. *rallina tubularia melitenſis*, *ſcolopendris tentaculis duobus duplicato pinnatis inſtructis.* Tubulorum horum cauitas rotunda eſt, etſi ſcolopendra, illos inhabitans, extenſa et compreſſa ſit. Libere in illis vertitur, exſurgit et retrotrahitur ad praedam captandam. Pedes habet in quouis latere plures 150.

Subiicit Cl. Auctor obſeruationes quasdam de co- p. 93. rallii rubri, et ſpecierum quarundam albi, formatione. Corallium rubrum maris mediterranei videtur ipſi ex tubulis natum, quorum plures exſurgunt ſimul et in ramos diuerſimode exeunt; poſſidet Noſter ſpecimina, in quibus tubuli fruſtis corallii albi obrepere videntur, curſumque ſuum prout obſtacula reperiunt variare, compreſſi autem et contracti apparent, idemque ſupponit Cl. Auctor principibus ramis contigiſſe. Tubuli enim cum ex materia cretacea conſtent,

ſubſtan-

ſubſtantiae viſcidae animali mixta, contrahuntur et ſolideſcunt, cum incolae illos deſerunt, ut diuerſae hae particulae attractione fortiore caementi, ex ſero animali et terra facti, ad inſtar indureſcant. Recentia ſpecimina ſubſtantia rubra farinacea teguntur, corticem corallii imitante; haec vero ſuperficies curatius examinata, caua plura ſtelliformia oſtendit et ſublata ſubſtantia farinacea, nexus quidam ſtellarum cum tubis ſubiectis apparet, extrema etiam tuborum in ramorum terminis conſpiciuntur. Vltima et recentiſſima tubulorum ſeries, quae reliquas includit, flaueſcit et interioribus minus ſolida eſt. Piſcatores corallii liquore lacteo plenam reperiunt, quem pro corporibus teneris animalium Noſter habet. Cauorum ſtelliformium figuram a polyporum tentaculis deducit, fabricae huius architectis et inhabitatoribus. Incrementum corallii ope tuborum eos, qui iam adſunt, circumdantium, exemplo corallinae ſpinae halecis facie illuſtrat, in qua tubuli tales in oculos incurrunt, ſed ob ſpongioſam et elaſticam naturam non toti ſolideſcunt.

p. 96. Appendicis loco ſubiicitur *polypi conglomerati marini* (*a cluſtered Sea-polype*) deſcriptio, quem ADRIANZ, naui *Britanniae* praefectus, dum cetorum venationi operam daret, bolidi adhaerentem ex profundo 236 orgyiarum extraxit, in latitudine boreali grad. 79. leucis (*miles*) 80, a litoribus Groenlandiae. Duorum ſpeciminum ita obtentorum alterum deſcripſit Cl. CHRISTLOB MYLIVS*, ſed huius mentionem nullam facit anglus, ſaltem exemplar alterum laeſum fuiſſe monet, poſſeſſori et deſcriptori eius primo ne has quidem gratias habet, quas pro honorifica ſui mentione, a MYLIO facta, et communicato MYLII ſpecimine, ut quae oua polyporum

* *Beſchreibung einer neuen Grönlaendiſchen Thierpflanze, in einem Sendſchreiben an Sr. Hochw. Herrn* ALBERT *von* HALLER. *London, 1753. 4. m. K.*

rum indicauit Cl. ELLIS, in eo contemplaretur *, omnino debuiſſet. Cl. ELLIS ſpecimen, ut ipſe illud deſcribit, ex corporibus polyporum 23 conſiſtit, quorum caudae in baſin communem coeunt, ut unicum animal efficiant. Aquae immerſo tentacula extendebantur. Dum examinabatur, odorem rancidum piſcis ſicci, ad putrefactionem tendentis, ſpirabat, coloris vero erat rubiginoſi. Decem corporum polyporum exteriorem circulum efficiunt, nouem interiorem, quatuor medium occupant. Cum primum ex aqua extraheretur, animalia expanſa fuiſſe ait Noſter, nauis enim praefectus retulit faſciculum florum ſplendide flauorum, ſtelliformium exhibuiſſe. Hoc ſitu depingi curauit Cl. ELLIS, quam figuram credimus fore eam, de qua Cl. MYLIVS l. c. p. 12. dixit archetypum eius neutrum phyſicorum vidiſſe. Polypus quilibet octo habet tentacula, tentaculum vero quoduis in quolibet latere ſeriem fibrarum, quae digitorum officio fungi videntur. In centro tentaculorum, ubi uniuntur, os eſt, labiis duobus undulatis inſtructum. Vno corporum ſecundum longitudinem diſſecto, particulas ſeminiformes reperit, in cauis cellularibus muſculi fortis rugoſi totam ſuperficiei interioris longitudinem efficientis. Suſpicatur ſemen animalis eſſe **. A parte inferiore, ubi polypi omnes in baſi undulata muſculari uniuntur, progreditur membrana caua veſicae formam habens, quae ad duos aut tres digitos, vertice tenui arcuato et diuiſo ſtemmatis oſſei diſtenditur, in medium baſis illius muſcularis inſerti. Veſica haec deſtinata videtur, tum attollendo aut profundius mergendo animali, piſcium ad morem, tum materiis admittendis, quae

* MYLIVS l. c. p. 15.

** Quo hos polypos, ſi polypi ſunt, a reliquis diſtingui monuit Cl. MYLIVS l. c. p. 17.

quae corpora diuerſa pro ſuſtentando et augendo ſtemmate illo oſſeo colligunt, quod quidem ſtemma
p. 98. magni momenti eſſe videtur. Membrana ſeu veſica ſtemmati circumuoluitur et in cuticulam abit, omnem longitudinem tegens, donec inferius in cartilaginem terminetur. Stemma coloris eburnei eſt, quadrangulare, in quouis latere excauatum, pedes plus quam ſex longum; a tenui origine paulatim craſſeſcit, donec prope baſin rurſus contrahatur, ut in apicem tandem terminetur. Cultro ita reſiſtit, ac ſi partim lapis eſſet, partim ebur; tabulae iniectum fruſtum, ut tubuli portio, ex qua tabacus ſugitur, ſonuit. Segmentum difficulter ablatum, aceto inditum, vehementer efferbuit, aceto vero bis vel ter mutato, ablata eſt materia cretacea vel lapidea, membranis, quae laminas includebant, unice reſiduis, unde Noſter iudicat tantum habuiſſe naturae corallii, quantum oſſis vel eboris. Polypum vero huc uſque plane ignotum pronunciat. In iis, quae ex hoc opere adduximus, ſi alicubi obſcuriores videmur lectoribus, cogitent, praecipuam partem libri figuras efficere, ad quas fere omnia referuntur. Argumentorum vim perſuaſi ſumus nos debiliorem non reddidiſſe, ut ſi quaedam minus cogentia iudicentur, nobis id imputandum non ſit. Fatemur enim, quae adfert, ad illuſtrandam forte ſententiam, producta haec marina a polypis ſtrui, facere, ſi veritas eius aliunde cognita ſumatur, dubitantem vero non conuincere. In primis modum, quo fabricam hanc abſoluunt, ne quidem tetigit Cl. Auctor, qua in re difficultate obſeruandi excuſari forte poteſt.

p. 100. In concluſione operi ſubiecta, obiectionem, quo modo tam firmae aedes ſtrui poſſint a tam teneris architectis, oſtrearum et reliquorum teſtaceorum ſimilitudine diluere conatur. Corallinas vero alias ex ſimplici tubo conſiſtere ait, animal continente, quod propaginem per ſingulos ramos emittat; alias ex plu-

ribus

ribus eiusmodi tubis ſimul adſcendentibus coagmentari, quorum recentiores antiquioribus, qui genitores vermes continebant, poſtquam ab his derelicti ſunt, baſeos et fulcri loco utantur, rurſusque futurae generationi ſubſternantur. Eo autem propendet, alia quoque corpora magis compacta, ut aſtroites lapides, fungi petrefacti, cet. ab animalibus aedificari, quoniam in calidis regionibus mare ubique adeo viuentibus plenum ſit, ut quodcumque ſolidum immerſeris, illud mox animalibus tegatur. Sed hic nimis propere videtur Auctor ab habitatione ad ſtructuram concludere.

Quomodo polypi marini genus propagent, tabula XXXVIII oſtenſurum ſe promittit, et corallinam alterna vice denticulatam depingit, cuius veſica una polypus continetur, globum quendam conglomeratum, extra veſicam prominentem gerens, quod Cl. ELLIS appellat ouarium ouis plenum polypo adhuc adhaerens protrudere. Vidit vero id iunio 1755, in litoribus *Sexiae auſtralis* (Suffex).

Sub finem additur deſcriptio et delineatio microſcopii aquatici Cuffiani. Eſt vero illud nil aliud, quam lens ſimplex ita aptata, ut per eam deorſum ſpectari poſſit vaſculum vitreum aqua marina plenum, una cum rebus in illa contentis. Illuminantur vero obiecta ſurſum ope ſpeculi caui. Haec omnia praeter microſcopium ipſum ita circiter comparata ſunt, ut in vulgari compoſito Anglico. Cl. Auctor hoc apparatu uſus eſt ad obſeruanda ea, quae hoc opere deſcripſit.

XVII.

Cicatrix et Callus idea nutritionis. Praeſide D. HENRICO FRIDERICO DELIO, Reſpond. *Io. Georg. Laurent. Anton. Rudelgaſt.* Erlangae, 1755. 4. pl. 4.

Plura iam ſingularis, quam in inueſtiganda rerum naturalium medicarumque natura adhibuit Cl. DELIVS, ſollertiae in publico proſtant ſpecimina, ut, quando nouum aliquod eiusdem in praeſens indicare adgredimur, id noſtra commendatione haud indigeat. Seſe ipſa lectoribus commendabit laudanda a nobis diſſertatio, qua Noſter cicatricem et callum, quatenus in his ſuccedit nutritio, egregie diſquiſiuit, poſitisque huius nutritionis attributis, generalem inde nutritionis animalis illuſtrauit explicuitque modum. Primo vero loco conſideranda occurrit cicatricis natura et geneſis. Semper ponit cicatrix praegreſſam in partibus ſolido-mollioribus continui ſolutionem, ut in vulnere, ulcere, aliis, quam excipit noua reunio vel cum, vel ſine ulla aut exigua ſuppuratione. In vulnere enim minore, iterum ligato, vel lympha gelatinoſa e diſciſſis lymphaticis vaſculis plorat, et latera eorum glutinat, vel contractis demum oſtiis ſanguiferorum haec lymphatica ſuum expellunt humorem, qui in ſuperficie vulneris cruſtam format; haec vero exſiccata decidit, et noua rubella cutis, primum tumidula, poſt ſtricta magis protruditur, haec eſt vera *cicatrix*, cuius exempla dant variolae. In vulnere contra maiori dilaceratae vel contuſae partes et ſtagnans ſanguis, ab adfluente e vicinia oleo et unguine cutaneo orta ſuppuratione remouentur, et in relicta ſpatiola tranſit noua lympha, formatque ſenſim nouas fibrillas, quae elongatae vel ad latera nouis auctae fibrillis, cum aliis iunctae telam celluloſam efficiunt, quae nouam admittit in ſpatiola ſua appoſitionem.

p. 2. and p. 4. (margin references)

tionem. Abſterſo pure oculus ipſe detegit nouam carnem molliuſculam, quae vellicata ſanguinem plorat, ut adeoque adeſſe debeant vaſcula ſanguifera; ſuperficies albicat, exſudansque lympha, ſenſim ſpiſſior facta, lamellam, nouam nimirum cutem et cuticulam efformat. In labii leporini et poſt venam inciſam vulneris conſolidatione exempla occurrunt geneſin cicatricis illuſtrantia.

Huc referri meretur chirurgia ſic dicta curtorum, p. 6.
qua labia naſosque reſarcire olim ſtuduerunt, quae vero ponit calorem et motum aliqualem humorum in utraque parte ſauciata adhuc remanentem, alias, ſi in una vel utraque parte omnis calor ceſſauerit, locum prorſus non habet. Concretum iterum ſimili ratione ipſe Noſter vidit fruſtum muſculorum frontalium et cutis, ſuper faciem propendens. Inae- p. 7.
qualem et acceleratam nutritionem monſtrat caro luxurians in vulnere non ubique ſatis repurgato vel ulcere. Simili modo naſcuntur in ſanguine vel ob deficientem in agone cordis vim, vel ob nimiam ſpiſſitudinem ipſius concretiones polypoſae. Huc ſpectant etiam omnes aliae concretiones variarum partium corporis morboſae, fiſtularum conſolidatio, mutatio canalium multorum in ligamenta, quin etiam polyporum et ſtellarum marinarum vulnera cito conglutinata membraque regenerata. Verum in inter- p. 9.
norum viſcerum laeſionibus difficilis vel nulla prorſus conſolidatio et cicatrix exſpectanda eſt, tum ob laeſae partis motum continuum, tum ob lymphae nouae defectum, vel ab aliorum humorum adfluxu inquinationem. Ex his igitur dictis iam colligit No- p. 10.
ſter nouas generari in cicatrice fibras, eas eſſe organicas atque tono ſenſuque gaudentes, hincque ipſam cicatricem non eſſe ſolam epidermidem aut telam adipoſam inſenſilem: Quamuis enim ob craſſiorem cuticulam vel nouam carnem ſolidiorem interdum ea minus, ſed vicinae potius partes dolere videantur,

 eius

eius tamen reſolutio in morbis et dolor a quouis ſtimulo ſenſum cicatricum ſatis euidenter euincunt. In ſene militum duce plures cicatrices, a vulneribus in praeliis ortas, denuo diſſolutas, acrem foetidamque ploraſſe ſaniem refert Noſter, additque ſe ipſum vidiſſe in viro quodam cicatrices a ſcarifatione ſupra ſcapulas ſuperſtites, a frictione nimia et poſt intempeſtiue adplicato unguento de lithargyrio iterum inflammatas, inſignique orta ſuppuratione abſceſſiſſe, noua dein facta conſolidatione, nouis etiam factis cicatricibus.

p. 12. Haec ad cicatricis partium mollium geneſin et naturam explicandam ſufficiant: iam ad oſſium fractorum callum progreditur Noſter, qui quidem cum illa multum habet analogi. Geneſin eius quod attinet et materiem, ex qua conſtruitur, ipſum quidem alii habent pro maſſa aliqua infuſa inorganica, alii vero et in primis Cl. DV HAMEL tumefactum eſſe ſtatuunt induratumque perioſteum, Noſter tamen cum aliis ex ipſa oſſis ſubſtantia elongata calli geneſin optime ex-

p. 14. plicat. Cuius rei experiundae ergo, aliorum excitatus exemplo, rubiam tinctorum binis dedit columbis. Vni earum tibiam cum fibula fregit, ſed iterum repoſuit, et rubiam adhuc per quatuor hebdomadas exhibuit, poſt in mactata perioſteum candidum, os rubellum, locus fractus albus apparuit, demonſtrans veſtigia veri perioſtei, quod ſeſe intra fruſta fracti oſſis implicauerat, callique impediuerat formationem; in ſuperficie enim oſſis filamenta quaedam velut exoſtoſis benigna viſa ſunt, nulla vero conſolida-

p. 17. tio. Vt taceamus alia phaenomena, quae ſeſe obtulerunt in his experimentis, utpote nota ſatis et obſeruata etiam ab aliis, illud tantum adnotaſſe ſufficiat, Noſtrum ex iisdem colligere, calli geneſin dependere omnino a ſucco, qui nutriat oſſa integra, qui per fibras vaſaque transſudet gelatinoſus, poſt ſpiſſior factus, ſenſim in ipſam abeat ſubſtantiam oſſeam.

Clarius

Clarius elucescit haec calli geneſis ex trepanationis ſequelis, quando vel interna ora exciſi orbiculi oſſei ſiccata ſenſim decidit, nouusque ſuccus promanat, vel absque exfoliatione ex vaſculis diploes lympha gelatinoſa exſudat, ſpiſſiorque facta tandem oſſis naturam induit. Similis in carie oſſium poſt exfoliationem corruptae partis euenit et perioſtei noui et nouarum lamellarum oſſearum formatio. In aliis laeſionibus perioſtei et oſſium, ut in apoſceparniſmo, eadem laeſarum partium reſtauratio. Differentiam vero huius nutritionis oſſium faciunt loca, in quae ſuccus oſſeus effunditur; unde in cranio foetus radiatim ea procedit, inter laceram vero molliorum partium celluloſam telam effuſus praeternaturales oſſificationes efformat. Succi denique huius deprauata mixtio nimiusque affluxus cauſa eſt excedentis ſpongioſorum oſſium et epiphyſium in primis in rachitide nutritionis. Vel duriſſima tandem etiam oſſis callique eius emollitur reſoluiturque compages; id, quod in lue venerea adfectis saepius accidit, et quae Cl. MORAND *, itemque Cl. PRINGLE **, deſcripſerunt, exemplis illuſtratur. p. 18.

Ex his iam fuſius de cicatricis callique geneſi adductis ad generalem nutritionem animalem inde declarandam progreditur Cl. Auctor, egregie demonſtrans eadem euenire in cicatricis et calli formatione, quae in omni ſolidorum nutritione eueniunt, quae vero huc transferre haud iuuabit, quum ex phyſiologicis iam abunde pateant. Breuiſſimis tantum adnotabimus, quae ſub finem adfert Cl. Auctor de nutritionis et incrementi corporis differentia: in illa ſpatiola p. 20. p. 24.

 tiola

* Hiſtoire de la maladie ſinguliere et de l'examen d'une femme devenue en peu de temps toute contrefaite par un ramolliſſement general des os. à Paris, 1752. 12.

** Philoſ. Transact. Vol. XLVIII. Part. I. p. 297. no. 44. et Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 398 ſq.

tiola occurrunt a conſumtis partibus relicta, in hoc vero eiusmodi non dantur ſpatia, alia vero naſcuntur ſimilia ex dilatatis particulis flexibilibus. Quod confirmat exemplum feminae obeſae, cuius cuticula et cutis omnis, poſt febrem tertianam curatam ſequutumque poſt pruritum inſignem, diſtenſa ruptaque fuit, protruſa in eius locum tunica adipoſa, quae noua tecta erat cute et cuticula, relictisque corticum arboris inſtar per omnem corporis ſuperficiem ruptarum partium veſtigiis cicatriſatis.

XVIII.

Der Afterholtzbock vormahls in einem lateiniſchen Sendſchreiben an den Herrn von REAVMVR, *itzo in deutſcher Sprache beſchrieben, und mit einer Nachricht von der Frühlingsfliege mit kurtzen Oberflügeln begleitet, von* IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evang. Prediger in Regensburg, und Mitglied der königl. deutſchen Geſellſchaft in Göttingen, nebſt einer Kupfer-Tafel mit Figuren in Farben. Bey Emanuel Adam Weiß. 1755. 4. pl. 2½.*

i. e.

De muſca cerambyce epiſtola, olim latine ad Cl. REAVMVR data, nunc in germanicam linguam translata; accedit breuis deſcriptio phryganeae alis ſuperioribus breuiſſimis. Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Quem ſupra * iam indicauimus ac fuſius expoſuimus libellum, nunc in teutonicam translatum linguam conſpicimus. Satis igitur eſſet illum tantum

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 67.

tum modo allegaſſe, niſi placuerit Cl. Auctori ſub finem addere breuem inſecti cuiusdam, quod muſcam vernalem (*Frühlingsfliege*) appellat, deſcriptionem. Ad phryganearum LINNAEI genus illud eſſe referendum ex antennis ſetoſis, alis prominentibus, ultima corporis phalange proceſſibus inſtructa et, quod phryganearum conſtituit genus, duobus utriusque lateris tentaculis, dilucide apparet. Ex peculiari alarum et ſtructura et ſitu ſpecificum petit Cl. Auctor characterem, quippe quarum duae inferiores longae ſatis et ad apicem falciformes prominent, ſuperiores vero, ut ut maxime attendendae, breuiſſimae, arcuatae, et in apicem acutum deſinentes deprehenduntur. Vnde ortum trahant haec inſecta ignorat, quanquam chryſalides ſiue laruas eorum, quas et paucis deſcribit, copioſe inuenerit; ex libellularum tamen aliarumque analogia, ea ex verme quodam aquatico generari veriſimile iudicat.

XIX.

Die Blumen-Polypen der ſüſſen Waſſer, beſchrieben und mit denen Blumen-Polypen der ſalzigen Waſſer verglichen von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evang. Prediger in Regensburg, und Mitglied der königl. deutſchen Geſellſchaft in Göttingen. Nebſt drey Kupfertafeln mit Figuren in Farben. Regensburg, gedruckt bey Emanuel Adam Weiß. 1755. 4to pl. 7½.*

i. e.

Polypi aquarum dulcium ad florum formam accedentes deſcripti, et cum polypis eiusdem generis aquarum marinarum comparati a IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Ex quo hiſtoriae naturalis cultores in accurata polyporum diſquiſitione ac deſcriptione occupati fuerunt, mos fere inualuit, omnem, huc uſque incognitum et in aquis repertum, vermiculum, polypi nomine inſigniendi. Ne igitur in animalium hiſtoria inde quaedam oriatur confuſio, de vera polypi definitione cogitauit Cl. Auctor, quam ſequentem in modum ſuppeditat: Polypus, inquit, eſt animalculum, cuius ſtructura et fabrica ad modum ſimplex, et quod peculiari quadam, hactenus nobis incognita, progerminandi ratione, ſpontaneaque ſegregatione, ad eundem fere, quem in vegetabilibus deprehendimus, modum, propagare ſeſe ſolet. Cur vero alios in definitionem non admiſerit, qui tamen eſſentiales videri quibusdam poſſint, characteres, v. c. quod ex diſſectis partibus noua formentur animalcula, ſolide declarat. Ex aliorum aeque ac ſui ipſius obſeruationibus et de polyporum natura collectis experientiis, ſyſtematicam diſpoſitionem efficere conatus

tus eſt, quam hic allegare e re noſtra eſſe nobis videtur. Sunt igitur

Polypi
- nudi ſ. nullo dermate inſtructi
- dermate tecti
  - ſolitarii
  - gregarii
    - vel brachiis gaudent vel iis ſunt deſtituti.
    - vel dermate molli, vel duro tecti.
    - vel locum mutant vel in eodem loco perſiſtunt.

His generalioribus praemiſſis ad illud, quod ſibi p. 7.
ſumſit deſcribendum polyporum genus accedit, et eius iam mentionem factam eſſe a Cl. LEEVWENHOECK et Cl. BAKER oſtendit. Cum vero inſufficiens ſit haecce utriusque viri deſcriptio, quas ipſe detexit, ulterius recenſere nullus dubitat. Sunt vero hi polypi ex claſſe eorum, qui dermate tecti deprehenduntur. Quod quidem derma tubulum, teretem, longum, quodam modo incuruum repraeſentat, colore ex viridi fuſco gaudet, et ex particulis ſexangularibus, quarum unaquaeque in medio puncto obſcuriori eſt notata, componitur. Non ſemper ſolitarii inueniuntur, ſed quandoque alius polypus ſuum apponit domicilium, quo fit, ut quandoque ramoſi appareant tubuli. Habitant in hisce tubulis polypi nunc deſcribendi, nec, niſi externa quadam vi fuerint corrupti, ex iisdem egrediuntur, Tot vero tamque variis conſtant hi polypi partibus, ut eorum artus omnes hic deſcribere nequeamus, cum Cl. Auctor, quanquam pro more ſuo ſummam in explicatione adhibuerit induſtriam, ipſe fateatur, ſe ne ſibi quidem ſatis feciſſe. Sufficiat igitur aliqualem tantum huius p. 33.
vermiculi dare ideam, quam, ſi quis pleniorem exoptat, ex Cl. Auctoris libello facile perficere poterit.

Conſtat

Conſtat noſter polypus ex tubo longiori, qui terminatur in expanſionem quandam gelatinoſo-membranaceam, laciniis quatuor inſtructam; quas quidem lacinias mox euoluere, mox ſumma velocitate contrahere valet. Adſtant a parte externa duo bacilli ſiue cylindriformes cuſpides, quos antennas eſſe ſibi Cl. Auctor perſuadet. In conſpectum prodit hoc animalculum ex cauerna ſua diuerſo modo, mox enim ex parte tantum, mox totum ſeſe euoluit: hinc ſumma oritur et ob partium figuram, et ob expandendi ſeſe modum plantae analogia; et aut gemmae, aut corollae expanſae, aut ouarii formam mentitur. Tubuli enim, quibus ineſt, calycem monophyllum integrum, ipſe vero vermiculus corollam monopetalam regularem, laciniis quatuor diſtinctam infundibuliformem, optime referunt. Nomine hinc ſatis apto a Cl. Auctore polypi floriformes (*Blumen-Polypen*) appellantur; nec niſi ab attento naturae indagatore a vegetabilibus dignoſcuntur. His igitur ſatis docte explicatis, varias addit et de nutriendi et procreandi ratione coniecturas; et tandem hoc ſuum polyporum genus, cum iis corporibus, quae detexit Ill. MARSIGLI in coralliis aquarum marinarum, et ſub florum nomine deſcripſit *, comparat, multaque adducit argumenta, quibus demonſtrat haec corpora neutiquam ad vegetabile, ſed merito ad animale regnum eſſe referenda. Cum etiam autopſia eum docuerit, quos deſcripſit, polypos ſibi ipſos exaedificare ac componere tubulos, in quibus latent; coniicere nullus dubitat corallia non plantas marinas eſſe, ſed a polypis, qui in iſtis vitam degunt, exſtrui.

* Hiſtoire phyſique de la mer. praef. p. 87.

XX.

XX.

GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD, M. D. Sereniſſ. Marchionis Brandenburgico - Baruthini a conſiliis aulicis ac Archiatri, ciuitatis Weiſſenfelſenſis Medici ordinarii, Academiar. Natur. Cur. Caeſar. et Scientiarum Regiae Berolinenſis Sodalis Commentatio de Praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae. Lipſiae apud Ioh. Chr. Langenhemium. 1756. 4. pl. 2.

Poſtquam Cl. huius commentationis Auctor medicamenti illius lithontriptici anglicani, quod a nobili quadam femina, cui nomen STEPHENS erat, famam accepit, hiſtoriam recenſuit, ſimulque adiecit, qualem ipſe effectum ab hoc remedio in non nullis expertus eſt aegris calculoſis: ad aquam calcis viuae, praeſertim ex oſtrearum concharumque teſtis paratam, quae apud Anglos maximo iam in uſu eſt *, omnibusque aliis remediis lithontripticis praefertur, tranſit. Quamuis huic aquae multum virtutis concedat, minime tamen dubitat aſſerere, aquam mineralem thermarum Carolinarum, in Bohemia ſcatentium, quas proxime ad aquas calcarias accedere contendit, in calculo ſoluendo illi aquae palmam omnino praeripere. Prouocat ideo ad experientias, quas partim ipſe ſolus, partim una cum Cl. LIEBERKVHNIO medico berolinenſi, cum his aquis inſtituit. In libello **, quem de thermis Carolinis Cl. Auctor ſcripſit, et 1749 edidit, pag. 25 mentionem iam fecit ex-

p. 3.

p. 6.

* Confer. ROBERT WHYTT *Eſſay on the Lime Water in the Cure of the Stone* etc. *Edimburgh*, 1755.

** Titulus huius libelli eſt: GOTTLOB CARL SPRINGSFELDS *Abhandlung vom Carlsbade. Leipzig*, 1749. 8.

experimenti, ope cuius calculus veſicae in aqua thermali ſolutus fuit. Pluribus calculis tunc deſtitutus ſpem faciebat, data occaſione has experientias ſe eſſe repetiturum, et quae inuenerit, cum eruditis communicaturum; quam datam fidem nunc liberat.

Antea vero, quam experientias ipſas refert, de thermarum Carolinarum natura quaedam praemittit. Probat autem non ſolum alcali ſemper abundare in aqua thermali, ſed quamlibet etiam huius aquae libram continere decem grana terrae calcariae: praeterea illam multum ſimilitudinis habere cum aqua calcis viuae. Quodſi enim per aliquot horas in balneis ſteterit, eam non ſolum lacteſcere ait, ut aquam calcis: ſed ei quoque innatare cuticulam teneram terream, qualis ſuper aquam calcis obſeruatur. Deinde eam etiam gaudere, pergit, ſapore illo leniter conſtringente, atque ſiccante, ut parum abſit, quin cum aqua calcis viuae confunderetur, niſi ſapor ſalſus aliquod leue daret diſcrimen. Sequuntur nunc
p. 7.
experientiae cum calculis factae. Anno 1749 veſicae calculum, uncias duas cum dimidia pendentem, prope fontem fortiorem, *Brudel* dictum, poſuit, et poſt ſex dies plane ſolutum, et in materiam albam, quae inſtar pultis, vel calcis nuperrime maceratae erat, mutatum inuenit. Vas, quod calculum continebat, topho incruſtatum erat. Scire enim licet omnia corpora dura a thermis Carolinis incruſtari. Quare eo magis mirum, quod calculi veſicae, licet corpora ſint duriſſima, non incruſtentur, quin potius diſſoluantur. Eodem hoc anno aliquot calculi minores ſimili modo tractati, ſoluti fuerunt. Anno 1750 calculus ſemiunciam pondere ſuperans, et ſex calculi minores: et 1751 calculus ad unciae pondus fere accedens huic experientiae exponebantur, et quarto iam die diſſoluti obſeruabantur. Anno 1752 et 53 ob defectum calculorum has repetere nequiuit Cl. Auctor experientias.

Anno

Anno 1754 accipiebat calculum duriſſimum, qui ſiliceam fere habebat duritiem, et unciae quartam partem pendebat. Hunc ſacculo linteo incluſum in aquam thermalem immerſit, et prioribus citius diſſolutum inuenit. Hoc anno quoque accidit, ut Ill. p. 9.
Comes de w. qui mictu cruento ex calculo renum laborabat, ad thermas Carolinas confugeret, et excretis, durante cura, cum urina aliquot calculis perfecte ſanaretur. Ill. hic Comes non nullos ſecum vexerat calculos, quos multo ante cum urina reddiderat. Hi calculi in quatuor diuidebantur portiones, quarum quaelibet ſex grana pendebat. Vna portio immergebatur in fontem fortiorem, *Brudel* dictum, altera in fontem nouum, tertia in fontem prope molam, et quarta alii uſui aſſeruabatur. Poſt duodecim horas prima portio quinque grana, ſecunda quatuor, et tertia unum tantum modo granum amiſerat. Super quartam calculorum portionem Ill. Comes urinam, quam poſt epotam aquam thermalem ante prandium reddidit, quotidie ſtillauit. Hoc factum eſt, ut poſt octo dies duae tertiae, ſeu quatuor calculorum grana diſſoluta reperirentur. Vtriusque huius experientiae Cl. LIEBERKÜHNIVM, qui ſanitatis ſuae recuperandae cauſa hoc anno ad thermas Carolinas ipſe venerat, habuit teſtem. Qui quum videret Cl. Auctorem carere calculis exſectis, ſequenti anno ad thermas rediens, multis eum inſtruxit. Hiſce, aſſiſtente ipſo Cl. LIEBERKÜHNIO, experimenta repetebantur, et ſimilis fere obſeruabatur effectus.

Vt vero ambo hi viri experirentur, quantum dif- p. 10.
ferat vis aquae thermalis a virtute aquae calcis viuae in ſoluendo calculo, ſequens inſtituebant experimentum. Sumebant tria fruſtula calculorum pondere perfecte aequalia. Ingerebant quoduis in phialam vitream aeque capacem. Vni affundebant aquam calcis ex ouorum teſtis, nuperrime uſtis, paratam: alteri aquam thermarum: et tertio urinam hominis,

eandem

eandem aquam pro cura bibentis. Ponebant phialas loco tepido, nonaginta ſex grana ſecundum thermometron Fahrenheitianum habente, calori ergo noſtri ſanguinis aequali. Renouabant affuſa quotidie, poſt quatuordecim dies fruſtula rurſus eximebant, atque ponderabant. Perdiderat autem fruſtulum ex aqua calcis deſumtum granum unum, alterum ex aqua thermali grana ſex, et tertium ex urina, grana quinque. Ex quibus Cl. Auctor cogit eſſe vim aquae thermalis in diſſoluendo calculo ſexies et urinae ipſius quinquies maiorem vi aquae calcis viuae. Has experientias Cl. Auctor menſe auguſto eiusdem anni denuo iterauit, et, quod ad effectum attinet, fere ſimiles reperit.

Quum vero animaduerterent ab urina medicata, omne omnino, ſi quod eſt, expectandum eſſe auxilium, ſumſit calculum ſatis durum ad unciae pondus accedentem. Hunc eadem ratione, ac ſupra, linteo, infundibuli cuiusdam exitui praetenſo, ne ille effugere, urina autem libere praeterlabi poſſet, imponit, curamque geſſit, ut unus ex illis, qui thermis pro cura utebantur, quotidie illum ſua, quam ante prandium faciebat, permingeret urina. Hoc effectum eſt, ut decimo ſexto die, ad dimidium diſſolutus reperiretur calculus, relicta autem et reſtans pars ita poroſa et exeſa reddita, ut digitis frangi poſſet. Quae certe nil relinquunt, cur de eiusmodi urinae efficacia in diſſoluendo veſicae calculo dubitemus.

p. 12. Quam potentem autem vim thermarum in ſoluendis calculis veſicae urinariae, tam inefficacem eandem aquam deprehendit Cl. Auctor contra lapillos felleos, id, quod etiam Cl. WHYTT * de aqua calcis viuae obſeruauit. Hos non tantum intactos reliquerunt thermae, ſed etiam ſuo incruſtauere topho.

p. 14. Tandem rationem et modum, quo thermae Carolinae calculos probabiliter ſoluunt, exponere ſtudet Cl.

* libro ſupra citato p. 133.

Cl. Auctor. Notum eſſe, dicit, acida, praeſertim mineralia, ſoluere calculos et lapillos animalium, e. g. cancrorum, dum terreas partes in ſe recipiunt. Multo aliter ſe rem habere cum alcalicis: ab his terrea intacta relinqui. Solui tamen ab alcalicis atque deſtrui gluten, quod particulas terreas nectit, quo deſtructo, has neceſſario dilapſuras eſſe, concludit. Vt vero ſuae explicationi maius pondus addat, omnia per experientias cum lapillis cancrorum inſtitutas probare conatus eſt. Quibus praeſuppoſitis, plus quam probabile Cl. Auctori videtur, aquas ex calce, vel teſtis ouorum paratas, et thermas Carolinas, propter indolem alcalinam et calcariam, quam etiam urina aſſeruat, ſoluere tantum illam gelatinam, ſeu illud gluten, quo partes terreae in calculis veſicae cohaerent: quo ſoluto, ut dehiscant et in pultem mutentur, neceſſe eſſe. Quum contra gluten intermedium, quod partes biliosas in calculis cyſtidis felleae coniungit, non ſit gelatina animalis, ſed oleum pingue, quod neque alcali minerale thermarum, neque indoles ſpecifica calcis viuae aggredi valeat. Quare, an ſapo efficacior? an ſucci herbarum recentium praeſtantiores? merito quaeritur.

XXI.

Noua phyſico - medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes in Academia *Friburgi* conſtituta, quae urbs caput eſt *Brisgouiae:*

PHILIPPVS IOSEPHVS STROBEL, Phil. et Med. Doct. Praxeos Profeſſor Publicus Ordinarius.

IOSEPHVS LAMBERTVS BAADER, Phil. et Med. D. Materiae Medicae Prof. Publ. Ord.

CAROLVS ANTONIVS RODECKER, Phil. et Med. D. Inſtitutionum medicarum Prof. P. Ord.

FERDINANDVS LAVRENTIVS, DOMINICVS DE MAYERN, Phil. et Med. D. Anatomiae Prof. Extraordinarius.

Solemnia nominis Potentiſſimae omnium Ruſſiarum Imperatricis nuperrime, die ſexto menſis ſeptembris ſtyli veteris, *Petropoli* celebrauit Ill. ſcientiarum Academia publico conuentu habito dictisque ibi orationibus, quarum una phyſici et oeconomici fuit argumenti ideoque, quum typis iam excuſa proſtet, a nobis commemorandi. *De fertilitate* nimirum *terrarum induſtria colonorum augenda* Vir Cl. IO. CHRISTIANVS HEBENSTREIT, Hiſtor. Natur. et Botan. Profeſſor Publ. noſter olim ciuis *, vel abſens tamen nobis adhuc carus, diſſeruit regnique vaſtiſſimi, quod Ruſſiarum prouinciae conſtituunt, agricolas excitauit, quo velint maiori ſtudio atque induſtria, ac huc usque ſoliti ſint, agros ſuos colere, quibus magnam partem ab ipſius naturae benignitate inſignis iam conceſſa ſit fertilitas, ideoque rem ſuam familiarem ex terrae fructibus magis magisque augere. Quem in finem, diuerſis terrarum generibus expoſitis, modum docuit, quo ſingula vel corrigi, vel ſuo modo coli, debeant.

Eandem porro concionem academicam illuſtriorem inſuper fecit Illuſtriſſimus eius Praeſes, Comes A RASVMOWSKI, et praemio, quod anno quouis impertiri ſolet Ill. Academia, publice adiudicato, et nouis propoſitis problematibus, de quorum ſolutione reliquis digniore ſibi viſa proxime ſubſecuturis annis Academia iudicet. Huic, quem agimus, anno illam praefixam fuiſſe conſtat quaeſtionem **: *Quaenam ſit cauſa proxima mutans corpus foetus, non matris grauidae, huius mente a cauſa quacunque violentiori commota,*

* De eius itinere Petropolin nuper iterum ſuſcepto vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 180.

** vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 723.

mota, et quidem, cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quam in ſuo corpore mater manum adplicuit. Duo commentarii, ſuper hoc argumento conſcripti, prae reliquis Ill. Academiae mouerunt approbationem ideoque etiam iuſſu eius ambo typis excudentur, quorum unus autem praemio ſtatuto condecoratus fuit. Reportauit illud Vir Cl. CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE, Phil. et Med. Doct. in Vniuerſitate noſtra Lipſienſi, qui affirmatiuam quaeſtionis partem defendere originemque illarum in foetu occurrentium mutationum a matris imaginatione repetere annisus fuit. Quum autem ab altera etiam parte ſtare licuiſſet Viris doctis in huius quaeſtionis ſolutione elaborantibus, aliam quoque ſelegit Ill. Academia commentationem typis mandandam, qua negatiua quaeſtionis pars optime defenſa ipſi viſa fuit. Habet ea ſui auctorem, Cl. IO. GEORGIVM ROEDERER, Med. D. eiusdemque et Anatomiae Prof. P. Ord. in Academia Georgia Auguſta Gottingenſi, quem iam ſaepius laudandi habuimus occaſionem.

Ex illis vero nouis, quas Ill. Academia propoſuit, quaeſtionibus una proxime inſtanti anno dicata eſt, *de motibus diurnis planetarum circa axes proprios, in primis veneris vertiginem, accuratius obſeruandis*; altera vero inſtituti noſtri fines propius attingens, ad annum 1758 referri debet: 1) *Qua* nempe *praerogatiua conſtent magnetes artificiales prae naturalibus?* 2) *Quae ſit optima eos conficienai methodus?* 3) *Vtrum phaenomena noua per magnetes artificiales detecta theoriae magneticae adhuc propoſitae ſatisfaciant? ſi minus, ut quis nouam eorum phaenomenorum explicationem ſuppeditet.* Sub conditionibus iam ſatis cognitis centum aureorum praemium is accipiet, qui rem optime, ex Ill. Academiae voluntate, explanauerit. Commentarios tamen ante diem primum menſis iunii cuiusque anni Academiae tradendos eſſe, haud obliuiſcan-

tur viri docti, in oblatarum quaeſtionum argumentum inquiſituri.

Inter eas quaeſtiones, quas Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis* olim commendauerat eruditis, illa fuit oeconomica *de uſu terrae nigrae paludoſae* *, de cuius expoſitione, quaenam optime facta ſit, hoc medio anno decerneret. Dolet autem Ill. hoc Collegium, quod nemini adiudicare potuerit praemium, ſimulque eam, ſaepius iam a ſe factam, repetit atque confirmat declarationem, prorſus neceſſe eſſe ut omnes, qui de reportando praemio certamen inire velint, conſtitutum tempus probe obſeruent.

Rothomagi auctoritate ſenatus ſupremi, ſcholam botanicam publicam nuper fundatam, eiusque curam traditam eſſe legimus Cl. PICARDO, ſcientiae illius Profeſſori Publ.

Quod diu iam meruerat, Profeſſoris munus ab Illuſtri Senatu *Roſtochienſi* tandem obtinuit Vir Cl. CHRISTIANVS EHRENFRIED ESCHENBACH, Med. Doct., ut nimirum matheſeos praecepta publice doceat. Illud quoque iam ante aliquod tempus, primo die menſis aprilis, ſuſcepit, publice ideo habita oratione *de mathematicarum diſciplinarum arctiori prae reliquis eruditionum generibus, cum medicina nexu.* Per plures iam annos in Academia patria, Roſtochienſi nempe, plurimas medicinae partes docuit variisque ſcriptis medicis, ex parte etiam a nobis ſuo tempore indicatis, inter viros doctos inclaruit.

Nuper etiam Imperialis Academia Naturae Curioſorum in numerum ſociorum recepit Viros Cll. noſtros olim ciues, nobis adhuc amicos, IO. LVDOVICVM LEBERECHT LOESEKE, Med. D., *Berolini* medici-

* l. c. Vol. III. P. IV. p. 733.

medicinam cum laude facientem atque docentem, de cuius ſcriptis una alteraque vice ad lectores noſtros retulimus, et paulo poſt IO. CAROLVM HEFFTER, Med. D. et *Zittauiae* in Luſatia ſuperiore medicum ordinarium, inter viros doctos non nullis potiſſimum obſeruationibus clarum factum, quas *Primitiis phyſico-medicis, ab iis, qui in Polonia et extra eam, medicinam faciunt, collectis*, inſeruit *. Ex Ill. Academiae conſuetudine atque legibus, ille LEONIDIS III, hic vero HERODICI III cognomine, in ordine ſociorum cohoneſtatus fuit.

Berolini ſuum diem obiit ſupremum die triceſimo menſis iulii MICHAEL MATTHIAS LVDOLF, Med. D. Pot. Boruſſorum Regis Medicus Aulicus, Regiae Scientiarum Academiae et Collegii Medico-Chirurgici, ibidem florentium, Socius et apud hoc medicinae et in ſpecie ſcientiae botanicae conſtitutus Profeſſor Ordinarius. Non nullis ſcriptis botanicis et ad materiem medicam pertinentibus inter eruditos ipſum innotuiſſe conſtat. Aetatis annum ſexageſimum primum egit, quum ex hac vita diſceſſerit.

In eius locum ita ſurrogatum eſſe legimus Cl. IO. GOTTLIEB GLEDITSCH, Med. D. qui iam antea illi Collegio medico fuerat adſcriptus Profeſſor Botanices, ut ipſi nunc ea redeat pecunia, cuius reditu huc usque vi muneris huius fruitus fuerat b. LVDOLF.

Ibidem paulo poſt, die nimirum decimo ſexto menſis auguſti viuere deſiit PETRVS CARITA, Med. D. Regiae Scientiarum Berolinenſis Academiae Socius et Supremi Collegii Medici Pro-Decanus, Noſocomii gallici et pauperum inter extorres Gallos medicus ordinarius, Gymnaſii gallici Inſpector.

* l. c. Vol. II. P. IV. p. 683.

Erfordienſi porro Academiae nuper die decimo ſexto menſis iulii morte fuit ereptus HERMANNVS PAVLVS IVCH, Med. D. Sacri Palatii Caeſ. Comes, Sereniſſ. Ducum Saxoniae, Gothani et Vinarienſis, Conſiliarius Aulicus et Archiater, Facultatis Medicae Senior et Aſſeſſor Prim. Pathologiae et Praxeos Profeſſor Publ. Ordin. Acad. Nat. Curioſ. Socius. Auum is habuerat PAVLVM, Pot. Sueciae Regis, CAROLI GVSTAVI, Medicum Aulicum atque caſtrenſem et deinde IOANNIS PHILIPPI, Principis Electoris Moguntini, Archiatrum; patrem vero PAVLVM HENRICVM, Moguntinum et Saxo - Iſenacenſem Conſiliarium Aulicum et Archiatrum, ciuitatisque Erfordienſis publica auctoritate conſtitutum medicum, ſiue ſic dictum phyſicum. Erfordiae Noſter natus anno praeteriti ſeculi ſeptuageſimo ſexto, die ſeptembris triceſimo, in gymnaſio patrio literas tum elegantiores, tum quae ad cultus diuini pertinent cognitionem, edoctus, in numerum deinde ciuium academicorum receptus, in ſcientias, quae ad artem medicam faciunt, incubuit, patre in primis uſus praeceptore. Poſtea anno eiusdem ſeculi nonageſimo ſexto Ienam et paulo poſt Halam Magdeburgicam ſe contulit, HOFFMANNVM ibi atque STAHLIVM, utrumque virum ſempiternam inter medicos famam conſecutum, prae aliis ſecutus artis noſtrae doctores; attamen STAHLII potiſſimum inter reliquos omnes ita adſentiens dogmatibus, ut ea in ſummum usque ſenium retinuiſſe ipſum atque defendiſſe, nosmet ipſi ex eo audire meminerimus. Poſtquam deinde, ſub praeſidio eiusdem viri, ſuam *de motu ſanguinis haemorrhoidali et haemorrhoidibus internis* diſſertationem defenderat inauguralem, anno eius ſeculi nonageſimo octauo, ab eodem viro medicinae Licentiati honoribus exornatus, urbem patriam repetiit ibique medicinam facere coepit. Proxime autem ſubſecuto anno iter ſuſcepit in exteras regiones totamque in pri-

mis

mis peragrauit Italiam, Pataui per aliquod tempus commoratus ibique a ciuibus academicis, ex Germanorum nationibus ibidem confluentibus, *Conſiliarius Anatomiae Primarius*, *Protector* atque *Pro-Syndicus*, in publicum fidei, eruditionis atque honoris, documentum, anno poſt milleſimum ſeptingenteſimo electus et nominatus fuit. Primo deinceps anno poſt, Erfordiam redux medicinam ibi facere atque docere apud ſe conſtituerat, huius quoque voti ſui compos factus. Anno itaque huius, quo nunc viuimus, ſeculi tertio doctoris medici honores atque iura ab Academia Halenſi conſecutus, decimo autem ſeptimo in Academia Erfordienſi Profeſſor Medicinae Extraordinarius, proxime autem ſubſecuto Inſtitutionum medicarum Ordinarius, tandemque viceſimo nono Pathologiae et Praxeos Profeſſor Primarius conſtitutus, triceſimo autem ab Academia Naturae Curioſorum ad ſodalium numerum adſcitus fuit, cum per plures iam annos apud quosdam ſtirpis Saxonicae Erneſtinae Sereniſſimos Principes archiatri munere functus honoribusque Conſiliarii Aulici gauiſus fuiſſet. Per totum hocce tempus et ciuibus ſuis, et Academiae, cuius membrum erat, inſeruire omni ſtudio anniſus fuit Vir ille honeſtus, probus, doctus et in quo ſumma erat humanitas. Inſignem diſſertationum academicarum conſcripſit numerum, maximam partem a candidatis medicinae, ſummos artis honores in Academia Erfordienſi petentibus, ſuppeditata occaſione, adeo ut illarum plus centum proſtent ſub eius praeſidio publice defenſae, quarum catalogum aliaque vitam beati viri attinentia, reperire licet in Cl. BOERNERI relationibus de vitis medicorum atque phyſicorum adhuc viuentium *.

* *Nachrichten von den vornehmſten Lebens-Umſtaenden und Schriften itztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher. Zweyter Band. Wolfenbüttel.* 8. 1752. p. 392.

Ante aliquod iam tempus, die nimirum menſis februarii viceſimo quarto huius anni, non mediocrem iacturam fecere *Dreſdenſis* aula, ciuitas, omnisque orbis literarius, morte optimi ſenis, viri, dum viueret, meritorum fama atque laude clariſſimi, PHILIPPI DE VIOLANTE, Phil. et Med. D. Pot. noſtri Regis Archiatri et Conſiliarii; cuius ut memoriam in commentariis noſtris conſeruare poſſemus, ab Ill. BIANCONIO, Med. D. noſtrique Regis Clementiſſimi Medico atque Conſiliario, quippe qui intimam cum beato illo Viro per plures annos habuerat familiaritatem, petere auſi ſumus, vellet, pro ſua erga nos humanitate ſummoque in amicum ſibi ereptum amore, praecipua nobiscum communicare momenta, quae ad vitam eius praeclare geſtam pertinuerint. Precibus quoque noſtris indulgere haud dedignatus fuit Ill. ille Vir pluraque praeſtitit, ac iure quodam a Viro tot tamque grauibus negotiis detento ſperare vel expectare certe licuit. Sequentes enim literas ideo dedit ad Cl. LVDWIG nobis coniunctiſſimum, quas, uti gratiſſimi omnino accepimus, ſic et integras laboribus noſtris inſerendi data nunc utimur poteſtate.

CHRISTIANO GOTTLIEB LVDWIG
S. P. D.
IOANNES LVDOVICVS BIANCONI
Bononienſis.

Heu nimis verum eſt, quod per publicos nuntios, LVDWIGI Doctiſſime, audiuiſti, PHILIPPVM DE VIOLANTE, Auguſti noſtri Archiatrum, diem poſtremum obiiſſe. Amiſit Rex prudentiſſimum Medicum, Vrbs noſtra optimum Ciuem, neceſſarii integerrimum Amicum, ego vero praeceptorem, imo patrem, et ſi quid patre carius eſſet ac dulcius, hoc etiam, crede mihi, amiſi. Quaeris a me, ut aliquid

quid de ipſius hiſtoria ad te ſcribam, quod in veſtris commentariis medicis inſerere poſſis; faciam, Amice cariſſime, quid enim tibi a me negabitur? Verum non parum timeo, ne amore erga me potius, quam iudicio deceptus ſcriptorem minus aptum in me eligas: acerbo enim perculſus dolore, quid ſcribam, vix ſcio. Recens adhuc eſt vulnus, neque ſine maxima moleſtia iacturam hanc narrando ipſum perfricabo. Succurrit, non inficior, quod decrepitus, quod infirmus erat, ſed antiqua haec, et diu nota tanto dolore ſuperantur. Pauca tamen, ut tibi faciam ſatis, de ipſo, ut poſſum, enarrabo.

Ex CARMINE DE VIOLANTE, ingenioſiſſimo et nobili Medico Neapolitano, atque THERESIA PARESCANDOLA anno MDCLXXVIII natus eſt PHILIPPVS noſter VIII Idus Septembris. Antequam ex ephebis excederet, eum ſolertiſſimus pater arti noſtrae dicauit, et ſextum vix annum impleuerat, quod rudem ſaltem et patentiorem humani corporis anatomen puerilibus ductus muneribus omnium admiratione callebat. Litterarum humaniorum, et philoſophiae curriculo ſequentibus annis expleto, ad medicinam ex integro addiſcendam, praeceptore BALBO, non ignoto inter Neapolitanos medico, tranſiuit. Verum cum clare vidiſſet, atque a LVCA ANTONIO PORTIO celeberrimo audiuiſſet, eos inuito Apolline medicinam colere, qui phyſicas diſciplinas ac geometriam ignorant, ſe totum ad naturae et matheſeos praecepta conuertit, ea non tantum a ſuperficie ſalutando, ut multi, ſed penitius indagando, et excolendo.

Viceſſimum ſextum agebat annum, cum VI Kalendas Iulias in publico Neapolitanorum collegio non ſuffragiis, ſed viua omnium voce, vel acclamatione Philoſophus et Medicus ſolemniter renuntiatus eſt, et collegio adſcriptus. Noua tunc ad Neapolitanos primum aduecta fuerat CARTESII philoſophia, quae

iuuenem diſcendi cupidiſſimum non emolumento, ſed ſua dignitate adeo traxit, ut CARTESIO totus ſe dicauerit, eamque ſuis etiam ciuibus communicare inſtituerit. Conueniebant itaque ad eum amici, et condiſcipuli, ut inuſitatum hoc philoſophandi genus addiſcerent, quod tantam VIOLANTI noſtro peperit famam, ut ipſius domum Gymnaſium florentiſſimum dixiſſes.

Feruebant per ea tempora in Regno Neapolitano factiones partiumque ſtudia, non nullis aegre ferentibus nouum Gallorum dominium, ardenterque optantibus priſtinum Auſtriacae gentis imperium. Cum inter hoſce feruidus audaxque VIOLANTE nimis iuueniliter fortaſſe emineret, magna diſcipulorum frequentia nomen ipſius ac ſuſpicionem augente, res in tantum diſcrimen adducta eſt, ut ab amicis admonitus patriae valedicere decreuerit. Romae deſiderio motus, parentum conſilio aeternam urbem, ingeniorum omnium ſtudiorumque matrem, viſitauit, ibique non tantum antiquitates, verum etiam per campos et agros tum ſtirpes, tum lacus aliaque naturae phaenomena, patris amantiſſimi ſumptibus longe lateque luſtrauit. Saepiſſime mihi honeſtiſſimus ſenex narrauit dulciſſima cum LANCISIO habita tunc colloquia, quamque humaniter a PAMPHILIORVM gente nobiliſſima exceptus fuerit, praecipueque ab huius nominis Cardinali, qui ipſum caſu, epiſtolae huius fortaſſe non indigno, cognouit. Audiuerat enim PAMPHILIVS VIOLANTEM adeo docte ac perſpicaciter de poeticis ſtudiis diſſerentem, ut ipſius familiaritatem protinus deſiderarit, imo ea carere non amplius potuerit. Erat PAMPHILIVS poetices amator ac cultor elegantiſſimus; obſtupuitque ubi ſciuit iuuenem non poetam, ſed medicum, et philoſophum eſſe, nihilominus antiquos aureae aetatis poetas aeque atque HIPPOCRATEM ac CELSVM callere. Delectabatur ſummopere PAMPHILIVS

VIO-

VIOLANTEM audire, quemcumque ſors obtuliſſet, *Aeneidos* locum ex tempore recitantem, et ad finem uſque, ſi vellet, continuantem. Diuinum enim poema hoc adeo tenaci animo imbiberat, ut fere integrum ad poſtremos uſque dies memoria retinuerit. Incredibile eſt, qua liberalitate, quoque amore VIOLANTE Romae honeſtatus fuiſſet, niſi rebus in Regno Neapolitano mutatis, ipſum ad patriam, pacatum Auſtriacorum dominium, reuocaſſet.

Patriae vix reſtitutus Barcinonam, ubi tunc florentiſſime CAROLI III. Regis vigebat aula, a parentibus miſſus eſt, ut ibi, non nullis familiae ſuae rebus compoſitis, aliquem de VIOLANTVM erga Auſtriacos amore fructum referret. Menſibus aliquot in Hiſpania elapſis, voti compos in Italiam nauigans, prope Liguriae litora aduerſis fluctibus et coelo adeo agitatus fuit, ut naufragio procul dubio periiſſet, niſi cymba ad oras Hetruriae neſcio quo fato mire appuliſſet. Infortunio hoc perculſus, non obrutus, iter ſuum Neapolim fauſtioribus auſpiciis perfecit, parentesque optimos contra omnem ſpem amplexus eſt illacrymans oſculatusque.

Verum quid gloriae auiditas in iuuenili pectore non poteſt? VIOLANTE noſter Hiſpanicae aulae, quam primum viderat, memor totus in ipſa animo inſidebat, regiumque ſplendorem ac ſtrepitum diu noctuque quietis impatiens meditabatur. Priuatae igitur domus cito pertaeſus, aliquot poſt reditum menſibus parentibus et patriae aeternum valedixit, et Barcinonam, ut ibi medicinam cum dignitate et fructu faceret, reuertit.

Longum hic eſſet memorare, quae in tanto hominum et primariorum praecipue concurſu nouus et ſuauiſſimus medicus noſter fecerit, ut famam ſibi pararet. Balnea, quae in Catalaunia magna celebritate fruebantur, ut aliquorum deſiderio ſatisfaceret, diligentiſſime examinauit, et peculiariter *Sparangherae*

Ther-

Thermas et *Caldas*, quidque auxilii in ipſis vere ſperandum eſſet, contra fallacias et fraudes agyrtarum, quibus tunc abundabat Barcinona, aliquot patefecit epiſtolis. Vehementiſſimam etiam ad amicum acerrimamque conſcripſit lucubrationem, qua medicorum inſcitiam negligentiamque redarguit, et tantum in ſe concitauit odium, ut a ſicariis in vitae diſcrimen, per nocturnas inſidias, ut mihi ſaepius narrauit, adductus fuerit. Non Te pigeat, LVDWIG Doctisſime, aliqua ipſius verba, ſale Hiſpanico acuata hic legere. *Per hanc urbem Barcinonam, medici quam plures curſant, Galenici quidem nomine, ſed quid* GALENVS *ſcripſerit, prorſus ignorantes, quorum curandi rationem totam paucis verbis audi. Venas ſecant reſecantque, decoctione foliorum ſennae aliquando vel Manna vel Rhabarbaro mixta ventrem excruciant, potiones ex hordei et ſcorzonerae decocto, cum ſyrupo violarum paratas exhibent, clyſteres apponunt, poſtremo veſicantia, et quandam teterrimam mixturam, cordiali titulo inſignitam, pro ultimo miſerorum aegrotantium ſolatio praeſcribunt, haecque methodus, pueris, ſenibus, viris, mulieribus communis eſt, tam in febribus omnibus, quam in capitis vel ventriculi, vel pectoris morbis. Endemicis inſuper confligatur morbis ſaepiſſime Barcinona. Si tertianae apparent, tertianas undique graſſari conſpicimus; ſi apoplexia, multos cernimus apoplecticos; ſi variolae, pueri omnes varioloſi efficiuntur, et fere omnes fato irreuocabili moriuntur. Accurrit medicorum turba, obolis aliquot mota, cumque adſtantes vel amici interrogent, unde huius endemiae labis origo? neſcimus, obſtupeſcimus, admiramur, reſpondent ſolertiſſimi iſti, ſordidi potius quaeſtus, quam Apollineae artis profeſſores! O ſapientiſſimi medici, o philoſophi lauro digni! Poenitet me quandoque vobiscum de aegrorum valetudine et cauſis morborum ſermonem habuiſſe etc.* Magno tamen ſapientum applauſu, et proceribus aſſentientibus, VIOLANTE medicinam in Hiſpania faciebat, cum acerbo

raptus

raptus fato Caeſar IOSEPHVS diem clauſit extremum, fraterque CAROLVS Rex, in Germania Imperator ſalutatus ad Imperii fines venire decreuit. Nouum Caeſarem ſecuti ſunt Hiſpani omnes ipſius partibus addicti, ita, ut Barcinona, quae prius populoſa urbs et florens erat, ictu fere oculi derelicta quaſi ac vidua facta fuerit. Diſceſſit et ipſe VIOLANTE, aulamque ſecutus Viennam, Imperii caput in Germania, per Liguſticum mare et per Italiam transeundo, peruenit. In nouam translatus urbem, ſed non inter nouos amicos felici auſpicio medicinam ſuam continuabat, cum peſtis Auſtriam et Pannoniam depopulari coepit, et de die in diem infauſtas vires adipiſci. Commotus VIOLANTE, non perterritus, publicae potius, quam propriae valetudini conſulens, aegros inuiſebat, morbumque mortiferum, quantum fieri poterat, vincere et imminuere ſtudebat. Quo de argumento doctiſſimam compoſuit diſſertationem, ROCCO STELLA, Duci Teleſio, inſcriptam, in qua mirum quantum philoſophiae, quantum medicinae inueniatur. Pauci numero ſunt ſcriptores, qui de grauiſſimo hoc morbo, Dei clementia, non adeo inter Europae fines frequenti, locuti ſint, quia ſapientes medici, vel aegrotorum numero ac contagio obruti, ante quam obſeruationes ſcribant, communi fato infeliciſſime pereunt; vel terrore perculſi, ab urbibus et pagis infectis ſe ſubtrahunt, ſicque praecepta poſteris non dant, niſi imperfecta: nihil enim niſi auditum prodere poſſunt. Hanc vero medici noſtri elucubrationem manu exaratam ſaepiſſime legi, ipſamque ad Te, LVDWIG celeberrime, ſtatim ac potero mittam, ut Tibi potius, quam mihi, in tanta re fidem adhibeas.

Peſte Deo iuuante finita, peculiares ac ingenioſiſſimas in pulmonis et tracheae arteriae morbis, nec non in variolis obſeruationes, inſtituere coepit, quarum primae indigeſtae adhuc et rudes inter ipſius

ſchedas

ſchedas inueniuntur, altera vero materiem praebuerunt aucto ipſius *de Variolis ac Morbillis* libro, quem ante aliquot annos, ut noſti, edidit *.

Peſte iterum anno MDCCXIX flagrauit Europa praecipueque Maſſilia, ad quam iratis numinibus ex oriente inquinata nauigia funeream hanc mercem portarunt, quod infortunium ad peſtem examinandam VIOLANTEM noſtrum reuocauit. Scripſerat enim tunc I. BARTOLOMEVS CORSE, mediolanenſis, de hoc morbo opuſculum, in quo de peſtiferis vermiculis differebat, qui ex Aegypto oriundi huc illuc translati peſtem, ut ipſe ſibi fingit, accendunt, ipſorumque naturam rationibus potius, quam experientiis, confirmare conabatur. VIOLANTE a nobiliſſimo quodam Caeſaris Aulico interrogatus, quid de hoc libello ſentiret, contra ipſum docte ſatis, eleganter, difuſeque opuſculum edidit, oſtenditque opinionem hanc non tantum antiquam eſſe, verum etiam vermiculos iſtos, cum incredibiles ſint, non rationibus, ſed experientiis probandos eſſe.

Quae cum ita eſſent, talis de ipſo per urbem creuit fama, ut rebus medicis occupatiſſimus parum temporis, quod ipſi ſupererat, ad ſomnum vix ſufficeret et ad vitam. Fratrem igitur nomine DOMINICVM vocauit, ut rei domeſticae curam habendo, ipſius ſcripta in meliorem poneret ordinem, tranſcriberetque. Erat DOMINICVS Iurisprudentiae addictus, optimarumque litterarum et artium plusquam imbutus, atque acerrimi et ipſe ingenii, ut opus de *Liberorum Inſtitutione* ad unicum filium PHILIPPVM poſtea inſcriptum teſtatur. Feliciſſima aegrorum nobiliſſimorum cura per multos annos detentus vitam maximo cum honore, et utilitate agebat, cum AMALIA, IOSEPHI Caeſaris Auguſta ad filiam Sarmatiae Reginam eum deſtinauit. Dignitatem hanc plusquam honorificis auctam conditionibus ſummo cum ſtupore

re

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 94.

re percepit VIOLANTE, modeſteque Auguſtae voluntati acquieuit.

Anno itaque MDCCXXXVII Vienna Dreſdam verſus, fratre comitante, diſceſſit, amicis omnibus lacrymas vix tenentibus, et illis praecipue, qui opem ipſius medicam tanto cum emolumento experti fuerant. Quot ad eum epiſtolas inter ipſius chartas inueni lamentationum plenas, praeclara probitatis, doctrinae, et amicitiae monumenta?

Apertis ulnis in Aula noſtra exceptus, cura ipſi Principis Saxoniae Haeredis demandata Regiae fiduciae aeque ac beneuolentiae fuit primum non ambiguum pignus.

Paulo poſt firmato inter CAROLVM Neapolitanorum Regem, et AMALIAM Regis noſtri filiam matrimonio, iter regio ſplendore ſponſae et FRIDERICI fratris Neapolim verſus inſtitutum eſt, non ſolum ut Reginam honoris gratia frater proſequeretur, ſed etiam ut balnea ſalutaria ad Baias, et ad Aenariam inſulam intraret. VIOLANTI ſoli inter medicos comitanti medica haec ſparta omnium conſenſu impoſita fuit, quaque diligentia, ac ſtudio grauiſſimum munus impleuerit, Germania, imo Europa non ignorat. Ad patriam ergo XXX circiter poſt annos honoribus, et noua dignitate decoratus reuiſendam perrexit, ibique amicos tam longae abſentiae ſuperſtites viſitauit. Caueas tamen, ne ipſum in patria otioſum vixiſſe exiſtimes, ut multi poſt tot exantlatos labores ſibi absque piaculo conceſſum credidiſſent. Innumerabiles ad amicos exarauit epiſtolas phyſicis refertas obſeruationibus, omnesque ſalutares latices, quibus regnum illud ab antiquo clarum, et celebre fuit, docte aeque ac curioſe luſtrauit. Huic adde, quod Regina, et FRIDERICVS Princeps, nouitate italici coeli fortaſſe affecti, grauiter Neapoli aegrotarunt, quod Tibi, LVDWIG ornatiſſime, qui Medicus es, ſatis erit, ut coniectura aſſequaris, quot labores, quot vigilias,

vigilias, quot aeſtus in tanto periculo paſſus fuerit.

Anno tandem MDCCXL in Saxoniam ſuam, tota peragrata Italia, rediit FRIDERICVS Princeps, et ſecum VIOLANTE, qui, tametſi itinere, aetate, laboribusque feſſus, totus artis ſuae occupationibus, et praxi ſe dicauit. Iliadem conderem, ſi ipſius geſta medica, quae egomet ultimis vitae ſuae annis vidi, narrare vellem. Loquantur pro me aegroti ſexcenti ab ipſo e mortis faucibus erepti, ac ſanitati reſtituti, loquatur aula, loquatur urbs. Duas tantum hiſtorias, LVDWIG ornatiſſime, tibi commemorabo, ut cognoſcant medici, non ſemper deploratos morbos eſſe incurabiles, fallaxque eſſe quandoque illud CICERONIS adagium, *deſperatis vetat* HIPPOCRATES *adhibere medicinam*; Curauit igitur ſine ferro, me ſpectante, in inferiore labro virginis cuiusdam aulicae, a medicis omnibus deſertae, ulceroſum cancrum, concreta humorum illuuie ac foetore teterrimum. Centenis medicaminibus interne hercle, ac externe eſt uſus, uſque dum poſt multos menſes integre illa conualuit, cicatrixque remanens perpetuum erit doctrinae ſuae, ut et patientiae teſtimonium.

Salem lithontripticum inuenit in arte noſtra fruſtra fortaſſe undecunque quaeſitum, de quo plura tibi dicere vellem, niſi dubitationes aliquot forſitan futiles me adhuc detinuiſſent. Attamen ſpero ulterioribus obſeruationibus me dubitationes omnes eſſe diſſipaturum. Interea tanquam indubitabile accipe, multos calculo laborantes poſt pharmaci huius uſum ſe melius habere, multasque, vel ſolito copioſiores arenulas et inaequales confracti calculi ſquamas eiicere.

Princeps noſter Regiaque eius Vxor, ANTONIA, variolas nondum paſſi ſunt. Hoc VIOLANTEM determinauit, ut quas feliciſſima praxi in Italia, Hiſpania, Germaniaque fecerat, obſeruationes de hoc morbi

morbi genere colligeret, publicique iuris faceret, ut, ſi poſt ipſius obitum Principes odioſo hoc malo tentarentur, neque mortuus, quemadmodum ipſe inquiebat, officio erga ipſos deeſſet ſuo. Verum optamus omnes, votaque facimus, ut opus hoc ceterum humano generi utiliſſimum ipſis nullius ſit uſus, nobisque concedat Deus, ut, qui ceteros homines clementia ac liberalitate ſuperant, incolumitate etiam, et beatiſſima vincant ſenectute.

Vtinam hoc etiam conceſſiſſet VIOLANTI, qui poſtremis vitae ſuae annis infirmitatibus conflictatus finem ſibi impendentem cognouit. Totus igitur ad coeleſtia conuerſus dies quandoque integros in priuato, quod domi ſacrauerat, Sacello exigebat, et ſi qua ipſi aſſiduae praeces momenta reliquiſſent, ea vel amicorum colloquio, vel librorum lectione, vel agricultura, quam in ſuburbana villa quandoque exercebat, iucundiſſime trahebat.

IX. Kalendas Martias cohorruit ſubito, et latus maxima cum febri doluit. Amicos vocauit, parentes neceſſarios, teſtamentum fecit, in quo fratris filium, quem unicum habebat, ex aſſe haeredem inſtituit, et tandem quarto poſt horrorem die inter amicorum lachrymas, et parentum eiulatus conſumtus eſt, imo nobis fere repente ereptus. Pauperes multi, quos ſecrete alebat, inter planctus, et gemitus ipſius funus ut filii parentem optimum proſecuti ſunt. Nullus, ut de AGRICOLA dixit TACITVS, *audita ipſius morte aut laetatus eſt, aut ſtatim oblitus.* Vixit αγαμος, et ſine liberis. Sepulcrum ipſius honeſtabit Epitaphium ab amico dicatum:

Heu probitas, miſeratio, et ars arcana medendi,
Hac VIOLANTE iacent, qua tumularis, humo.

Opes non reliquit, neque paupertatem. Sal Lithontripticus, ut et alia remedia ab ipſo excogitata innumeriſque experimentis confirmata in publica aulae officina medicamentaria ad populi commodum

proſtant, hocque Regis noſtri iuſſu, qui Caeſarea liberalitate haeredes compenſauit.

Praeter libros in hac epiſtola a me indicatos, alios etiam compoſuit, quos ipſemet neglexit, vel incompletos conſeruauit. Erat enim parcus ſcriptorum ſuorum aeſtimator, ut alienorum laudator aequiſſimus. En ipſorum catalogus:

Bibliotheca medica. Eſt aliquot librorum medicorum analyſis ad inſtar PHOTII Bibliothecae, in qua ſcriptores, ipſo iudice, doctiores examinat, ac in compendium redigit, opus non inutile, et ingenioſiſſimis animaduerſionibus ſcatens.

In HIPPOCRATIS *de veteri medicina librum ſcholia.* Interpretationem continent huius Hippocratici operis laborioſam, ſolertiſſimamque, atque optandum, ut completam reliquiſſet.

Specimina medica tria. Primum *de variolis*, quo uſus eſt ad opus de variolis ac morbillis conſcribendum. *De febribus periodicis* ſecundum, in quo totam febrium periodicarum rationem et phaenomena iuxta antiquorum, recentiorumque philoſophorum, et praecipue BELLINII placita doctiſſime expendit, et explicat. *De doloribus recurrentibus* eſt tertium ſpecimen, quod vix eſt inceptum.

Epiſtolae medicae quamplures conſultationes, vel reſponſa continent ad primarios celebrioresque Europae medicos conſcripta.

En, LVDWIG doctiſſime, quae inter animi grauiſſimum moerorem, aulae ſtrepitum, raptim ad te ſcribere de optimo, de amiciſſimo VIOLANTE potui, cuius memoriam pie inuiolateque aeternum ſeruabo. Luge igitur mecum honeſtiſſimi et incomparabilis viri iacturam: quis enim bonus VIOLANTIS mortem non luget? Vale, meque, ut ſoles, amare perge.

XXII.

XXII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Academiae ſacri Romani Imperii Leopoldino Carolinae Naturae Curioſorum Hiſtoria conſcripta ab eiusdem Praeſide, ANDREA ELIA BÜCHNERO. Halae Magdeburgicae, 4. c. f.

Eiusd. Syllabus materiae medicae ſelectioris cum deſignatione ponderis, quo ſimplicia et compoſita in omnis generis formulis praeſcribuntur, itemque doſeos, in qua ſolitarie interdum exhibentur. ibid. 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens phoſphori urinae analyſin et uſum medicum; Reſp. *Chriſtian Wilh. Pentzky*. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de medicamentorum mercurialium uſu in cancro; Reſp. *Carol. Cleſſ.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de mutatione ſenſationum in morbis; Reſp. *Samuel Chriſtian Reinhold.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſertatio inaug. de rariſſimis et grauiſſimis tympanitis extra inteſtina ſpeciebus; Reſp. *Georg. Guiliel. Adolphi.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de aeris renouatione ad praecauendos curandosque morbos efficaci; Reſp. *Iac. Carol. Pelloutier.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de varia manuum geſticulatione in morbis ominoſa; Reſp. *Ludov. Godofr. Emminghaus.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſert. inaug. de notis haemorrhagias praeſagientibus; Reſp. *Io. Conr. Lütgert.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de gradibus malignitatis in morbis malignis; Reſp. *Chriſtian Gottlieb Rudolph.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de differentia ſenſationis et irritationis; Reſp. *Carol. Guil. Schultz.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de cauſis pulſus intermittentis; Reſp. *Abrah. Theophil. Tralles.* ib. 4.

ANDREAS ELIAS BÜCHNER, Diſſ. inaug. de fronte morborum interprete; Reſp. *Ioach. Ludov. Willmans.* Halae Magdeburgicae. 4.

IO. HENRIC. BÜTTNER, Diſſ. inaug. de qualitatibus corporis humani hereditariis. Gottingae, 4.

A ſafe eaſy and expeditious method of procuring any quantity of freſh water at ſea; by a menſtruum entirely innocent and inoffenſive; highly beneficial and earneſtly recommended to all ſea-faring perſons: calculated to alleviate thoſe hardships and miſeries, to which a ſcarcity of fresh waters reduces them. Together with an appendix containing an eaſy method of preſerving fresh water entirely pure, ſweet and wholeſome, during the longeſt voyages and in the warmeſt climates. By THOMAS BVTLER. London, 8.

Diſſertation ſur l'inoculation, pour ſervir le Reponſe à celle de M. de la CONDAMINE ſur le même ſujet; par M. CANTWEL. à Paris, 12.

IO. FRID. CARTHEVSER, Diſſ. inaug. de Cardamindo; Reſp. *Gottlieb Klopſch.* Francof. ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. exhibens non nulla de horripilatione idiopathica; Reſp. *Stanisl. Koſtka Wiener.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. exhibens non nulla de ſcorbuto; Reſp. *Samuel Beniamin Scholtz.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de praecipuis balſamis natiuis; Reſp. *Dauid Gottlob Zebuhle.* ib. 4.

Eiusd, Diſſ. inaug. de lumbagine rheumatica; Reſp. *Carol. Ioan. Stock.* ibid. 4.

Matiere medicale traduite du latin de M. I. FR. CARTHEVSER, augmentée d'une table raiſonnée et d'une Introduction à la Matiére médicinale. 4 Voll. à Paris, 12.

FRIDR. AVGVSTI CARTHEVSER, Elementa mineralogiae ſyſtematice diſpoſita. Francofurti ad Viadr. 8.

Eiusd. Rudimenta oryctographiae Viadrino-Francofurtanae. ibid. 8.

Piſcium, Serpentum, inſectorum aliorumque non nullorum animalium, nec non plantarum quarundam imagines, quas MARCVS CATESBY in poſteriore parte operis, quo Carolinae Floridae et Bahamenſium inſularum tradidit hiſtoriam naturalem, deſcripſit. MARCVS CATESBY, *Abbildung verſchiedener Fiſche, Schlangen, Inſecten* etc. *bis 46tes Blat illuminirt. Nürnberg,* fol. reg.

L'art de conſerver la ſanté des perſonnes valetudinaires et de leur prolonger la vie, traduit du latin de Mr. CHEYNE; avec des remarques interreſſantes et un abrégé des proprietés des alimens rangés ſuivant l'ordre alphabétique. à Paris, 12.

GEORG. CHRIST. MATERN. DE CILANO, Diſſertatio phyſica, de cauſis grandinum nocturnis horis decidentium; Reſp. *Io. Henr. Ludov. Bruning.* Altenauiae, 4.

FRANC. FELIC. COCHV, Quaeſt. med. An ſimplici parcoque victu corpus ſanum et animus expeditus? Reſp. *Guido Danié Deſpatureaux.* Paris, 4.

Traité des Animaux, où après avoir fait des obſervations critiques ſur le ſentiment de DESCARTES et ſur celui de Mr. BVFFON, on entreprend d'expliquer leurs principales facultés, Par Mr. l'Abbé DE CONDILLAS. On a joint à cet Ouvrage un Extrait raiſonné du Traité des Senſations. à Paris, 12.

LVDWIG CORNARO, *Vorſtellung von dem Nutzen eines nüchternen und mäßigen Lebens, aufs neue herausgegeben von* CHRIST. GOTTH. SCHWENKEN, *Dreſden und Leipzig.* 8.

GEORG. DAN. COSCHWITZ, Manuductio ad Chirurgiam rationalem. Brunſvigae, 4.

Elémens de Docimaſtique, ou l'Art des Eſſais, diviſés en deux Parties; la premiére théorique et la ſeconde pratique: traduit du Latin de Mr. CRAMER; quatre Volumes. à Paris, 12. c.f.

Diſcuſſioni anatomico-pratiche di un raro morbo cutaneo in una giovane Donna felicemente curata in queſto grande oſpedale degli incurabili indiriſſate al S. Abate NOLLET, da CARLO CVRZIO. Napoli, 8.

Diſſertation anatomique et pratique ſur une maladie de la peau, d'une eſpéce fort rare et fort ſinguliere, adreſſée, en forme de lettre, à M. l'Abbé NOLLET, par Mr. CVRZIO; traduite de l'Italien par Mr. P.**. à Paris, 12.

Beyträge zur mediciniſchen Gelehrſamkeit, in welchen theils allerhand auserleſene und nützliche Materien aus der Artzney-Wiſſenſchaft abgehandelt, theils auch viele merkwürdige Caſus vorgetragen, und mit nöthigen Anmerkungen erläutert werden von Dr. CHRISTIAN FRIEDRICH DANIEL. *Dritter Theil. Halle*, 4.

CLAVD. CAROL. DEIEAN, Quaeſt. med. An prolem lactare matribus ſaluberrimum? Reſp. *Io. Bapt. Franc. Delariviere.* Pariſiis, 4. mai.

Regles et Obſervations très importantes pour les Perſonnes attaquées de hernies; auxquelles on a joint une petite diſſertation ſur l'uſage des bottines pour les enfans. Par Mr. DEIEAN. à Paris, 8.

HENR. FRID. DELII Diſſ. de diſcuſſione et medicamentis diſcutientibus in genere; Reſp. *Martin Marikowsky.* Erlangae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Cicatrix et callus, idea nutritionis; Reſp. *Io. Georg. Laurent. Anton. Rudelgaſt.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. hydrops aſcites paracenteſi in primis feliciter curatus; Reſp. *Wilh. Frid. Boenneken;* ib. 4.

IOHANN HEINRICH DENFERS, *genannt* IANSEN, *Vernunft-und Erfahrungsmäßiger Diſcours, darinnen überhaupt die wahren Urſachen der Fruchtbarkeit, wie auch die Scheinurſachen der Unfruchtbarkeit der Erde abgehandelt ſind, um die gute Sache des göttlichen Seegens wider die Ankläger derſelben zu vertheidigen, herausgegeben von* DANIEL GOTTFRIED SCHREBERN. *Halle*, 8. mai.

IOHANN DANIEL DENSO, *phyſicaliſche Bibliothek. 3tes und 4tes Stück. Roſtock*, 8.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Diſſ. de corpore humano ſemper mutabili; Reſp. *Gottlieb Curtius*. Roſtochii, 4.

Eiusd. Diſſ. hiſtoriam morborum conſcribendi fidam et arcanam methodum exhibens; Reſp. *Philipp. Samuel. Horn*. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de febribus vulnerariis; Reſp. *Conrad. Chriſtoph. Endter*. ib. 4.

IVST. CHRIST. DITHMARS *Einleitung in die oeconomiſchen, Policey-und Cameral-Wiſſenſchaften; mit Anmerkungen herausgegeben von* D. D. G. SCHREBERN. *5te Auflage. Frankfurth*, 8.

A Summary hiſtorical and political of the firſt planting, progreſſive improvements and preſent ſtate of the British ſettlements in North-America by WILLIAM DOVGLAS. 2 Voll. London, 8. (*Multa continet hic liber hiſtoriam illarum prouinciarum naturalem ſpectantia*).

A Treatiſe on the Hydrocele. By IOHN DOVGLAS. ibid. 8.

Eſſai ſur la generation de la chaleur dans les animaux, traduit de l'Anglois de ROBERT DOVGLAS. à Paris, 12.

GASPARD COCHON DVPVY, Quaeſt. med. An diuerſis temperamentis diuerſus rerum non naturalium uſus; Reſp. *Cleriad Vachier*. Pariſiis, 4. mai.

IOH. PET. EBERHARD, *Sammlung der ausgemachten Wahrheiten in der Naturlehre. Halle*, 8.

IOH. THEODOR. ELLER, *Abhandlung, daſs der Gebrauch der kupffernen Gefäſsé ganz und gar nicht ſchädlich ſey. Berlin*, 8.

An Eſſay towards a natural hiſtory of the Corallines and other marine productions of the like kind commonly found on the coaſts of Great-Britain and Ireland, to which is added the deſcription of a large marine Polype taken near the North-Pole, by the whale-fishers in the ſummer 1753. By JOHN ELLIS. London, 4. mai. c. f.

Dictionnaire hiſtorique de la Médecine, contenant ſon origine, ſes progrés, ſes révolutions, ſes ſectes, et ſon état chez differens peuples, etc. l'hiſtoire des plus célébres médecins, philoſophes ou perſonnes Sçavantes de toutes Nations qui ont concouru à ſon avancement; etc. avec l' expoſition de leurs ſentimens et de leurs découvertes, et le catalogue de leurs principaux ouvrages. Par Mr. ELOY, Tome I et II, à Liége, 8.

DOROTHEEN CHRISTIANIN ERXLEBIN *academiſche Abhandlung von der gar zu geſchwinden, und angenehmen, aber deswegen öfters unſichern Heilung der Krankheiten, mit einem Anhange einiger Beylagen, welche ſich auf die Promotion der Frau Verfaſſerin beziehen. Halle*, 8.

C. E. ESCHENBACH, obſeruatorum rariorum continuatio. Roſtochii, 4. c. f.

A Treatiſe of the Cauſes and Symptoms of the Stone and of the chief remedies now in uſe to cure it. Containing an hiſtory of Mrs. STEPHENS's medicines and her receipt. Obſervations upon them. Anſwers to the objections made againſt; and cautions to thoſe who uſe them. An examination of limewater and ſoap and caſes concerning them. Of. Dr. IVRIN's lithontripticum or ſoap-lye and remarks

remarks relating thereunto. Of ſoap, of liquid-ſhell and other noſtrums. Of forcing and ſoftening medicines. Caſes of perſons who have taken Mrs. STEPHENS's medicines in a ſolid form, with the ſequel of a few printed before. By D. D'ESCHERNY, brother-inlaw to Mrs. STEPHENS's London, 8.

GOTTLOB BENIAMIN FABER, Diſſ. Vlterior expoſitio nouae methodi Kempfianae curandi morbos chronicos inueteratos, praecipue malum hypochondriacum; Reſp. *Auguſt. Theodor Brotbeck.* Tubingae, 4.

IO. FRIDERIC. FASEL, Diſſ. ſiſtens reſolutionem problematis: num foetus in utero materno tranſpiret? Reſp. *Ierem. Daniel Brebiz.* Ienae, 4.

IAC. FERD. FELBERS *immerwährender Hauß - und Landwirthſchafts - Calender. Nürnberg*, 4.

THEODOR. FORBES, Diſſ. de tuſſi conuulſiua. Edimburgi,

Obſervations and Diſcoveries made upon Horſes with a new method of ſchoeing. By M. LA FOSSE. London, 8. c. f.

THOMAS FREWEN, Diſſ. inaug. de inſitione variolarum. Traiecti ad Rhen. 4. mai.

HERMANN FÜRSTENAV, Diſſ. inaug. de febribus; Reſp. *Io. Otto Kleine.* Rintelii, 4.

Chymia hydraulica, *oder Handgriffe das weſentliche Saltz aus Vegetabilien, Animalien und Mineralien mit ſchlechtem Waſſer auszuziehen, aus dem Franzöſiſchen des Grafen* VON GARAYE *überſetzt. Zweyte verbeſſerte Auflage. Frankfurth*, 8.

IOHANN GEDDE, Apiarium Anglicum, *oder der vollkommene Bienen - Meiſter, welcher die ganze Kunſt und Geheimniß der Bienen - Pflege vor Augen legt; aus dem Engliſchen überſetzt. Fünfte Auflage. Leipzig*, 8.

C. E. GELLERT, *Anfangsgründe zur Probier-Kunſt, als der zweyte Theil der practiſchen metallurgiſchen Chymie, worinnen verſchiedene neue Arten, zuverläſſig zu probiren, gezeiget werden. Leipzig,* 8. *m. K.*

AVG. HENR. GERNHARD, Diſſ. inaug. de ſpaſmo ab inanitione. Lipſiae, 4.

IO. GESNER, theſes phyſicae miſcellaneae ſpeciatim de thermoſcopio botanico; Reſp. *Conrad Myllerus* et *Beatus Faeſius*. Tiguri, 4.

NICOL. GEORG GERE, *monathliche Beluſtigungen im Reiche der Natur, der hartſchaalichten Thiere, Gehäuſe und Seegewächſe, Deutſch und Franzöſiſch, bis 24 Blat; illuminirt. Hamburg,* 4.

GIBSON's ſhort practical Method of Cure for Horſes extracted from his new treatiſe on their diſeaſes and fitted for the pocket. By his ſon, WILLIAM GIBSON. Lond. 8.

Opere poſtume del Conte GIVSEPPE GINANNI Ravennate, Tomo primo, nel quale ſi contengono Cento quatordici Piante che vegetano nel Mare Adriatico da Lui oſſervate et deſcritte. In Venezia, Fol. c. f.

PHILIPP. FRID. GMELIN, Diſſ. botanicam et chemiam ad medicam applicatam praxin per illuſtria quaedam exempla exponens; Reſp. *Chriſtian. Ludov. Bilfinger.* Tubingae, 4.

La Phyſique de l'ame humaine par M. GODART. à Berlin, 8.

IOHANN DANIEL GOHL, Compendium, *oder kurtze Anleitung zur* praxi clinica. *Fünfte Auflage, vermehrt und herausgegeben von* AUGUST SCHAARSCHMID. *Berlin,* 8. mai.

IO. DE GORTER, praxis medicae ſyſtema. Lipſiae, 4to.

IOH. CHR. GOTTSCHED, *hiſtoriſche Lobſchrift des Hrn.* CHRISTIANS *Freyherrn* VON WOLFF. *Halle,* 4. mai.

Ten-

Tentaminis de colica pictonum appendix, decadem obſervationum ſiſtens, Auctore IOANNE GRASHVIS. Amſtelodami, 8. mai.

Eiusd. *Abhandlung von der Bereitung des Eiters, welche von der Königl. Academie der Chirurgie zu Paris den Preis, ſo auf das Jahr 1746 vorgeſtellet, erhalten; aus dem Lateiniſchen überſetzet von* P. S. L. *Danzig*, 8.

I. D. H. Noua pathologiae delineatio. Roſtochii, 8.

I. D. HAGEDORNS *Landwirthſchaftlicher Haushalter, welcher zu der Landwirthſchaft gegründete Nachricht ertheilet. Berlin*, 8.

DAV. HAHN, Diſſ. de potentiis oblique agentibus; Reſp. *Dan. Wil. Nebel.* Traiecti ad Rhen. 4. mai.

Diſputationes chirurgicae ſelectae, quas collegit, edidit, praefatus eſt ALB. HALLERVS. Tom. I. II. III et IV. Lauſannae, 4. mai. c. f.

ALBERT. HALLER, Diſſertation on the ſenſible and irritable parts of animals. London, 8.

Eiusd. Diſſertation ſur les parties irritables et ſenſibles des animaux; traduit du Latin par M. TISSOT; à Lauſanne, 8. mai.

Eiusd. Opuſcula pathologica, partim recuſa, partim inedita, quibus ſectiones cadauerum morboſorum potiſſimum continentur; accedunt experimenta de Reſpiratione, quarta parte aucta. Lauſannae, 8. mai. c. f.

GEORG. ERH. HAMBERGER, Diſſ. inaug. de aeris in corpore humano haerentis elaſtici effectibus tam naturalibus, quam praeternaturalibus; Reſp. *Matth. Chriſtian Knutzen.* Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de apoplexia; Reſp. *Chriſtian Gottfried Lange.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de atonia; Reſp. *Io. Dan. Chriſtoph. Purckhauer.* ib. 4.

Eiusd. Progr. nonum et decimum de peruerſa valetudinis cura. ib. 4.

Traité

Traité de la Culture des Terres; par M. DV HAMEL DV MONCEAV; Tome quatriéme contenant les expériences et des réflexions ſur la culture des terres faites pendant l'année 1754; à Paris, 12. c. f.

Eiusd. Traité des Arbres et Arbuſtes qui ſe cultivent en France en pleine Terre; 2 Voll. à Paris, 4. c. f.

Eiusd. *Abhandlung von der Erhaltung des Getraides, und beſonders des Weitzens. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* IOH. DANIEL TITIVS. *Leipzig,* 8. *m. K.*

MICH. CRIST. HANOV, *Seltenheiten der Natur und Oeconomie, nebſt deren kurzen Beſchreibung und Erörterung, aus den Danziger Erfahrungen ausgezogen und herausgegeben von* IOH. DANIEL TITIVS. *Dritter Band. Leipzig,* 8. mai. *m. K.*

GVSTAV. CHRISTIAN HANDTWIG, de ſalubri ſub ſomno ſitu, diſſertationum de dormientibus tertia; Reſp. *Chriſtian. Ludov. Ioan. Behm.* Roſtochii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ecſtaſi; Reſp. *Otto. Henr. Vahlkampf.* ib. 4.

IOH. ANDR. HARNISCH, *Gedanken, wie Hebammen ihre Pflicht in Acht nehmen, ingleichen wie Schwangere, Kreiſende und Wöchnerinnen ſelbſt bey ihrem Zuſtande ſich verhalten ſollen. Leipzig,* 8.

Explication phyſique des Sens, des Idées et des Mouvemens tant volontaires, qu'involontaires: traduite de l'Anglois de M. HARTLEY, par M. l'Abbé IVRAIN; 2 Voll. à Reims, 12.

IOH. GE. HASENEST, *mediciniſcher Richter, oder* Acta phyſico - medico - forenſia Collegii medici Onoldini *von* 1735 *bis auf dermahlige Zeiten zuſammen getragen mit Anmerkungen. Onoltzbach,* 4.

IAC. ALB. HAZON, Quaeſt. med. An diaeta omnibus neceſſaria, magis vero Lutetiae Pariſiorum inco-

incolis? Reſp. *Petr. Ioſeph. Moriſot des Landes.* Paris, 4. mai.

IO. ERNEST. HEBENSTREIT, Progr. Ordo morborum cauſalis. Specimen tertium de charactere ad genera morborum conſtituenda optimo. Lipſiae, 4.

IO. HEDWIG, Epiſtola de praecipitantiae in addiſcenda medicina noxis. Lipſiae, 4.

Medical, chirurgical and anatomical caſes and obſervations by LAVRENCE HEISTER; with copper plates illuſtrating the deſcriptions in the reſpective caſes; translated from the German Original by M. WIRGMAN. Lond. 4. c. f.

LAVR. HEISTER, Diſſ. inaug. de brachii ingenti inflammatione, gangraena et ſphacelo, feliciter curatis; Reſp. *Frid. Wilhelm. Krauſe.* Helmſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. exhibens cauſas, cur febris petechialis incolas regionis *Hadelenſis* ſaepius, quam *Wurſatenſis*, inuadat? Reſp. *Bernhard. Hoepcke.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens theoriam atque therapiam moleſti febrium eſſentialium ſymptomatis, cuius ſignum eſt anxietas; Reſp. *Iac. Frid. Io. Müller.* ib. 4.

IOHANN FRIEDRICH HENCKELS *kleine mineralogiſche und chymiſche Schriften; nebſt einer Vorrede von den Bergwerks-Wiſſenſchaften zur Vermehrung der Kameral-Nutzungen, und mit Anmerkungen von* CARL FRIED. ZIMMERMANN; *zwote Auflage. Dresden und Leipzig,* 8. mai.

Eiusd. Flora ſaturnizans, *die Verwandſchaft des Pflanzen mit dem Mineral-Reiche, nach der Natural-Hiſtorie und Chymie, aus vielen Anmerkungen und Proben, nebſt Anhang von* Kali geniculato germanorum, *oder gegliederten Saltzkraut, inſonderheit von einer hieraus neu erfundenen, dem allerſchönſten Ultrama-*

rin gleichenden blauen Farbe. Neue verbeſſerte Auflage. Leipzig, 8. mai. *m. K.*

GEORGE HEYMANNS *Phyſiologie, vierter und letzter Theil, welcher die Lehre von der Ernährung, Abſonderung des Urins, Erzeugung und Geburt des Menſchen, Veränderung deſſelben bey ſeinem Anwachs und dem natürlichen Tode enthält. Coppenhagen und Leipzig,* 8.

IO. GOTTLOB HEYNE, de medicis heroibus atque heroibus medicis, Epiſtola. Vitembergae, 4.

A practical Eſſay on the cure of venereal, ſcorbutic, arthritic, leprous, ſcrophulous and cancerous Diſorders; in a Method entirely new. By IOSEPH HIGGS. London, 4 mai.

CAROL. FRID. HILLE, Diſſ. inaug. de actione plantarum in partes ſolidas corporis humani. Gottingae, 4.

A Treatiſe of Fruit-Trees. By THOMAS HITT. London, 8.

FRID. HOFFMANN, Diſſ. continens Obſeruationes medico-forenſes ſelectas de laeſionibus externis, abortiuis, venenis et philtris; Reſp. *Gebhard. Iacob. Schirmer.* Francofurti et Lipſiae, 4. (*Editio altera.*)

Conſultations de Médecine par FREDERIC. HOFFMANN; Vol. V. VI. VII et VIII. à Paris, 12.

GOTTFRIED AVG. HOFFMANNS *Klugheit Hauszuhalten,* 5*tes Buch, darinnen die wirthſchaftlichen Objecte alſo vorgetragen werden, daß ſie ein ieder aus dem Buche muß verſtehen könnnen. Dreßden,* 8.

Kurze Nachricht von der Beſchaffenheit und Wirkung der paraboliſchen Brennſpiegel, ſo von Herrn PETER HOESEN, *Mechanico und Königl. Hof-Tiſchler zu Dreſsden, verfertiget werden, abgefaſſet von* I. P. HOESEN, *Dreſsden,* 4.

IOH. IACOB. HVBER, Progr. continens obſeruationes nonnullas circa morbos nuperorum heic aliquot annorum epidemicos per reciprocum aeris

aeris humani et atmoſphaerici commercium illuſtratos, Caſſellis, 4.

IO. HVMMELII Opuſcula medico - chymica, Francofurti, 8.

CAROL. FRID. HVNDERTMARCK, Diſſ. inaug. de enemate vterino. Reſp. *Io. Godofr. Neuhoff;* Lipſiae, 4.

IOHANN HVXHAM, *theoretiſche und praktiſche Abhandlung aller Arten von Fiebern, aus dem Engliſchen überſetzt, Augſpurg, 8.*

CHRISTIAN FRID. IAMPERT, Diſſ. ſiſtens vitia partium genitalium ſexus potioris impotentiam coniugalem inducentia, cum cauſſis et modo fiendi, Reſp. *Matthaeus Knecht, Halae, 4.*

Eiusd. Diſſ. Foetum effectu reſpirationis non carere. Reſp. *Balth. Sigism. Schoenau,* ibid. 4.

Eiusd. ſpecimen phyſiologiae plantarum I. quo dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem proponuntur, ibid. 4.

IO. BALTHASAR IANTKE, Diſſ. inaug. de praematuro aquarum parturitionis ex utero grauido effluxu. Altdorffii, 4.

An hiſtorical Account of the ſeveral Plagues that have appeared in the world ſince the year 1346. With an enquiry into the preſent prevailing opinion, that the plague is a contagious diſtemper, capable of being tranſported in merchandize from one country to another. In which the abſurdity of ſuch notions is expoſed, and the arguments that have been made uſe of to ſupport them refuted. To which are added a particular account of the yellow fever ſchewing its periodical appearance to be ſimilar to the plague. Alſo obſervations on Dr. MACKENZIE's letters read before the royal ſociety on this ſubiect. And an abſtract of Capt. ISAAC CLEMENS's voyage in the Sloop Fawey, from their arrival in the mould of Algiers. By DALE INGRAM, London, 8.

Reliqua proxime.

Contenta in hac Parte.

1. Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1754. Vol. XV. p. 385.
2. TREW Plantae ſelectae. Dec. V. p. 412.
3. BVRSERII Ep. de anthelmintica argenti viui facultate p. 416.
4. DE BERGEN Diſſ. ſiſtens anatomiam experimentalem p. 419.
5. BROOKES General Diſpenſatory p. 423.
6. GRONOVII Muſeum ichthyologicum p. 428.
7. TITII Parus minimus Polonorum Remiz p. 433.
8. Continuatio epitomes quarundam obſeruationum phyſico-medicarum in promptuario viris ingenuis dicato *Gentleman's Magazin* reperiundarum p. 439.
9. PVGH Treatiſe of Midwifery p. 453.
10. RVSSEL Oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum p. 463.
11. *Fraenckiſche Sammlungen und Anmerkungen aus der Naturlehre etc.* p. 478.
12. HVBER Obſeruationes non nullae circa morbos epidemicos p. 484.
13. SIGWART Tripes heitersbacenſis. Diſſ. I et II. p. 488.
14. VON IVSTI *Neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde* etc. p. 490.
15. RÜDIGERS *ſyſtematiſche Anleitung zur Chymie* etc. p. 496.
16. ELLIS Eſſay towards a natural Hiſtory of the Corallines etc. p. 514.
17. DELII Cicatrix et Callus, idea nutritionis p. 530.
18. SCHAEFFERS *Afterholz-Bock* p. 534.
19. EIVSDEM *Blumen-Polypen der ſüſſen Waſſer* p. 536.
20. SPRINGSFELD de praerogatiua thermarum carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae p. 539.
21. Noua phyſico-medica p. 543.
22. Continuatio Indicis ſcriptorum medico-phyſicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 516.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS V. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Philoſophical tranſactions giving ſome account of the preſent Vndertakings, ſtudies and Labours of the ingenious, in many conſiderable Parts of the World. Vol. XLVIII. Part. II. For the Year 1754. London. Printed for C. Davis. 1755. 4. 2 Alph. 21 pl. tab. aen. XXII *.

i. e.

Transactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſimae ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. XLVIII. Pars II.

Obſeruationum, in hac parte numeroſarum, ſequens eſt ratio:

58) *Diſſertatio de praeceſſione aequinoctiorum et generatim de motu nodorum et variatione inclinationis orbitarum planetarum ad eclipticam*, *Regiae ſocietati dicata* a Cl. DE ST. IAQVES SILVABELLE. p. 385.

* Paginarum aeque ac tabularum aenearum numerus cum primo tomo continuat, ita ut prior a p. 385-882 poſterior ad no. XXXIV. progrediatur. Eadem norma in obſeruationibus ſeruata eſt.

p. 441. 59) *Litterae ad Ill.* GEORG. DE MACCLESFIELD, *datae de aetate* HOMERI atque HESIODI. Per Cl. GEORGE COSTARD, M. A.

p. 484. 60) *Noua animaduerſio in illam* Cl. WILLIAM WATSON, *Reg. Soc. Membr. exhibita in eius relatione de epiſtola* Cl. NOLLET, *de electricitate* Auctore Cl. THOMAS BIRCH; Cl. WATSONVS electricas flammas ut meteorum a PLVTARCHO aliisque veteribus auctoribus adnotatas fuiſſe docuerat, his addit Cl. BIRCH, eodem modo a MORYSONO in Itinerar. P. II. Libr. II. p. 176. Lond. 1617. fol. edito referri, anno praeterlapſi ſeculi primo equitum lances, nocturno tempore, tonitruante coelo, viſas fuiſſe ardere.

p. 486. 61) *Epitome epiſtolae* a Cl. IOSEPH. SPENCE, *Prof. Hiſtor. Vniuerſitatis Oxonienſ. ad Cl.* MEAD *datae*, qua de nouis, in Herculano detectis, rebus breuiter exponit.

p. 487. 62) *Epiſtola ad Ill.* GEORGIVM *Comit.* DE MACCLESFIELD, *de valore praeſenti annuorum redituum ad dies vitae et de inueniendo quantum vero ſimile ſit, ut quis aliis ſuperuiuat.* Auctore Cl. IAC. DODSON.

p. 499. 63) *Litterae ad* Cl. PETR. COLLINSON *datae per Cl.* GEORG EDWARD *de Phaſiano Penſyluaniae et Oti minore.* Vtriusque auis elegantes icones Tab. XV et XVI proponuntur. Prior phaſiani vulgaris magnitudine, fuſci coloris in capite et lateribus, pennis diſcrepat, alba eſt circa pectus et abdomen, in dorſo variegatis coloribus ludit. Adducit autem Cl. Auctor relationes de hac aui varias ex litteris IO. BARTRAMI, BROOKE, Chirurgi Marylandici, LAHONTANI in Itinerario Americae ſeptentrionalis,

lis, quae viuendi mores, ouulorum numerum eaque excludendi methodum referunt. *Otis minor* in Anglia ante hos tres annos capta, veteribus incognita viſa eſt Cl. Auctori, breuiſſima deſcriptio icone illuſtratur.

64) *Litterae* Cl. IO. ELLIS ad Cl. PETR. COLLINSON *de ſingulari corallinae ſpecie**. Qui iam in primo harum tranſactionum tomo ** corallinas diſquiſiuit, Cl. Auctor, aliam nunc addit ſpeciem ex tubuloſarum genere, quam *Corallinam tubulariam Melitenſem, cum ſcolopendris ſuis, tentaculis duobus duplicato pinnatis, inſtructis* vocat. Poſtquam breuiter de corallinarum tubuloſarum tubis earundemque directione expoſuit, de dicta ſpecie notat, viſcoſum corpus inſertum videri tubis, quod matrix polyporum, ſeu, ut nominat ſcolopendrarum ſit. Tubi ipſi in adſcenſu diametro augentur, cutem externam cineream habent, ex variis ſtratis compoſitam, cauitatem cylindricam, animal contentum compreſſum eſt, lumbrici inſtar, duo habet hoc tentacula, inaequalis magnitudinis, ſiniſtrum amplius dextro, duplicata ſerie plumarum inſtructum, in corpore autem animalis pedes ſunt circiter centum et quinquaginta. Additae icones dicta eleganter illuſtrant. p. 504.

65) *Obſeruationes de perfrigida aeris tempeſtate* Auctoribus Cll. WILL. ARDERON et HENR. MILES *** recenſent phaenomena quaedam frigoris in conglaciandis humoribus, aeri expoſitis et ſtatum thermometri Fahrenheitiani ſub exitu anni huius ſeculi quinquageſimi tertii et initio ſequentis. p. 507.

 66) *Epi-*

* Lectae ad d. 7 febr. 1754.
** p. 115. vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 389.
*** Lectae ad d. 11 febr. 1754.

p. 512. 66) *Epiſtola* Cl. DE L'ISLE *ad Cl.* IAC. BRADLEY. Agit de parallaxi Martis.

p. 520. 67) *Deſcriptio machinae inuéntae a Cl.* IAC. FERGVSON, *cuius ope poteſt determinari tempus, duratio et magnitudo eclipſeos ſolaris in omni mundi loco.*

p. 525. 68) *Litterae per Cl.* HENR. MILES *ad Cl.* IO. CANTON *miſſae, de tempeſtate frigida.* Itidem obſeruationes microſcopii recenſet.

p. 528. 69) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeyani,* ad annum 1753. *ſocietati regiae exhibitus a ſocietate pharmacopoeorum per* Cl. IO. WILMER, M. D. *Societ. pharmaceut. Lond. ſoc. hort. Chelſeyani praefectum et praelectorem botanices.*

p. 532. 70) *Relatio de non nullis experimentis circa machinam, quae metitur viam nauis in mare.* Auctore Cl. I. SMEATON.

p. 546. 71) *Obſeruationes eclipſium ſatellitum Iouis habitae Vliſſipone in regali collegio beatiſſimae virginis a neceſſitatibus dictae a* IO. CHEVALIER, *presbytero ſeculari congregationis oratorii,* anno 1753.

72) *Obſeruatio ſolis defectus Vliſſipone habita in aede beatiſſimae virginis a neceſſitatibus, nuncupatae a* IO. CHEVALIER, *Presbytero congregationis oratorii die* 26 *Octobr.* 1753.

p. 548. 73) *Obſeruationes aſtronomicae factae Vliſſipone per* IO. CHEVALIER. Anno 1753.

p. 551. 74) *Accuratior deſcriptio inſtrumenti exiguis angulis metiendis idonei, de quo primum Regiae ſocietati notitia exhibita fuit d.* 10 *Mai.* 1753. Auctore Cl. I. DOLLOND.

75) *Relatio de terrae motu a. d.* 19 *April.* 1754. *Eboraci obſeruato. Ex litteris a* Cl. DAV. ERSKINE BAKER ad Cl. TH. BIRCH *datis.* p. 564.

76) *Inueſtigatio non nullorum theorematum, quae memorabiles quasdam proprietates circuli ſuppeditant, et ad fractionum, denominatoribus polynomiis praeditarum, in ſimpliciores reſolutionem utilia ſunt.* Auctore Cl. IO. LANDEN. p. 566.

77) *Relatio de extraordinario cutis morbo eiusque cura, extracta ex italica deſcriptione Cl.* CAROLI CRVSII*: accedunt litterae Cl.* NOLLET *ad Cl.* GVIL. WATSON, *Soc. reg. Sodal.** Caſus hic plane ſingularis exigere videtur, ut eum plenius adducamus, pertractata autem fuit aegrota a Cl. CRVSIO, in noſocomio incurabilium Neapolitano. Puella ſcilicet ſeptemdecim annorum, eiusmodi cutis infeſtabatur duritie, quae a lignea prope aberat, cum aliqua tamen variis in partibus differentia; muſculi vero, quod libertas motus articulis ſupererat, non afficiebantur, et ubi aliquis defectus motus aderat, a ſuperextenſa cutis duritie ille pendebat. Porro cutis perdiderat calorem, ſenſu non carebat, appetitus et digeſtio bona, excretio aluina itidem reſpondebat, urinae vero quandoque pro ratione potus copioſior, et multum ſalita, ſed catameniorum fluxus plane nullus. Principium morbi in ceruice ad faciem deferebatur, ab hac in totum reliquum corpus diffundebatur. Ad flexilitatem itaque cuti conciliandam reſtituendamque primo utebatur Cl. CRVSIVS balneo ex aqua et lacte, quod nec ſudorem nec alios effectus producebat, immo ſeptimo die adhibitum conuulſiones excitabat. p. 579.

* Praelecta a. d. 16 mai. 1754. Auctor huius deſcriptionis, qui aliquoties CRVSIVS nominatur, in ipſo tractatu CVRTIVS (Curzio) vocatur. vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 564.

Quum hoſce euentus grauitati aquae vel ponderi prementi adſcribendos eſſe cenſeret iam dictus medicus, mutato conſilio vaporoſa tantum balnea applicare iuſſit, tam felici ſucceſſu, ut ſexto iam die perſpiratio ſenſim ſenſimque inciperet, cutis emolleſceret, et urina dilutior euaderet. Victus ſimul porrigebatur tenuis et praecipue ex ſero lactis. Corpore inter ea pleniore reddito, venaeſectio inſtituebatur, ad proritanda forte menſtrua, vel circulationem liberiorem reddendam, vix tamen ob duritiem adhuc cutis poterat lanceola pertundi. Continuatis his balneis addito decocto lignorum ſudorifero ſenſim quidem mollities maior obſeruabatur, quae, ut facilior citiorque eueniret, actuoſum magis requirebat medicamentum; quare mercurius eligebatur, et praemiſſis, purgante remedio et iterum venaeſectione, quotidie ſex, poſt duodecim grana hydrargyri cum drachma pulpae caſſiae exhibebantur, ſuperpota decocti ſaſſaparillae menſura. Poſt duos elapſos menſes ſudor viſcidus apparere incipiebat, cum maiori iam cutanei habitus flexilitate. Accedebat dein puſtularum efflorescentia doloroſa et pruriens, puſtulae ſuppurabant et Cl. CRVSIVS in pure globulos mercuriales ſe vidiſſe adſerit. Euaneſcentibus tandem quarto menſe his cutis humectata et flexilis fiebat. Ob pinguedinis defectum difficultas, in muſculorum motu ſuperſtes, lactea diaeta reſtituebatur, ſiquidem his remediis nutritio melior redderetur.

p. 588. 78) Varia experimenta de uſu agarici quercus in ſiſtendis haemorrhagiis *.

1. *Relatio de euentu experimentorum, inſtitutorum in amputatione femoris, in duabus feminis.* Auctore Cl. SAMVEL SHARP, Chirurg. et Soc. Reg. Sod. Altera ex his ſexageſimo ſecundo aetatis anno, diuturno iam excruciata morbo, hanc operationem ſuſtinuit,

* Lecta. a. d. 14. decembr. 1752.

ſtinuit, quum vero agarico applicato praecaueri haemorrhagia non poſſet, ligatura iniecta fuit: in altera, viginti quatuor annorum res melius ſucceſſit et vaſa parum ſanguinis ſuderunt.

2. *Hiſtoria caſus de effectu agarici querni in ſiſtenda haemorrhagia:* Auctore IOSEPH WARNER, Chirurgo.

3. *Relatio effectuum agarici in variis operationibus chirurgicis. Eodem auctore.* Ea hic repetita ſiſtunt, ad verba, quae poſt amputationem cruris, mammae etc. obſeruata ſunt ab agarici applicatione, expoſita in caſibus chirurgicis Cl. Auctoris, de quibus alibi diximus *.

79) *Deſcriptio pyrometri noui, cum tabula experimentorum, hunc in finem factorum,* per Cl. I. SMEATON, Soc. Reg. Sod. p. 598.

80) *Obſeruatio de ſexu Agrifolii*: Auctore Cl. IO. MARTYN, Prof. Botan. Cantabrig. Vniuerſit. **. Diſquirenti huius plantae florem, qui hermaphroditus huc uſque habitus eſt, occurrit flos maſculinus tantum, quod confirmauit ſimul in addita nota Cl. WATSON, qui vero non in diſtinctis ſubiectis ſemper, ſed intermixtos maſculinos, femininos et hermaphroditos flores ſe obſeruaſſe adſerit. Non ignota vero ſunt exempla in arboribus, copioſis floribus onuſtis, quandoque defectiuos, quos vocant, flores occurrere, ut exinde naturalem claſſem turbandam eſſe minus recte iudicet. p. 613.

81) Cl. THOM. HEBERDEN *continuata relatio de tempeſtate Madeira obſeruata.* p. 617.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 630.

** Lecta. a d. 30 mai. 1754.

p. 621. 82) *Obſeruationes in opinionem* Cl. KIRCHERI, *qua credidit claſſem* Marcelli *ab* Archimede *fuiſſe combuſtam, propoſitae* a Cl. IAC. PARSONS.

p. 626. 83) *Relatio de variis oſſibus Elephantinis, inuentis Leysdoni* (Leysdown) *in inſula Sheppey, contenta in duabus epiſtolis a* Cl. IACOBO, *Chirurgo Feuershamenſi, datis ad Cl.* IAC. PARSONS.*. Ex ingenti oſſium magnitudine, in argilla deprehenſorum videtur Cl. Auctor concluſiſſe, pertinere eadem ad elephantem, inuenit autem vertebram ſpinae, femur, ſcapulam, dentes. Ad veritatem eruendam maiori opus eſſe diſquiſitione, ut de ſimilibus maioribus oſſibus alibi declarauimus, expoſuit Cl. HOLLMANNVS **.

p. 627. 84) *Litterae* Cl. IO. ELLIS *ad* Cl. PETR.. COLLINSON *de vita animali corallinarum, quae arboribus ſimiles, ſuper oſtreas et fucos creſcunt, ad ripas maris Angliae reperiundarum* ***. Deſcribit Cl. Auctor varias ſpecies corallinarum earumque icones adiungit, et mentionem facit primo nodoſae et filiformis corallinae, quae fuco inhaerebat, in medulla ſiue medio loco lata nigraque linea per transparentem caulem decurrit, quae corpus animalis erat, polypi ſinguli viginti tentaculis inſtruebantur, quorum cutis cornea ex annulis componebatur. Deinde volubilis corallina ſequitur, quae in teneris ramulis capitula continet, in quibus polypus habitat. Porro alia, quae a RAIO *Corallina ramoſa, cirris obſita* appellatur, ex cuius ramis capillaribus egreditur tenuis, polypus, octo habens tentacula, ex minori infundibulo. Singulus ramulus ſupra nodoſus, infra cauus eſt. Accreſcit

* Lecta. a. d. 13. iun. 1754.

** In Comment. Acad. reg. Scient. Gotting. To. II. p. 215. vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 703 ſqq.

*** Lectae a. d. 13. iun. 1754.

creſcit oſtreae, rami verticillatim proueniunt, ut in equiſeto. In peculiaribus cellulis aliud etiam inuentum eſt polyporum genus duodecim tentaculorum. Deinde occurrit corallina eleganter denticulata, plantae admodum ſimilis, in cuius medio iterum demonſtrat Cl. Auctor, contineri tubum communem, tanquam ventrem omnium animalculorum. Praeter haec autem veſiculae, ſuis etiam polypis inhabitatae adhaerent, quae florum inſtar decidunt et noua animalcula ſiſtunt, quoniam vero ad fucum, *quercus marina* dictum, adhaerent ſaepius, Cl. Auctor corallinam quercus marinae nuncupat. Eſt autem in his multiplex varietas. Denique polypi corallinae celluliferae depinguntur, quae demortuae demum, nec, ut olim credidit, Noſter ſub embryonis forma nigrum punctum ſiſtunt.

85) *Epitome epiſtolae Cl.* CAMILLI PADERNI ad Cl. THOM. HOLLES. De inuentis in Herculaneo refert. p. 634.

86) *Examen, per experimenta inſtitutum, ſubſtantiae albae metallicae, in mineris auri Indiae occidentalis, Hiſpanicae ditionis repertae, iam cognitae nomine* Platinae, Platinae di Pinto, vel Iuan Blanca. Auctore Cl. GVIL. LEWIS, Soc. Reg. Sodal. * Supra iam horum tentaminum mentionem iniecimus **, quae tanti ſunt habita a Societate Londinenſi, quibus praemium decerneretur, nec non alibi cum eo ſuſceptorum experimentorum a Cl. SCHEFFERO meminimus ***, ut nunc laetemur, magis completam huius nouiter detecti metalli hiſtoriam tradere nos poſſe. Quatuor in ſectionibus ſtudioſa declarantur Cl. Auctoris p. 638.

* Lectum. a. d. 30 mai. 1754.

** vid. Comment. noſtr. Vol. VI. Part. II. p. 355.

*** Ibid. Vol. IV. P. IV. p. 666.

ris experimenta. Praecipua tantum, et quae inde conſequuntur, adnotabimus.

Sectio prima qualitates praecipuas huius metalli, eiusdem ad ignem habitum, vel per ſe, vel cum aliis, ad fuſionem corpora diſponentibus, ſubſtantiis, ſiue *fluxibus* ſic dictis chemicorum, recenſet. Affertur ex Indiis autem ſubſtantia mixta: verae particulae platinae ſiſtunt grana alba ſplendentia, irregularis formae, plana, rotundatis angulis, ut videntur glabra, quorum quaedam magnete attrahuntur. Intermiſcentur his nigricantes moleculae, aliae fuſcae, aurei coloris aliae, mercuriales, auro diuites, tranſparentes ſpathaceae, tandem irregulares, quae igne funduntur luteolumque fumum emittunt. Quas tamen particulas heterogeneas et arte admiſtas eſſe Noſter iudicat. Pura grana malleo extendi poſſunt, grauitas ſpecifica maſſae huius aggregatae eſt ad aquam ut 16. 995 ad 1. 000. quae per purificationem maior redditur. Platinae particulae difficulter funduntur vario ignis gradu nec cum puluere carbonum nec cum borace mixtae, neque cum vitro antimonii vel plumbi, idem effectus cum maſſa fuſoria Pariſina (plaſter of Paris). Nitrum porro cum hoc metallo mutationem plane nullam producebat, itidem ſulphur, hepar autem ſulphuris aliquam partem ſoluebat. Hinc apparet; hoc minerale in magnis durisque maſſis inueniri, ſimilibus arenae nigrae Virginianae, magno cum labore in minora grana reduci et auri extrahendi cauſa hydrargyrum admiſceri. Metallicam hanc maſſam ex parte malleabilem eſſe, eiusdem fere ac aurum ponderis, fixam in igne.

p. 649. *Sectio ſecunda* docet effectum ſpirituum acidorum in platinam, vel ſimplicium vel compoſitorum. Adhibebatur autem acidum vitriolicum, marinum, nitroſum et aqua regis, et ea demum recipiebatur platina, quae cribro erat liberata a ſubtili puluere, igne a mer-

a mercurio, oculo armato ab auri aliisque heteregoneis particulis.

Vitriolicum acidum infuſum vel coctum cum platina nullam experiebatur mutationem, ſed perfecte reſiſtebat. Eadem contingebant cum acido ſalis marini, immo cum mercurio ſublimato, nec non cum auro commixta platina, et cemento regali fuſa, quod ex ſalis communis et colcotharis partibus aequalibus et laterum pulueriſatorum partibus quatuor fit. Parum, centeſima circiter grani pars in pondere amiſſa, quae abluitione poterat amitti. Experimenta cum acido nitri facta, prorſus ſimilia oſtendebant, aqua tamen regis ſoluebat platinam, ſed requirebantur aquae regiae ſaturatae unciae quinque ad ſoluendam unam platinae, inſtituto nempe experimento in vaſe clauſo, in aperto enim plus quam duplum debebat addi. Soluta itaque cum aqua regis platina variis aliis occaſionem dedit tentaminibus. Solutio, aqua diluta, inſtillato ſpiritu vitrioli nullatenus mutabatur, ſed ſolutio non diluta turbabatur, praecipitans obſcurum puluerem. Inſpiſſatione naſcebantur cryſtalli foliaceae, obſcuri coloris, igne fundendae et cineream calcem exhibentes. Calidum marmor ab inſtillata ſolutione arrodebatur, ſed ſine mutatione coloris, idem in cute, plumis aliisque corporibus percipiebatur, quae ab auri ſolutione purpureum colorem contrahunt. Siquidem nec minima ſuſpicio purpurei coloris appareret immiſſis laminis ſtanni, qui unica tamen ſoluti auri guttula inſtillata apparebat. Idem effectus ab admixto ſpiritu vini, qui nullam cuticulam luteam producebat. Neque praecipitatus cum ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua puluis et calcinatus, fulminabat, ſed praecipitatione etiam aliis cum ſalibus facta menſtruum luteum retinebat colorem, prout etiam a zinco, ferro cuproque fiebat, a mercurio, qui corrodebatur, fuſcus puluis decidebat, nulla tamen mutatio a platinae et auri ſo-

lutioni-

lutionibus mixtis. E contrario hydrargyri ſolutio et platinae euaporata cryſtallos, ſpiculorum inſtar, producebat luteſcentes, in igne albos fumos emittentes et decrepitantes. Calx ſtanno praecipitata cum vitro fuſa, exhibebat vitrum nigricans, intermixta materie alba, metallica, a platina; item, dum adhibebatur calx a ſolutione ſalis alcalini. Aurum itaque non continet platina, etſi iisdem menſtruis ſoluatur, quae ea propter ſoli auro detegendo non ſufficere videntur; ſed variis differt modis ab auro. Aliae deinde conditiones platinae ex coniunctione eiusdem cum variis metallis cognoſcuntur, cum quibus funditur, quibusque mutationem coloris, texturae et duritiei inducit: de his itaque diſpicit *tertia ſectio.*

p.661.

Admiſcuit autem Cl. Auctor metalla varia proportione: Facile fluit platina cum ſtanno, cuius malleabilitatem deſtruit, ductilitatem auget, colorem mutat, profundiorem reddit, quo maior platinae portio additur, facilem tamen ſtanni per ignem deſtructionem ſimul praecauet, in primis, ſi fluxus niger additur et maior ignis gradus adhibetur. Cum plumbo difficilius fluit, inductilis redditur platina, magna enim portio non eodem, ac ſtannum, modo iungitur, imo quae maiori ignis gradu fuerat iuncta, eo remittente praecipitatur. Singulare autem eſt, mixturam hancce fibroſam et foliaceam texturam, nec non purpuraſcentem colorem, acquirere. Commixtio cum argento adhuc difficilius procedit, a quo itidem facilius ſubſidendo ſeparatur, ea vero facta argenti malleabilitas non multum imminuitur, nec color in tantum perit. Aurum vero ſibi iungit, colore pallidiore reddito, malleo tamen obedit. Cuprum cum platina parua portione mixtum, duritiem cupri auget, colore interim et malleabilitate imminutis, quo maior copia platinae, eo minor eſt ductilitas, polituram admittunt fuſiones omnes. Cum ferro pertractata platina, aequali portione, fundebatur

tur in maſſam concauam, duriſſimam, limae reſiſtentem malleoque, igneſcens vero maſſa facilius frangebatur, maſſam conſtituens non lamellatam, ſed granulatam, granis profundius coloratis conſtantem. Item varia proportione admixta platina contingebat, addita *mixtura, chalybem efficiente,* REAVMVRII quae componitur ex puluere carbonum, fuligine, cineribus lignorum et ſale communi, nulla mutatio contingebat.

Fluit itaque platina cum omnibus metallis, ſed non perfecte immutatur, microſcopium enim aliquas adhuc partes integras oſtendit; omnia porro metalla duriora reddit, coloremque mutat, ferrum et cuprum ne ab aere corrumpantur, praecauet, contrarium praeſtat in ſtanno et plumbo.

His expoſitis recenſentur tandem *quarta ſectione* experimenta, cum ſemimetallis facta, variisque eorum compoſitionibus. Imperfectum cum hydrargyro conſtituit amalgama, immo per corium ſimul transprimi ſe patitur, nec igne amplius funditur: cum plumbo autem fuſa platina et in mercurium infuſa, puluerem emittebat nigricantem, qui vera erat platina, ſeparato autem omni mercurio, ſupererat calx ex plumbo platinaque participans. Cum auro tamen mixta platina et cum mercurio amalgama efficiebat, ex quo ſeparatum aurum ita cum platina mixtum comparuit, ut nulla ſeparari poſſet ratione. Biſmuthum et platina facile funditur, ſed mixtura fragilis, paulo durior, fracta ſtriatam ſuperficiem exhibebat, in aere ſplendorem perdebat, colorem contrahens luteolum vel purpuraſcentem. Valide quoque a zinco ſoluitur platina, ſed cum magna zinci deperditione ponderis, aere non afficitur, durior fit, et malleo in partes finditur varias; itidem ſolubilis fit per regulum antimonii, maſſaque fracta inaequalem ſuperficiem oſtendit, pondere augetur et foliaceam magis texturam acquirit. Pertractauit tandem

p. 676.

dem Cl. Auctor platinam cum variis metallis compoſitis, aere ſcilicet, cupro et ſtanno, ſimili fere euentu, immo cum variis metallis cupellauit et in ſcorias redegit. Plumbum auxit quantitatem platinae et reliquit globulum texturae poroſae, coloris gryſei. Praeterimus iam reliqua copioſa experimenta, ſiquidem ex his iam luculenter appareat, quam operoſe naturam noui metalli indagare fuerit anniſus Cl. Auctor.

p. 690. 87) *Explicatio inſcriptionum, palmyrenorum lingua et characteribus ſcriptorum, in quinque epiſtolis ad Cl.* THOM. BIRCH per Cl. IOH. SWINTON.

p. 757. 88) *Epitomae litterarum*, a Cl. IOH. LINING ad Cl. CAROLVM PINCKNEY, *continens reſponſiones ad propoſitas de experimentis electricis cum dracone volante* (kite) *quaeſtiones* *. Conſtructionem ſui draconis deſcribit et varia phaenomena electrica explicat.

p. 765. 89) *Reſponſio ad quaeſtionem de morte* Cl. RICHMANNI a Cl. LINING factam, per Cl. WILL. WATSON. Poſtquam gnomonem electricum, omnemque huc pertinentem apparatum Cl. RICHMANNI deſcripſit atque delineari curauit, quem ipſi Cl. noſter WINCKLERVS communicauerat, a fulmine tactum RICHMANNVM fuiſſe docet, et varia huc ſpectantia momenta ex Cl. LOMONOSOW *oratione de meteoris vi electrica ortis* repetit. Itidem in

p. 772. 90) *Epitome epiſtolae* Cl. IO. HENR. WINCKLERI ad Cl. THOMAS BIRCH **, qua recenſentur duo experimenta electrica, alterum, quo ſulphur Lycopodii, in lamina metallica contenti, ab igne electrico

* Lecta a d. 4 mai. 1756.

** Lectae a. d. 4 iun. 1754.

ço accenſum: alterum, quo aurum fulminans, lamina pergamena exceptum, eodem igne exploſum fuit.

91) Deſcribit meteorum ſub *globi ignei* forma viſum, Cl. WILL. HIRST, quale iam quandoque adduximus. p. 773.

92) Cl. CLAIRALTI *Acad. Sc. Paris et R. S. S.* *Epiſtola ad Cl.* D. THOM. BIRCH, Reg. Soc. a Secretis, in qua Cl. COVRTRIVRON *ſententia de diuerſitate refrangibilitatis radiorum lucis cum Cl.* MELVIL *ſententia de eodem argumento comparatur.* p. 776.

93) *Epiſtola ad Ill. Com. de* MACCLESFIELD, *Praeſ. Soc. R. S. continens noua experimenta electrica, ſcripta* a Cl. IOAN. CANTON, S. R. S.* Cum in corporibus variis varia ſit ratione electricitatis poteſtas, ut attrahi ab uno, repelli ab altero ſoleat corpus, illaque variis anſam dederit opinionibus, nouis tentaminibus rem illuſtrare tentauit Cl. Auctor. Vitreum tubum reddidit impellucidum aſperumque ſmiride, ille poſt frictionem imbibit ignem electricum; aſper vero redditus oleoſo ſerico et calce ut politus tubus agit, ignemque condenſat. Similibusque experimentis poſitiuam et negatiuam electricitatem produci demonſtrat, nec non iconibus additis eleganter declarat: quibus ſimul aeris electricitas confirmatur. p. 780.

94) *Epiſtola* Cl. CHENEY HART ad Cl. WILL. WATSON *effectus docens electricitatis in noſocomio, Schrewsbury* **. Recenſet ingenue Cl. Auctor duos caſus, in quibus nullum ab electricitate adhibita percepit uſum, in altero quidem motus brachii paralytici paulum p. 786.

* Lecta a. d. 14 novembr. 1754.

** Lecta a. d. 14 nouembr. 1754.

paulum reſtituebatur, in altero vero dextri brachii paralyſis deueniebat uniuerſalis, quae adhibitis remediis conuenientibus non poterat reſtitui.

p. 788. 95) *Litterae* Cl. D. WILL. BRAKENRIDGE ad Cl. GEORG. LEWIS, *concernentes numerum inhabitantium Londinum ex indice demortuorum.*

p. 800. 96) *Epiſtola* Cl. WILL. WATSON ad Cl. CAROL. GRAY *de praegrandi calculo in equa inuento* *. Lamellatam habuit ſuperficiem ex inteſtinis, ut videtur, extractus, ſimilis bezoar occidentali, in aere pondus eius erat quindecim librarum et unciarum duodecim, in aqua ſex librarum. Adducuntur alia exempla calculorum magnorum, in equis repertorum.

p. 803. 97) *Diſſertatio epiſtolaris de belemnitis*, *conſcripta* a Cl. GVSTAV. BRANDER, S. R. S. *et transmiſſa ad* Cl. SMART. LETHIEVLLIER, S. R. S. **. Belemnitorum origo multis dubiis obnoxia fuit, orthoceratiti tamen atque nautili non multum differunt, niſi figura, et cum prioribus etiam conueniunt nuclei belemnitorum, qui ſunt corpus rectum, intus concameratum, ut teſtae animalculi ſine dubio eſſe videantur. Sed ipſe belemnites, ſolidum licet corpus, quod eandem habet ac corallia naturam, haec autem quum ſint ex recentiorum obſeruationibus opus polypi, eodem modo Cl. Auctori a polypo proficiſci videntur, cuius ultimus ſtatus ſit nucleus. Polypi ſibi ſtruunt habitacula et vel aggregati viuunt vel ſolitarii, ad hos pertinent belemnitae. Belemnitae ſunt plerumque conici, ſulco per longitudinem decurrente inſtructi, intus ex cruſtis ſibi impoſitis conſtant, ſtriis transuerſalibus interdiſtinctis. Has diuerſas

* Lecta a. d. 21. nouembr. 1754.

** Lecta a. d. 21 nouembr. 1754.

uerſas cruſtas putat Noſter, ut annos in arboribus annulos eſſe, qui aetatem manifeſtant: ſiquidem teſtacea quotannis craſſiorem cruſtam obtinent et ſtrata ſibi impoſita oſtendunt, in quibus etiam, ſi vetuſtiora euaſerint, alia animalcula ſibi ſedem figunt. Hinc belemniti nucleum continent alii, alii non aeque et a polypo formantur, ut corallia.

98) *Obſeruationes quaedam de agarico, poſt amputationem hucusque adhibito, quibus ſpecies eiusdem melius determinantur.* Auctore Cl. WILL. WATSON, S.R.S. Non eſſe hunc agaricum communem illum, qui quercubus accreſcit, ſed eligi debere fungum quercinum haematodem, a Cl. BREYNIO in Ephem. Nat. Curioſ. Ann. 4 et 5. Obſ. 150. deſcriptum, docetur. p. 811.

99) *Epiſtolae duae de uſu agarici, tanquam ſtyptici.* Altera Cl. WARNERI, ſaepius commendati huius remedii uſum optimo cum ſucceſſu continuari declarat, altera auctore Cl. GOOCH eadem comprobat, in primis etiam in ſeptuagenaria aegra nihilo ſecius ex voto applicationem huius fungi reſpondiſſe commemorat. p. 813.

100) *Epitome litterarum* Cl. BONNET, S R. S. ad Cl. IO. CLEPHANE, Med. D. inoculationem variolarum optime ſucceſſiſſe, ut ex ſeptuaginta nec unus in periculum fuerit adductus, aſſeuerat. p. 818.

101) *Epitome litterarum, Conſtantinopoli a. d. 16. Septembr. 1754. miſſarum per* Cl. MVRDOCK MACKENZIE, M. D. *de nupero, ibidem obſeruato, terrae motu.* p. 819.

102) *In epiſtola recenſet* CAMILLO PADERNI *noua inuenta in Herculaneo.* p. 821.

p. 825. 103) *Similia continet epiſtola* Cl. IO. GRAY ad Cl. TH. ROBINSON.

p. 826. 104) *Relatio de tentaminibus variis, aquam et piſces dulces ſeruandi cum aqua calcis.* Auctore Cl. STEPHAN. HALES, M. D. S. R. S.*. Quum Cl. PRINGLE, aquam calcis antiſepticam habere virtutem demonſtrarit, varia cum aqua lapidis calcarii cepit experimenta Noſter, quorum euentus pro more ſuo ſollicite et accurate deſcribit, iisque effecit, ut aqua lapidis calcarii putredinem promouiſſe demonſtraret, qua propter calcinatio huic lapidi antiſepticam demum qualitatem conciliat, quae itaque pro gradu calcinationis factae etiam diuerſos gradus obtinet.

p. 832. 105) *Medicae et chemicae obſeruationes de antimonio.* Auctore Cl. IO. HVXHAM, M. D. S. R. S.**. Quum Cl. Auctor de antimonio ſic egerit, ut non noua tantum, ſed, ut ipſe ingenue fatetur, aliunde cognita ſimul expoſuerit, non nulla ex his notatu digna adducemus. Praecipua eius lex eſt, antimonio omnem deeſſe nociuam vim, ſi regulina pars ſulphure ſit iuncta. Hinc in vitro antimonii cerato a cera addita ſpicula antimonialia obtundi et virtutem emeticam imminui credit, nec non, ſi ad mentem Cl. GEOFFROY cum ſpiritu vini deflagretur, partem antimonii reduci et medicamentum mitius reddi: in regulo tamen aliquam etiam ſulphuris partem eſſe, neceſſario ad eſſentiam eius conſtituendam requiſitam, nec in vitro eam deeſſe.
p. 844. Deſcribit porro Noſter praeparationem aethiopis antimonialis, a ſe inuentam, in cutaneis morbis magni uſus deprehenſi. Praeparatur autem ex antimonii crudi, ſubtiliſſime pulueriſati partibus tribus, mercurii viui partibus quatuor

* Lecta ad 19 decembr. 1754.

** Lectae a. d. 5. 12. 19. decembr. 1754.

quatuor, florum ſulphuris partibus duabus, quae cuncta in nigrum conuerſa puluerem, dantur a ſcrupulo ſemis ad ſcrupulos duos.

Regulum etiam antimonii aliquem docet parari p. 848. ex antimonii partibus duabus, limatura martis parte una, quibus fuſis additur una pars nitri bene exſiccata, ex qua maſſa maximam partem reguli obtineri ſcribit, ſiquidem a marte ſulphur antimonii abripiatur et in ſcorias vertatur, quae puluerifatae et ablutae magis adhuc ac *antimonium martiale cachecticum* LVDOVICI optimum extiterunt in leucophlegmatia et pertinaci fluore albo remedium. In ſeparandis antimonii partibus magna etiam ſalium vis eſt atque efficacia, in primis, ſi alcalina reddita, ſulphur antimonii ſibi adſciſcunt regulumque deſerunt, vel ſimul ut in hepate antimonii, ſibi uniunt. Pro ratione autem quantitatis ſalis alcalini adhibiti maior minorque eſt antimonii virtus emetica. Facta tamen hac ſalis et antimonii combinatione, acido immiſſo praecipitatur ſulphur auratum, quod pro varia praecipitatione varios edit effectus, ſed quo eo purius et a regulo ſeparatum habeatur ſulphur, praecipit ſolutionem per aliquot dies quietam reponere, inſtillare deinde paucum acidum, et illud repetere, donec purius ſulphur decidat, quod ſecunda tertiaque praecipitatione fieri contendit, indicio, regulum cum ſulphure intime non mixtum eſſe.

Qualitas etiam acidi differentiam conſtituit, quod, p. 853. licet abluitur, difficile tamen ſeparatur. Antimonium, cum nitro alkaliſato decoctum, *kermes minerale* dat, ſed Cl. Auctor nouam praeparandi illud methodum docet, nempe, antimonium coquit cum aqua calcis viuae, et ſolutione tartari vel eius cryſtallorum praecipitat, ſiquidem a leuiſſimo etiam acido quocunque praecipitetur, ita, ut a ſaliua, neutrius ſalis aliquam portiunculam continente, iam mutatio exiſtat. Butyrum antimonii eſt regulus eius, ab acido

 ſalis

ſalis marini deſtructus, qui ſub mercurii vitae nomine praecipitatur, cuius indolem pernicioſam ſecuriorem reddere anniſus eſt Cl. STAHLIVS, conuenientiorem autem modum praeparandi exhibuit Cl. MAETS, ſub nomine *purgantis ex antimonio ſecuriſſimi*, qui mercurium vitae cum duabus partibus nitri fundit et hanc maſſam cum aequali quantitate ſalis mari-
p. 858. ni conterit, aqua abluit et edulcorat. Antimonium diaphoreticum, quoniam omne ipſi ſulphur ablatum eſt, inertem calcem eſſe iudicat Noſter, hinc de ſulphure interno metallorum varia diſſerit, et cum nitrum, antimonio additum, illud deſtruat, pro ratione quantitatis et qualitatis huius praeparata varia eſſe indicat. Verum enim vero, quum illa non ſemper ſatis tuta ſint, licet prudenter aſſerat Noſter, in uſu vero arcanum remedii dandi latere, in primis tamen per copioſa inſtituta experimenta, nullam ſibi magis arridere praeparationem antimonialem confir-
p. 863. mat, quam *vinum antimoniatum*, quod etiam *eſſentiam antimonii* vocat, cum vitro vel regulo antimonii factum. Vinum generoſum infunditur et decolatur, quod ad uncias unam vel duas datum vomitum et deiectiones excitat, ad tres circiter drachmas nauſeam, duas vel tres ſedes, ad quadraginta et ſexaginta guttas alterans et diaphoretica medicina eſt, ſecretiones promouens cutaneas, urinarias, ſaliuales, omnesque neruos et vaſa irritans. Ob facilem itaque cum humoribus noſtris commixtionem parua doſi tribus quatuorque vicibus intra quatuor et viginti horarum ſpatium propinari poteſt, et ſine difficultate adſumi. Exhibuit in tuſſi conuulſiua, aſthmate et ſimilibus morbis, infantibus unius anni Noſter ad decem quindecimque guttas, et fuſe recenſet caſus acutorum chronicorumque morborum, in quibus praeſtans eius uſus fuit deprehenſus, inter quos morbos variolas etiam refert.

Hae ſunt nouae et de induſtria Cl. Auctoris teſtantes obſeruationes, quibus antimonii regulum, ſulphurea ſua parte adhuc praeditum, proficuum fieri poſſe demonſtrare ſategit.

106) *Relatio de* Cl. SAM. TVLL *methodo caſtrandi piſces. Communicata ſocietati per* Cl. W. WATSON S. R. S. Cl. TVLL, inuentor huius methodi, utrumque ſexum piſcium caſtrare ſolet. Illud autem tempus eligit, quo femina oua ponere, mas ſemen proiicere pronus eſt, ſiquidem eo tempore illius ouaria, huius vaſa ſpermatica plena, facile ab ureteribus poſſunt diſcerni. Contineri ad operationem ſuſcipiendam debent piſces linteo humido inuoluti, ut venter ſuperiora reſpiciat; lanceola acuta integumenta ad rimam naturalem diuiduntur, cauendo tamen, ne inteſtina adficiantur laedanturue, apertura facta ad anum usque; argenteo deinde unco diſtrahuntur aperta integumenta et ſic manifeſta reddita, remotis inteſtinis, transuerſim diſſecantur ouaria forfice, quandoque, ne denuo concreſcant, auferuntur, vulnus autem filo ſericeo conſuitur. Quo facto in aquam repoſitus piſcis vix non ſemper viuus euadit et ſanus, immo cuius cauſa res ſuſcepta fuit, ſine alia mutatione maior et obeſus redditur. Adnotat ſimul Cl. Auctor, inuentorem etiam veram copulam piſcium, contra opinionem vulgarem ſe obſeruaſſe, eo tamen tempore inſtitutam, ubi nondum oua matura erant. p. 870.

107) *Succincta enarratio commodorum, quae a repetita ſubinde ubique terrarum examinatione variationis acus magneticae expectari debent, exhibita Reg. Societati a* GVIL. MOVNTAINE et IAC. DODSON, qui ſimul hanc ſocietatem rogant, ut opem ipſis eam ad rem ferat, partim proprias obſeruationes communicando, partim exteros, cum quibus illi litterarum commercia ſunt, commouendo, ut hi ſuas etiam obſeruationes conferant. p. 875.

II.

Fungorum agri Ariminenſis hiſtoria a I. ANTONIO BATTARRA Lynceo reſtituto et in eadem urbe publico philoſophiae profeſſore compilata aeneisque tabulis ornata. Quam ſub auſpiciis eminentiſſimi ac reuerendiſſimi principis IOACHIMI PORTOCARRERII, cardinalis ampliſſimi publici iuris fecit. Fauentiae 1755. Typis Ballantianis. 4. pl. 10. tab. aen. 40.

Quum ſubceſiuis tantum horis, plantarum captus amore Cl. Auctor, in diſquiſitionem fungorum incideret, multa inuenit imperfecta, quae vel addenda vel emendanda forent, vel dilucidius exponenda, immo, quod nullam deprehenderet, qua uti poſſet, methodum, nouam proponere in animum induxit et hoc quidem libello exhibuit. Tournefortianam enim eam ob rationem amplecti noluit, quod a recentioribus illa ſoleat paullatim deſeri, Gleditſchianam autem nondum diſpiciendi eidem fuerat copia facta. Perfecto tamen et ad umbilicum deducto libro eam perpendendi facultatem nactus, epicriſi, ad calcem tractationis addita, diiudicare, ſuaeque methodi praeſtantiam edocere non intermiſit. Taxat autem in eo vocabulorum ſignificationes, quas aliter, ac ſolet, acceperit, et Boleti Agaricique definitionem nouam finxerit, quum tamen ſufficientes diſtinctionis notas adieciſſe Cl. Virum inueniamus. Maioris ponderis argumentum illud eſt, quo *Fungi pileolo lato et rotundo C. B.* ſemina, adhibito microſcopio, fimbria cingi inuenit, quae ex definitione Cl. GLEDITSCHII rotunda tantum eſſe deberent, ſed, quod ad ſedem ſimul reſpexerit ſeminum ille, hanc, quae pluribus demum obſeruationibus confirmanda eſt, animaduerſionem, ad omnem methodicam diſpoſitio-

poſitionem euertendam facere non poſſe iudicamus *.

Prius itaque ad Cl. Auctoris methodum exponendam quam accedimus, pauca ab eo de fungis, in genere notata et in praefamine expoſita momenta indicare liceat. Eorum originem falſo ex putredine deduci probat, ſimulque ex ſuo ſemine naſci illos euincit, declarans, fungos, paraſiticos continuos neutiquam, ſed contiguos tantum eſſe fibris plantae, cui innaſcuntur, ſpecierum conſtantiam adeſſe, et omnes verae plantae partes, variisque argumentis eorum confundit opinionem, qui luſum naturae fungum eſſe autumant. Quamuis autem exinde ſequatur, fungos ex ſemine progigni poſſe, difficilis tamen eſt demonſtratio, quum MICHELIVS unico, nec ſatis firmo, Cl. Auctor nullo, exemplo eorum praeſentiam patefacere potuerit, Cl. GLEDITSCHIVS autem ex ſemine fungorum ſe eiusdem generis fungos accepiſſe ſcripſerit. Verum, coloris varietates in aliis plantis multum diſcrepant, ipſae plantae monſtroſae euadunt, ut idem in fungis accidere, per ſe variantibus, commode poſſit.

His explicatis non nulla, ad fungorum hiſtoriam in diſtinctis capitibus proponuntur. Primo loco varios ineditos fungorum codices recenſet, quorum unus in Bibliotheca pontificia deliteſcit, alter a MARSILIO confectus, tertius a BRVNONE TOTTIO, Abbate Vallumbroſano, collectus fuit. Praeterimus reliqua, quae de fungorum natura, ex Cl. GEOFFROY materia medica potiſſimum adnotantur, quae de fungorum utilitate medica et oeconomica, nec non de eos praeparandi modo, et medicina contra noxios eorum effectus proponuntur, ſiquidem vel maximam partem medicis cognita illa ſint, vel ad ſcopum non preſſius ſpectent.

Pp 5 Ipſa

* Vberiorem methodi Cl. GLEDITSCHII recenſionem dedimus in Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 114 ſqq.

p. 22. Ipſa fungorum hiſtoria decem et octo claſſibus abſoluitur, in quibus poſt praemiſſam definitionem ſpecies deſcribuntur et adpoſitis iconibus illuſtrantur, nec non, quae eſculentae ſint, diligenter adnotantur. *Claſſis prima* de *coralloidibus* agit, quod Corallorum ramos aemulatur, et ob externam cum reliquis plantis conuenientiam primum hic occupat locum. Omnes eſculentae ſunt. *Secunda*, conſiderat *Clauariam*, quae corpus carnoſum eſt, clauatum, extus laeue, absque pileo. *Tertia* de *Boletis* inſcribitur, quo nomine intelligit Cl. Auctor omne fungorum genus, *quod vel ſcrobiculis eſt excauatum*, *ſiue, quod pileolum eleganter complicatum habet*, *ſeu calyciformem*, *non ſulcatum*, *neque inferne tubulatum.* Hi
p. 25. vel ex volua prorumpunt, vel ea deſtituuntur. *Quarta* complectitur *fungos membranaceos*, quo nomine illos tantum indicare voluit Noſter, *quorum corpus una membrana lata componitur*, *ſiue plana ſit*, *ſiue vario modo plicata.* Inferior autem eius ſuperficies neque lamellata ſit, neque tubulis pertuſa. Huc refertur auricula Iudae, Peziza, Linckia MICHELII.
p. 27. *Quinta* claſſis recenſet *fungos pileolo ſulcato, ex volua erumpentes:* ſequuntur *ſexta fungi ſingulares annulo inſtructi.* Singulares dicuntur, quod cum aliis ſimul naſci non ſolent, annulum vero, quem gerunt, non longe a ſulcorum exordio habent, tenerum tamen et ex goſſypina quaſi ſubſtantia conflatum. Ex figura capituli varia genera conſtituit Noſter, ut *Maſtocephalus*, qui capite mammam refert, *hyſtero-ſphaero-*
p. 32. *cephalus* etc. *Septima* claſſis tradit *fungos ſolitarios, velum*, *ſulcos obtegens, pro annulo habentes.* Nomina generum iterum ex figura et colore deſumuntur, ut *Leuco-ſphaero-cephalus*, *Chamaemyces*, *Galericulus Monachi.* Tranſit *octaua* ad *polymicetes ſeu fungos multiplices*, *annulo donatos*, qui et vulgo caeſpitoſi vocantur, varii enim ex uno loco procedunt. Iterum in duos ordines ſecedunt, vel annulo inſtruuntur,

tur, vel eo deſtituuntur. *Nona* adducit *omphalomy-* p. 36.
cetes, ſeu *fungos umbilicatos ſingulares*. Horum pileus ſulcatus eſt, ſuperius depreſſus ut cyathum tubum aut craterem aemuletur. Pileoli ſuperficies vel leuis eſt, dicitur *omphalomyces* ſimpliciter, vel ſulcata et laciniata, tunc *Alectorolophoidis* nomen dedit Noſter. *Fungi umbilicati multiplices* ſeu *polymycetes*, p. 39.
claſſem *decimam* faciunt. Sulci in his originem a pediculo ſumunt, et per pileolum, coni inuerſi inſtar, continuantur, media tamen parte pileoli depreſſa: deficit autem his annulus. In aliquo horum, ſulcis phoſphorum ineſſe ſcribit. *Vndecima* porro *claſſis* p. 40.
differit de *monomycetibus ſeu fungis ſolitariis*, *ſimplicibus*, qui ſolitarii naſcuntur et pileolum medio acuminatum aut tumentem gerunt, margine differunt et pedunculum annulatum habent nec ne. Diſtinguuntur colore, ſapore, ſtatura; amaros *Picromyces*, pileo inſtructos, muris colore, *myomyces* nominat Cl. Auctor. Magna eſt familia. *Polymycetes ſimplices*, claſſem *duodecimam* facientes, ex uno quidem prin- p. 49.
cipio pullulant, *ſed non umbilicatum pileolum habent, verum aut mammoſum, aut puluinatum, pedunculum absque annulo, nec membrana communi ſulcos obtegunt.* Ab his omnibus ſeparantur claſſe *decima tertia hydro-* p. 51.
phori ſeu fungi, *multo humore aqueo ſcatentes*, pileo ſulcato inſtructi, tenuioris ſubſtantiae fungi huc reducuntur, colore et figura diſtincti. Eadem ſubſtan- p. 55.
tiae ratio, *ſi forma bullas ſeu clauiculos illos aemulatur, quibus currus, ſubſellia et alia id genus exornantur*, claſſem *decimam quartam* efficit, et tunc fungilli hi vocantur *bullae*, diuiſionis, ni fallimur, argumento non admodum graui. *Quinta* porro et *decima* claſſis p. 59.
de tuberaſtro eiusque fungis diſpicit. Eſt lapis fungarius, italice *pietra fungifera*, durum corpus, intus innumeris albi mucoris laciniatis implicatisque membranis ſcatens, odore deſtitutum. Optimi ſunt ponderoſi, in quibus magna adhuc ſeminum latet copia:

de

de his, quae repetita cognouerit experientia, refert Cl. Auctor. Itaque ad concitandam eius vegetationem iubet illam in terram aptam reponere, pinguem et humidam, tepente porro aqua bis per diem irrigare, quo facto poſt tres vel quatuor dies fungi prouenient, qui poſt viginti dies praeterlapſos non comparent, nunquam producentur. Sed tuberaſtrum non eſſe fungorum fotum, quod alii contendunt, fruſtra ſuſcepta experimenta, quibus factum eſt, ut copioſa ſemina inſpergerentur tuberaſtro, docuerunt. Plerumque porcini naſcuntur ex eo fungo, non autem deſunt etiam alii, quos obſeruarunt MERCATVS, MICHELIVS, SEGVIERIVS aliique. Ab
p. 62. hoc progreditur Noſter in claſſe *decima ſexta* ad *Ceriomycetes, id eſt, fungos fauaginoſos, qui et porcini, aut ſuilli ab aliis nuncupantur.* Nomen ipſis a Cl. Auctore datum eſt ab inferiori pileoli ſtrato, quod fauorum apum inſtar ex copioſis tubulorum ſeriebus effi-
p. 67. citur. Deſtinatur *decima ſeptima Lycoperdis* et ultima *Agaricis*, quorum magnus numerus adfertur. Definit autem Noſter agaricum, ut ſit *fungorum genus, nulla conſtanti forma donatum, immo quoad corporis texturam alii molles et ſpongioſi, alii coriacei, alii lignoſo-coriacei, alii lignoſi omnino. Colore etiam differunt. In hoc uno generatim conueniunt, quod duplici ſtrato creſcunt, quorum aliud fibroſum eſt, nempe ſuperius, aliud vero vel ex innumeris tubulis coaleſcit, vel ſinus habet anfractuoſos, vel ex lamellis conficitur. Arboribus et fruticibus ſolent adnaſci -- quamuis non nulli ab omnibus plantis ſemoti ex terra erumpant.* Hac vero deſcriptione paullo plenius conſiderata, nullam certe notam adductam obſeruamus, qua abſolute poſſint agarici a *ceriomycetibus* Cl. Auctoris diſtingui, ut, quae ab eo Cl. GLEDITSCHIO facta eſt inculpatio, eum quodam modo redarguat. Laudamus interim egregiam Cl. BATTARRAE in diſquirendis hiſce corporibus induſtriam, deſiderari autem poterunt,

runt, cum aliis in hoc genere corporum deſcribendo clariſſimis, STEERBECKIIS, DILLENIIS, HALLERIS inſtituenda comparatio. Siquidem ad illuſtrandam corporum naturalium hiſtoriam, non, quod quiuis ipſe viderit, ſed, quid ab aliis etiam adnotatum fuerit, conſerre plurimum arbitramur. MICHELII tamen opere ſaepe uſus eſt Noſter, iconesque ſubiecit nitidas.

In appendice tandem adduntur exotici quidam p. 74.
a variis fautoribus transmiſſi fungi, quorum nomina hic tantum adducemus. Deſcribuntur:

Lycoperdon veſicarium calyce quadrifido maius. BVXBAVM Cent. V. Tab. 28, a Cl. MARATTA, Abbate Vallumbroſano vocatur: *Geaſteroides phragmites, fuſcum, e volua erumpens, tetraradiis eleuatum curioſum.*

Orcella Senenſium, a Cl. BONAVENTVRA PEROTTO, Med. D. communicata.

Phalloidaſtrum Bononienſe alpinum, a Cl. BASSIO inuentum.

Phallus exilis a Cl. MARATTA traditus.

Mucilago cruſtacea alba MICHELII, quam tamen non pro planta, ſed pro turbinatorum terreſtrium teſtaceorum placentarum aggregato habendam eſſe credit, quod folliculos oculo armato in eadem diſtinguimus perforatos, breui emarceſcentes et in puluerem conuertendos. Horum etiam ſingulorum figurae adduntur.

III.

Phyſicaliſche Beobachtungen der Saamenthiergens, durch die allerbeſten Vergrößerungs-Gläßer, und bequemlichſten Microſcope betrachtet: und mit einer unpartheyiſchen Unterſuchung und Gegeneinanderhaltung derer Buffoniſchen uud Leeuwenhoeckiſchen Experimenten, in einem Sendſchreiben mit denen hiezu gehörigen Figuren und Kupfern, einem Liebhaber der Naturkunde und Wahrheit mitgetheilet von M. F. L. *Nürnberg, bey G. P. Monath,* 1756. 4. 3½ *Bogen*, 8 *Kupfertafeln.*

i. e.

Obſeruationes phyſicae de animalculis ſpermaticis, cum praeſtantiſſimis factae microſcopiis, ſiſtentes diſquiſitionem comparationemque experimentorum BVFFONII et LEEVWENHOECKII, additis rem illuſtrantibus, iconibus, epiſtolio communicatae cum naturae amatore per M. F. L.

Auctor huius ſcripti, cui ad finem epiſtolae plenum addere libuit nomen, eſt MARTINVS FROBENIVS LEDERMÜLLER, qui, dum minuta ſibi contemplanda ſumſit, in iis perfectionem eſſe demonſtraturus, obiter Cl. LE CAT taxat, qui polyporum fabricam explicare ſuſceperat. Ad BVFFONII autem delatus experimenta, ea minus certa habenda eſſe iudicat, quod compoſito ſit uſus microſcopio, ſimulque ſui, quod adhibuit, microſcopii praerogatiuam, ſimplicis ſcilicet, docet, quod noua addita, hic etiam delineata machina, ita uſui accommodauit, ut ad verticem poni, nec non ſubiecto ſpeculo

ſpeculo illuſtrari, itaque vices microſcopii compoſiti ſupplere poſſit. Hoc itaque adiumento animalcula mobilia, viua et caudata vidit, prout LEEVWENHOECKIVS, mortuaque perſpexit figuram mutaſſe et quae ſunt alia, ſuorumque experimentorum fidem ſolaris microſcopii ope confirmat, Buffoniana reiicit. Additae icones tum Cl. Auctoris tum LEEVWENHOECKII BVFFONIIque obſeruata referunt atque repetunt, quo facta inter ſe collatione veritas eo magis eluceſcat, tot ſtabilita atque deſtructa vicibus.

IV.

Diſſertatio inauguralis medica de Inſectis Coleopteris, nec non de plantis quibusdam rarioribus, quam praeſide D. GEORGIO FRIDERICO SIGWART, defendit Auctor *Ioſephus Theophilus Koelreuter*. Tubingae, 1755. 4. pl. 6½. tab. aen. I.

Ex duplici naturae regno deſumta haec ſpecimina egregium in perſcrutandis corporibus naturalibus adhibitae ſolertiae praebent documentum. Licet enim noſtris temporibus in his multum ponatur ſtudii, non fruſtraneus tamen, quin ad confirmandas ſententias utiliſſimus labor eſt, prima repetere atque recoquere principia. Hinc inſectorum genera, quoad eſſentiales et accidentales notas deſcribere, praecipuus fuit Cl. KOELREVTERI ſcopus. Retinuit tamen nomina, a Cl. LINNAEO data, et ſingulorum deſcriptiones uberiores expoſuit. Age recenſeamus lectu dignae commentationis praecipua momenta.

Generales itaque inſectorum differentias ante omnia explicat, quas in *cute oſſea*, extus poſita et tenerrima animalcula ab iniuriis defendente; in p. 3.

an-

antennarum praeſentia, reliquis animantibus fere omnibus denegata, variis quidem modis efformatarum tactuique inſeruientium; in *oculorum* diſcrepante ſtructura, utpote qui mirando modo ex pluribus polygonis lenticulis conſtant; tandem in *pedum* ſitu numeroque, quaerit. Situs mox in pectore mox in omnibus ſegmentis eſt, numerus nunquam infra quatuor, in ſingulis autem extremi pedis partes nunquam lateraliter, ſemper iuxta ſe poſitae deprehenduntur. In interna quoque ſtructura reſpirationis organum ſingularem requirit attentionem, quod varie conformatum nullibi tale extat. His praemiſſis, quod de Coleopteris, quorum alae duabus vaginis ſeu operculis duris, corneo cruſtaceis teguntur, et maxillas transuerſas, mobilesque habent, praecipue diſſerere voluit Cl. Auctor, tabulam coleopterorum ſynopticam ulterius explanatam, adiunxit, quam et hic adponere nulli dubitamus:

Inſecta ſunt.

Cl. I. *Alata*

Fam. I. Coleoptera

Ord. I. Elytris alas totumque dorſum tegentibus.

Gen. 1. *Scarabaeus.* 2. *Dermeſtes.*
3 *Caſſida.* 4. *Coccinella.*
5. *Chryſomela.* 6. *Curculio.*
7. *Cerambyx.* 8. *Carabus.*
9. *Cicindela.* 10. *Mordella.*
11. *Dytiſcus.* 12. *Elater.*
13. *Cantharis.* 14 *Blatta.*
15. *Gryllus.* 26. *Phyſapus.*

Ord. II. Elytris alas, ſed partem tantum dorſi tegentibus.

Gen. 1. *Staphylinus* 2. *Forficula.*

Ord. III. Elytris partem tantum alarum dorſique tegentibus.

Gen. 1. *Necydalis.*

Ord. IV.

Ord. IV. Elytris coadunatis
Gen. I. *Tenebrio.*
Ord. V. Elytris diſtantibus
Gen. I. *Meloe.*

Singula haec genera in ſpeciebus etiam ſingulis proprias notas habent, ſexus pariter ſuas.

Scarabaeus notas eſſentiales offert ſequentes: antennas, in extremo fine clauatas intus in lamellas mobiles diuiſo, aut erectas, aut patentes: marginem tibiarum anticarum exterius dentatum. Cutem quidem duram omnes poſſident, magnitudine autem diſcrepant, feminae cornubus deſtituuntur, vel perpuſilla gerunt, odorem non nunquam ſpargunt. In conformatione eorum obſeruamus: caput depreſſum, planum, thorace anguſtius, oculos ſubrotundos, nigros. Antennas capite longiores, prope oculum articulo inſertas, maxillas arcuatas, antennas oris quatuor incuruas, thoracem conuexum, ſcutum triangulare, ad quod elytra articulantur: ſub his alae cum clauicula nexae, ubi elytra deſinunt, introrſum flexae, cruciatim ſibi impoſitae, venoſae, muſculoſae, elytris, ſi explicantur, longiores: abdomen infra conuexum; anus retuſus; pedes robuſti, femora craſſa, tibiae ſenſim incraſſeſcentes, pedes extremi articulis triangularibus, in extremo unguiculati. Ex hoc iam exemplo, reliqua enim genera eodem modo pertractantur, apparet, quale ſit pretium huic tractationi ſtatuendum. Hinc notas, quas Cl. Auctor vocat, eſſentiales reliquorum generum tantum hic adducemus: p. 8.

Dermeſtes inſtruitur antennis clauatis, quarum claua utrinque aequalis, compreſſa, transuerſimque inciſa eſt, laminae vero antennarum immobiles ſunt; et tibias praeter ea habet inermes. Vita eorum tenax, experimento puluere tabaci facile enecari comprobauit. p. 11.

p. 13. *Coccinella* corpore inſtruitur haemiſphaerico, marginato, et antennis clauatis, integris. Per fraudem Coccinellae Indicae admiſcentur, elytris remotis, a qua corporis forma et colore rubro, alcali non eliciendo, differt, ob ſingularem fortem odorem, medicinae loco inſeruire poſſe non inutiliter iudicat Cl. Auctor.

p. 15. *Chryſomela* gerit corpus ouato oblongum, conuexum, antennas filiformes, thoracem longitudine ſuperantes, thoracem teretiuſculum.

p. 16. *Curculionis* antennae ſunt clauatae, roſtro elongato corneo inſidentes. Omnes, ſunt eorum permultae ſpecies, cutem duram habent, corpus pyri ſimilitudinem.

p. 18. *Cerambyx* oſtendit antennas ſetaceas, longas, arcuatas, thoracem teretiuſculum, pedes anticos extremos, articulis tribus plantaeformibus ornatos, et tibiae proximos, cordato triangulares. Coniungit cum hoc genere Noſter *Lepturam* LINNAEI, quae mollitie corporis, non tamen in uniuerſum tali et elytris truncatis diſcrepare dicitur. In quibusdam extremi pedum articuli lineares tantum obſeruantur.

p. 20. *Carabus* ſeu *Bupreſtis* habet antennas ſetaceas, thoracem planiuſculum, quadrangularem, marginatum, antice poſticeque exſciſſum. Non nulli alas ſub elytris nullas vel exiles admodum obtinent, et pedes eorum extremi antici articulos plerumque quatuor plantaeformes oſtendunt, quinto ſpinulis duabus armato. Ad hoc genus potius refert Noſter *Cicindelam capite, thorace pedibusque rufis, elytris nigro-coeruleis* *.

Cicin-

* Deſcripta haec fuit a Cl. DAN. ROLANDER in Act. acad. reg. Suecic. Vol. XI. an. 1750. p. 290. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 216.

Cicindela ab antecedente differt antennis filiformibus, quae corpore breuiores, ex decem autem articulis componuntur, maxillis prominentibus et dentatis, thorace rotundato-angulato. p. 22.

Mordella itidem antennas gerit longas, filiformes, ex decem articulis compoſitas, quorum extremus rariſſime globoſus, ſaepe acuminatus eſt, pedes autem poſtici ſunt ſaltatorii, quorum ope ad duos pedes uno ſe promouere poſſunt ſaltu.

Dytiſcus ſeu Hydrocantharus ſeſe diſtinguit corpore ouato-oblongo, ſuperne ac inferne aequaliter conuexo, pedibus compreſſis, piloſis ex uno, ſetoſis ex altero latere, hinc natatoriis. Antennae non conſtantis formae, ſaepe ſetaceae, quandoque perfoliatae, rariſſime clauatae ſunt, Modus coeundi et aerem renouandi ſimul deſcribitur. p. 24.

Elater ab elaſtica ſua ſeſe mouendi virtute dictus, quum dorſo impoſitus valide exſiliat, corpore inſtruitur oblongo, antennis filiformibus, thorace parum longioribus, quaſi dentatis, nec non thorace, ſubtus in mucronem deſinente, quo mediante dorſo impoſiti proſiliunt. p. 27.

Cantharis ſingulares offert characteres in antennis ſetaceis, capite et thorace longioribus, in thorace planiuſculo, ſaepe marginato et rotundato, in elytris, quae flexilitatem habent, et thoracis abdominisque veſiculis papilloſis. Veſiculae hae ex thorace et abdomine, eius ſcilicet lateribus, ſi tanguntur, progrediuntur et ſimplices vel ramoſae inueniuntur. Ramoſae plerumque rubrum liquorem continent, ſimplices pallidae apparent. p. 29.

Blatta exornatur antennis ſetaceis, corpore longioribus, piloſis, thorace marginato, lato, membranaceo, triangulari fere, angulis rotundatis. Elytra ad membranaceam ſtructuram accedunt, venoſa, et diaphana. Extremitas abdominis utrinque mu- p. 30.

crones duos exſtantes, ſupra caudam diuergentes, lanceolatos, articulatoſque gerit.

p. 32. *Gryllus* ſeu locuſta, itidem antennis ſuperbit ſetaceis, ſed elytra habet membranacea, venoſo-reticulata, et pedes poſticos longiores craſſioresque, ſaepe ſaltatorios. Feminae inſtruuntur cauda longa, quae componitur ex vagina duplici ſetacea vel enſiformi aut falciformi, qua mediante terrae ſua tradunt ouula.

p. 34. *Phyſapus* ſeu thrips, inter hemiptera ab aliis relatus, ad coleoptera pertinet, propter elytra ſolidiora cum alis tenerioribus incumbentia, parallela, et ob motum, quem cum aliis ſimilibus animalculis communem habet. Magnitudine vix lineam geometricam attingunt; corpus enim fere lineare habent, elytra abdomine anguſtiora ſunt, flexilia, et planta pedum veſiculoſa apparet.

p. 36. *Staphylinus*, corpus habet aeque lineare, molle et planiuſculum, antennas filiformes, thoracem exſuperantes magnitudine, extremas ſenſim craſſiores, differentem autem maxime characterem praebent veſiculae duae totidemque plumaceoli, ad ſextum ſegmentum abdominis conſtituti. Elytra quadratum efformant.

p. 38. *Forſicula* a forfice caudae dicta, antennas fert ſetaceo-filiformes et caudam forcipatam.

p. 40. *Necydalis* ſiue Muſca-cerambyx SCHAEFFERI, cuius elytra alis triplo breuiora ſunt, diſtinguuntur antennis ſetaceis, arcuatis, longis, decem aut undecim articulis conſtantibus, femoribusque extremis inferius clauatis et craſſis.

Tenebrio, Blatta officinarum, corpore eſt duro, craſſo, laeui, conuexo, antennae deprehenduntur moniliformes, elytra coadunata, utrinque deflexa, alae vero prorſus deficiunt.

p. 42. *Meloe*, Proſcarabaeus officinarum. Molle, oblongum, laeue eorum corpus eſt, antennae moniliformes,

mes, elytra coriacea, mollia, ſibi incumbentia, interiore ac ſuperiore margine, inferiore diſtantia, alae nullae. In medicina etiam adhibentur, cantharidum loco, varia ſub forma.

Ex his, de inſectis breuiter a nobis allatis, quae plantarum expectari debeat deſcriptio, non obſcure coniicitur, paucas ſcilicet rarioresque plantarum ſpecies, et quae in iis viderit, exponit Cl. Auctor. Sunt earum quinque.

1. *Schinus foliis pinnatis, foliolis ſerratis, impari longiſſimo, petiolo aequali.* LINN. Spec. Plant. *Molle* CLVS. cuius iconem addidit Cl. Auctor. Cuius corollam pentapetalam, rarius hexapetalam, decantheram, triſtylam, inuenit. Fructus bacca unilocularis, quae, ut rami, folia floresque, acrem ſuccum continet, hinc a Cl. HEISTERO *Piperodendri* nomen. p. 44.

2. Arbor, foliis lineari-lanceolatis, alternis, ſupra glabris, ſubtus hirſutis, floribus pedunculatis, pendulis. Omnia cum Royena conueniunt, excepto ſtaminum numero, ad quod genus etiam Cl. Auctor refert.

3. *Ranunculus erectus, foliis ſupradecompoſitis, foliolis linearibus, pedunculis uno verſu diſpoſitis.* Folia multifida, capillaria, vaginae membranaceae adhaerent, nodis caulium adcreſcenti. Pedunculi ex oppoſito latere folio egredientes, nudi dimidium pollicem longi. Habitat in terra lutoſo-ſabuloſa.

4. *Ophris bulbis aggregatis oblongis, caule ſubfolioſo, floribus ſecundis, nectarii labio indiuiſo.* LINN. Spec. plant. p. 945. n. 3. Eſt *Orchis ſpiralis* RIVINI, quae et in noſtris oris non infrequens eſt. Vid. BOEHMERI Fl. Lipſ. no. 516.

5. *Datiſca caule laeui* LINN. Spec. p. 1037. n. 1. *Cannabina* TOVRNEFORTII, a cannabi, cum quo quoad externum habitum conuenit, praeter qualitates, ſenſu percipiendas, ſtaminum numero, quae ab

ab octo ad undecim variant, ac capſula uniloculari, trigona, multis ſeminibus foeta, differt. Planta eſt diphyta.

V.

A Treatiſe on the Scurvy. Deſign'd chiefly for the Uſe of the Britiſh Navy. By CHARLES BISSET, Surgeon. London. Printed for R. and I. Dodsley. MDCCLV. 8. mai. pag. 162.

i. e.

De ſcorbuto tractatus, Britannicarum claſſium uſui in primis deſtinatus. Auctore CAROLO BISSET, chirurgo.

Satis quidem fuſe ante aliquod tempus de ſcorbuto egimus, quum illius libri ſummam, quem de hoc morbo conſcripſit Cl. LIND, lectoribus noſtris exponeremus *. Interim tamen ſuperfluum haud fore putamus noſtrum hunc laborem, quo non nullas etiam obſeruationes, quas de iſto morbo collegit Cl. BISSET, ipſiusque his ſuperſtructas opiniones ab iis, quas ille prior Auctor propoſuerat, non raro diuerſas, enarremus, ut ex iis inter ſe collatis eo facilius vera morbi natura, origo atque curatio, indagari perſpicique poſſint. Hunc quidem librum ſub hac, qua nunc prodiit, forma edere is noluerat, quum iſte alius modo operis pars ſit, in quo elaborando iam nunc deſudat, quod in praeſenti autem ad finem perducere nondum potuit. Exhibebit nimirum illud opus, quod inſignem, Anglis certe, promittit utilitatem, aeris, qui Indiam occidentalem amplectitur, naturalem temperiem atque morbos, quibus et indigenae, et Europaei, qui petunt illam mundi

* vid. Commentar. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 238.

mundi partem, tum ii, qui modo aduenerint, cum et reliqui, qui iam illi regioni adſueuerint, obnoxii eſſe obſeruantur *. Quum bellum autem, quod nunc proh dolor! Anglos inter et Gallos exorſum eſt, tum temporis imminere videretur, in America tantum excandeſcere creditum, hanc, quae de ſcorbuto agit, partem ab illo opere ſeiungere publicique uſus facere maluit, quam diutius eam retinere, quae ciuibus ſuis praeſenti tempore maximo eſſe poſſit emolumento. Aliam itaque etiam illius partem, quae mutationes exponit in ſeptentrionalium regionum incolis obuias, quando in regiones abeunt, quas ſol verticaliter ſitus extorret, praefaminis loco, iam praemiſit huic libro, unde apparet, quam varia ratione Anglicorum nautarum afficiatur valetudo, qui curſum ſuum dirigunt verſus Americam, pro variis et coeli regionibus, quas attingunt, et anni temporibus, in quibus iter ſuum ſuſcipiunt. A nobis in praeſenti ſaltem modus inde deſcribendus erit, quo ſcorbutus, ex mente Cl. Auctoris, ſuam capere ſoleat originem. Quando enim Britannicae naues e portu Maderenſi p. 3. progreſſae fuerunt in altum mare et ab initio itineris optima ſanitate fruuntur nautae, hi poſt aliquod tempus maiorem ſolis aeſtum experti, ſequentia oſtendunt phaenomena: Solidae corporis partes earumque in primis externae, quam maxime ſolent expandi atque relaxari, fluidae autem vehementer rarae fiunt; pinguedo ſub cute reperiunda liqueſcit, motuque ſanguinis aucto, humores facile perlabuntur vaſa cutanea; hinc perpetuo cutis madeſcit ſudore, ſub motu corporis vel paululum auctiore copioſius prorumpente. Poſtquam illi deinde meridionalem propius aduenerunt regionem ſolemque fere verticaliter

** *The natural conſtitution of the atmoſphere, and the diſeaſes incident te new-comers, ſeaſoned Europeans, and natives in the Weſt-Indies.*

liter ſupra ſe habent, iſta in ſudorem procliuitas increſcit, et ſalutares aeque humores, ac excrementitiae particulae, diſſlantur; vaſa tandem antea expanſa ſubſident; ſanguinis motus tardior fit; vigor faciei flacceſcit; appetitus imminuitur; parcior fit ſudor; totum corpus langueſcit, primaque ſcorbuti ſymptomata obſeruantur, quae, itinere nunc ulterius protracto, grauiora fiunt, aegrorum quoque numero increſcente, in quibus iam viſcidus rarusque fit ſudor. Frequenter occurrunt febres continuae vel remittentes, per ſe non adeo ac ratione modi, quo terminari ſolent, exitioſae, in putridum ſcilicet ſcorbutum, peſſimum huius morbi genus, exeuntes. Poſt ſex ſeptemue circiter ſeptimanas ad Antigoam perueniunt naues, ſcorbuto nunc uniuerſe in iis graſſante ſubitoque ingraueſcente, tum quoad ſui virulentiam, cum aegrorum multitudinem, donec
p. 6. iſtae ad inſulam Iamaicam fuerint appulſae. Variant hi quidem effectus pro vario nautarum robore praegreſſaque valetudine, pro vario victu potuque, variis quoque nauium locis, vario anni tempore, va-
p. 10. riaque coeli temperie. In ipſius quoque Americae prouinciis raro vehementer ſcorbuto affligi ſolent Europaei, ſimul ac modo torridae ſic dictae zonae adſuefacti fuerint; quippe quam mutationem in eo conſiſtere Cl. Auctor exiſtimat, ut ſolidae corporis partes maiorem rigiditatis gradum adipiſcantur; id, quod intra unius anni ſpatium, quod ibi viuant, fieri dicit. Subito etiam aeris e calido in frigidum facta immutatio, propter materiem perſpirabilem retentam, condenſatam, viſcidam acremque factam obſtructionesque in minimis vaſis efficientem, generando ſcorbuto plurimum fauet, praeſertim ſi atmoſphaerae ſimul accedat humiditas, a quali demum cunque cauſa orta; adeo ut aer et nimium calidus et frigidus, pro reliquarum, quae ſimul concurrere poſſunt, ex-

terna-

ternarum cauſarum ratione, ſcorbutum efficere poſſe cum veri ſimilitudine dici poſſit.

Quibus nunc cunctis rebus expoſitis, in *primo* ipſius libri *capite de ſcorbuti progreſſu diuerſisque eius generibus* agere pergit. Poſtquam igitur ea, quae ad ipſum hunc morbum pertinent, ſatis nota ſymptomata tresque illius pro diuerſa horum multitudine ac vehementia determinandos gradus enarrauit, diuerſam ſaepius ſpeciem induere dicit ſcorbutum, ratione in primis non nullorum in variis hominibus ſub certis conditionibus occurrentium ſymptomatum, unde illius quinque genera oriuntur, quorum primum eſt, quo anaſarca, ut princeps ſymptoma, totum corporis habitum occupat, ſub finem ut plurimum diarrhoeam efficiens colliquatiuam. Summa ſolidorum adeſt laxitas, minor autem humorum acrimonia: non ſaepe quidem occurrit hoc morbi genus, ſed curatu eſt eo difficilius. In ſecundo anaſarca, quo nomine omnem comprehendere videtur Auctor tumorem oedematoſum, crura tantum atque pedes vix non ſemper afficit, minus dolens ac in illo priore caſu; leuior quoque ſolidorum ſubeſt laxitas; at inſignior humorum acrimonia et viſciditas; curationem facilius recipiens. In tertio adhuc leuior obſeruatur ſolidorum laxitas tumorque crurum oedematoſus digito prementi fortius reſiſtit interdumque prorſus abeſt, ſuris tantum attactu durioribus. Humores admodum acres ſunt atque viſcidi et inſignis fibrarum rigiditas obuenit in non nullis partibus, in aliis contra laxitas. Altero quidem genere grauius hoc eſſe ſolet, mitius tamen primo. Quartum genus raro occurrit hominesque aetate prouectiores prae aliis infeſtat. Siccus atque emaciatus eſt corporis habitus, excruciantes autem ſaeuiunt dolores *ὀστεοκοποι*, mediam in primis et anteriorem oſſis tibiae partem quaſi perterebrantes. Fibrae rigidae, humores aliquantum viſcidi, ſed vehementer acres.

p. 24.
p. 27.

p. 30. Quintum et ultimum genus prae reliquis malignum eſt iisque citius opprimit. Continuam aut remittentem febrim ut plurimum ſequitur, vel eius quoque generis lentam comitari ſolet interdum. Acrimonia potiſſimum oleoſa, putreſcens, ſanguinem atque humores corrumpere videtur; unde diriſſima ſymptomata, ulcera, anima quam foetidiſſima, caries oſſium, faciei crurumque tumor, nigricantis vel ex luteo bruni coloris.

p. 38. *Secundum caput externas internasque ſcorbuti cauſas* explicat et *quaedam theoriae nouae* continet *principia, quomodo reſoluantur obſtructiones febriumque criſes fiant.* Ex generalibus, remotis atque praediſponentibus, cauſis principem eſſe intenſiſſimum aeſtum a ſole verticaliter poſito ortum, et corpora ei nondum aſſuefacta extorrentem, iam ſupra dictum eſt; cui ſi addere velis ſalitum tenacemque nautarum victum cum aqua corrupta, putrida, tum habebis cauſam, quae effectus illius praediſponentis in producendum ſcorbutum proxime determinat. Quodſi vero illi effectus ſubito et cum aliqua vi gignentur, aut copioſae accedant pluuiae cum aliis diaetae erroribus, febris oriri poterit continua, in peſſimum ſcorbutum abiens, vel etiam alius morbus, pro ratione reliquarum circum-
p. 41. ſtantiarum oriundus. Multa deinde Cl. Auctor diſputat contra Cl. LIND, qui primam ſcorbuti cauſam in frigido humidoque aere poſuerat; quam litem tamen recte, niſi vehementer fallimur, ita componi poſſe vel potius debere opinamur, ut utramque aeris conditionem, nimis humidam in primis, ſi diu perſeueret et extremum aliquem gradum attige-
p. 45. rit, in hanc cauſarum claſſem referre velimus. Inter alia quoque contra illum monet, ſpirituoſos liquores, modo ſatis fuerint diluti, tribus aquae partibus ſaccharoque additis, inter efficientes cauſas non eſſe enumerandos, tribuitque in primis ſaccharo, propter ſaponaceam leniterque reſoluentem vim, egre-

giam

giam contra hunc morbum virtutem. Aquae porro, praeter putridam et verminoſam eius indolem, non ſufficiens copia ad extinguendam ſitim, qua poſt victum valde ſalitum affligi ſolent nautae, vel quoque ſpirituoſus tantum aſſumtus potus, vel nimis quoque tenuis cereuiſia, uti et ea, quae lupulo non condita fuit, (*ale*), cauſae ſunt ex iis, quae ad ſcorbutum praediſponunt. p. 50.

Ad internam proximamque deinceps indagandam ſcorbuti cauſam Cl. Auctor progreditur. Solidarum enim corporis partium laxa atque debilis conditio, ab extremo ſolis aeſtu primum effecta, ſeſe ipſa paulo poſt et effectus inde pendentes magis magisque auget, viribus et digerentibus et aſſimilantibus vehementer infirmatis, pinguedine per aeris calorem liquefacta reliquisque humoribus admixta, quibuscum ſucci ex alimentis durioribus aſſumtis extracti quidem, haud vero rite praeparati atque ſubacti, ſed crudi, viſcidi, una cum bile reliquisque gaſtricis humoribus nimium oleoſis et acribus factis, miſcentur; inde nimis lenta ſanguinis circulatio, vaſorum obſtructiones, ſecretiones laeſae, perſpiratio potiſſimum imminuta, humorum dyſcraſia et acrimonia, cum reliquis ſcorbuto propriis ſymptomatibus, quae in tertio tamen ultimoue morbi ſtatu, quintoque eius in primis ſupra memorato genere, ita mutari ſolent, ut lentorem ſanguinis, qui huc usque aderat, reſolutum ſequatur illius nimia tenuitas, putridaeque irregulares febres, tandemque mors. p. 58.

Pro varia quidem hominum conditione proximam, quae ſcorbutum efficit, cauſam ad malignas etiam febres, intermittentes in primis, et cachexiam aliquam inde oriundam diſponere poſſe iam ſupra dictum eſt. Quamuis interim inſignis huius cachexiae cum iſta vere ſcorbutica intercedat ſimilitudo: in eo tamen aliqua deprehenditur differentia, quod cachexiam a febribus iſtis intermittentibus ortam tam p. 61.

grauis

grauis laſſitudinis ſenſus non comitetur, ac in ſcorbuto; nec iſtae cutis maculae atque puſtulae, aut gingiuarum ulcera, neque tam valide renitentes oedematoſi tumores, nodi, exoſtoſes, contracturae, ſanguinis profluuia, ulcera luxuriantia atque lipothymiae obſeruantur. Vtraque porro cachexia differt ratione curationis: illa enim vere ſcorbutica victui vegetabili maturisque fructibus ut plurimum cedere longeque citius curari ſolet ac altera, quae ad ſui curationem et longius tempus, et alia poſtulat remedia, incidentia, laxantia, roborantia, e. ſ. p. Non numquam tamen accidit, ut bina huius cachexiae genera in uno aegro ſimul occurrant fiantque pertinaciſſima. Ipſa quoque morbi ſedes differre, eaque ſcorbuti in ſanguineis ſeroſisque vaſis obſtructis, altera vero cachexiae intermittentes febres ſequentis in longe tenuioribus lymphaticisque potiſſi-
p. 64. mum vaſculis conſiſtere videtur. Quoniam vero obſtructi humores, quo ſunt tenuiores, eo quoque lentius reſoluuntur atque, uti ex Cl. PRINGLE conſtat obſeruationibus atque experimentis, longe ſegnius corrumpuntur ac in putredinem abeunt: inde quoque fit, ut citius in exitum terminetur ſcorbutus, ac iſte alter ipſi ſimilis morbus. Quid? Quod tenuiſſimi corporis humores, qualis eſt in primis fluidum nerueum, antiſeptica gaudent virtute ideoque, uti ex alimentis diuerſiſſimae indolis ſuccum extrahunt corpori noſtro conuenientem atque proprium eumque noſtris humoribus tandem prorſus aſſimilant, ſic et in morbis reſiſtunt putredini ſoluuntque ortas in variis corporis partibus obſtructiones.

p. 66. In binis enim hiſce conditionibus ponit Cl. Auctor hancce nouam ſibi viſam theoriam, qua febrium criſes atque ſpontaneae et ſalutares obſtructionum fiant reſolutiones, ut nimirum et fluidi neruei ſimiliumque tenuiſſimorum corporis ſuccorum, uti et bilis, ſi nempe illi omnes nondum fuerint corrupti, con-

concurrat auxilium et ipſorum ſtagnantium humorum ea oriatur mutatio, ut ſponte putreſcenti ſtatui aliquantum appropinquent ideoque tenuiores fiant. Quod hanc ultimam vero attinet conditionem, eo p. 69.
in primis phaenomeno in hanc ſeduci ſeſe paſſus eſt Cl. Auctor opinionem, quod ſanguinem immediate poſt ſalutarem aliquam factam criſin multo eſſe tenuiorem magisque atrum deprehenderit, ac ſub infauſtum biliosarum febrium exitum, quin et poſt ipſam mortem. Vere tamen putridam ſanguinis diatheſin p. 72.
in ſcorbuto numquam exiſtere putat, certe ſi exceperis ultimum eius ſtatum, in quo propius ad hanc is accedere videatur; quippe quam reſolutionem ſanguinis putridam in genere inter rariſſimos caſus referendam eſſe, nec in ipſis febribus hecticis, praeter communem medicorum opinionem, locum habere: quapropter etiam, ut in tranſitu hic loci id dicamus, incraſſantia dicta remedia corticemque peruuianum in illis valde eſſe nociuum, e contrario autem et frequentem venae ſectionem cum uſu nitri ſuccique plantaginis latifoliae valde eſſe proficuum.

Miſſis tamen his, paſſim ſibi contradicere viſis, p. 81.
ad ſequens, numero *tertium, caput* progredimur, quod *de modo praeuertendi ſcorbuti* agit. Copioſum oryzae uſum in genere commendat Cl. Auctor, quippe cuius virtutem antiſcorbuticam anno huius ſeculi quadrageſimo primo per ipſam experientiam cognoſcendi ſe habuiſſe aſſerit occaſionem, quum illud frumenti genus, ſi rite coctum fuerit, digeſtu ſit facillimum, ſalubrem praebeat victum, et ſolidas totius corporis fibras, ventriculi potiſſimum et inteſtinorum eximie corroboret.

Vberius deinde proponit aliquam methodum, p. 86.
quam praeueniendo huic morbo apprime conuenire dicit: Farina nempe, quae ex auena praeparata recipi ſolet in naues, ſit bene commolita absque additis furfuribus; pulti autem inde praeparandae te-

nuiori

nuiori adiiciatur ſacchari aliqua copia viliſſimi tantum pretii; Piſa coquenda, ut digerantur facilius, condiantur pipere: Caſeus ex alimentorum genere, quibus nautae utuntur, proſcribatur: Caro ſalita ante coctionem probe eluatur: Sinapi, vel etiam cepae, adhibeantur cum illius carnis eſu: Vaſa, quibus continetur aqua, ſi haec putrida iam facta ſit, per aliquot dies antea aperientur, quam aqua porrigatur nautis, ſique haec verminoſa ſit, indantur illis aliquot fruſta calcis viuae in denſa charta inuolutae; An forte praecaueri poſſit aquarum putredo, ſacchari aliqua portione admiſſa? Cl. Auctot quaerit. Potus porro ſit ex cereuiſia optimae notae et bene lupulata, ſique defecerit, ex ſpiritu frumenti cum tribus aquae partibus diluto, addito vel ſaccharo, vel quocunque demum ſucco acido: Oryzae uſus frequens ſit, loco panis conſueti bis cocti, praeſertim ſi aer frigidus ſit, humidus vel quoque nebuloſus, quum ſcorbuto non ſolum, ſed et febribus omnis fere generis aluique fluxibus praecauendis inſeruiat: Vt ſiccis nautae ſemper amicti eſſe queant veſtibus, iis certe binis inſtrui debent: Nauis omnia loca quouis demum modo ſeruentur pura atque ſicca: Nautae iam ante breue tempus reduces facti, haud facile naues illico conſcendere iubeantur: Vegetabilium copia ſemper detur: In valde humida pluuioſaque tempeſtate ſpiritus frumenti portio, quae nautis porrigitur, duplicata ſit:

p. 95. *Caput* deinde, quod ſequitur, *quartum* exhibet *methodum curandi ſcorbutum in primis in ipſo mari aut locis deſertis.* Determinatas quidem ſic dictas indicationes curatiuas Cl. Auctor non proponit, ſed multa tantum remedia enarrat, pro diuerſo morbi ſtatu variisque tantum ſymptomatibus a medico adhibenda. Sub initium eius omnia fere ſuperflua ſunt medicamenta, ſed vitae regimen mutari aegrorumque conditioni accommodari debet. Victus leuis ſit ex farina

auena-

auenacea bene praeparata, addito ſemper aliquo ſucco acidiuſculo, v. g. citri, oryza in primis cum vino ſaccharoque comedenda, infuſo theiformi e baccis iuniperi, ſaſſafras: potus ſit bonae indolis, quem ſupra iam deſcripſimus: aegri abſtineant ab omni carne ſalita, alioue alimento duro, corpus vero, quantum poſſunt, in libero aere exerceant. Remedia propinentur modo talia, quae varia morbi ſymptomata poſtulant, ſalina, amara, roborantia, diuretica, quippe quae in leucophlegmatico iſto genere in primis conueniunt; diaphoretica vero non niſi raro ſunt proficua, vegetabilia e contrario, quae aluum ſoluunt viasque ſtimulant urinarias, qualia fere cuncta eſſe ſolent ſic dicta antiſcorbutica, vix non ſemper proſunt.

Quinque ſcorbuti genera, pro eius ſymptomatibus praecipuis determinanda, ſupra enarrauimus, quibus nunc ſingulis debita Cl. Auctor aſſignat medicamenta. In primo genere reſpiciat medicus in pri- p. 106.
mis hydropem, eique opponat in primis talia, quae aromaticae, acris et ſtimulantis, indolis ſunt. Contra oedematoſos, qui inferiores potiſſimum corporis extremitates occupare ſolent, tumores poma citri integra, ceu quaſi remedium ſpecificum, commendantur, quorum recenter diſſectis fruſtis illi aliquoties per diem fricari debent. Alterum genus ſoli fere ve- p. 110.
getabilium uſui cedere obſeruatur, ex medicamentorum claſſe autem attenuantia, aperientia et demulcentia potius, quam euacuantia, requirit. Maior autem adhuc attenuantium et demulcentium, minor vero roborantium proportio adhibeatur in tertio genere. Fotus ex calida cum ſapone ab initio conducunt, quodſi vero rigidae partes flexiliores euaſerint, ſubſtituatur frigida, in primis marina. Inunctiones cum oleis, in aliis caſibus ſalubres, in ſcorbuto nocent; iuuant autem ſemper fructus illi iam memorati citri. Eadem fere curandi methodus valet etiam p. 114.
contra

contra quartum genus. Quintum autem denique fructus in primis ſubacidos leniterque adſtringentes cum remediis acidis, cortice chinae aliisque ſimilibus, poſtulat.

p. 121. In *capite* poſtea *quinto* de illo ſcorbuti genere Cl. Auctor exponere pergit, quod ex *acido* in primis et *aceſcente farinaceo victu* ſuam capere ſolet originem. Ex alimentis enim eius generis digeſtu difficilibus, viſcidamque ſanguini qualitatem inducentibus, vere ſcorbuticam oriri poſſe cacochymiam ſaepius obſeruauit Noſter, praeſertim ſi humida, pluuioſa frigidaque ſimul acceſſerit tempeſtas atque ſolidas corporis partes valde laxas reddiderit. Propter bilis virtutem ab acrimonia iſta acida vehementer imminutam et inſignem in primis viis praeſentem viſciditatem pertinax urget alui ſegnities. In icterum quoque inclinat potiſſimum hoc ſcorbuti genus, idque, ſi diu perſeuerauerit, indolem acquirit illius, quod in mari ibique potiſſimum a duro ſalitoque victu et pu-
p. 129. trida aqua oriri ſolet. Quamuis itaque a ſui initio acidi ſcorbuti nomine inſigniri queat morbus, in ſuo tamen progreſſu in aeque putridam corruptionem mutare poterit humores, ac omnis demum ab aliis cauſis generatus ſcorbutus. Remedia in primis, quae acido reſiſtunt atque corroborant, amara, laxantia et martialia maxime ſunt proficua.

p. 132. Vltima tandem bina *capita, ſextum atque ſeptimum,* complectuntur ea, quae Cl. Auctor obſeruata habet *de ſcorbuticis atque malignis ulceribus eorumque curatione.* Ipſa negotiorum laborumque, quibus detinentur nautae, ratio vulneribus eos facile reddit obnoxios, quae iam per ſe in illis hominibus curatu ſunt difficilia et in maligna degenerare ſolent ulcera. A ſolo tamen ſcorbuto, eius certe quatuor primis generibus, talia non crebro per ſe oriuntur, ſi nimirum gingiuas osque internum exceperis. Nihilo autem minus dantur eorum aliquot modi, qui atten-

tionem

tionem chirurgi merentur, quorum primus ille dici poterit, qui a ſola tantum partium contuſione oritur absque manifeſta humorum diatheſi ſcorbutica. Orae horum ulcerum ſolent eſſe calloſae, eleuatae atque liuidae, fundus durus et ſubliuidi coloris, ſanies vero inde profluens tenuis, acris et variegati ſaepe coloris, quae tamen, ſi copioſa eſt, ipſius, ſi acceſſerit, ſcorbuti retardare valet progreſſum. In iis etiam, qui in terra degunt humorumque vere ſcorbutica afficiuntur cachexia ſine aliis morbi ſymptomatibus, in cruribus occurrunt interdum talia ulcera, quorum fundus in primis vehementer dolet, praeſertim in feminis, quarum fluxus menſtruus ſuppreſſus eſt.
Alia deinde ſunt ulcera, quae fere numquam ſine ha- p. 135.
bitu ſcorbutico accidunt, in quibus orae non calloſae, fundus autem ſpongioſus atque putridus ſunt, interdumque oſſa, quae adiacent, afficiuntur. Tertiam porro claſſem conſtituunt ea, ex quorum ſuperficie luxurioſa propullulat fungus profunde rubri coloris, quae non verum pus, ſed ſaniem tantum ſanguinolentam, ipſumque ſanguinem emittit leuiſſimo ſub attactu. Quartum forte genus adhuc numerari poſſet, a carie oſſium maxillarium determinandum, quae ſub extremo quinti illius generis ſtatu interdum obſeruatur. Horum itaque ulcerum varia conditione p. 141.
explicata, methodum iis medendi tradit Cl. Auctor variae illorum faciei accommodandam, quam vero omnem, ſine ſanguinis antea ſublata corruptione habituque corporis emendato, parum eſſe poſſe proficuam, ipſe fatetur.

VI.

Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis Tom. IIII. ad annum MDCCLIIII. Gottingae. Sumtibus Eliae Luzac. 4. alph. 2. plag. 19½. tab. aen. 8.

Commentationes, in hoc tomo exhibitae, in partem phyſicam et mathematicam, nec non in philologicam et hiſtoricam diſtribuuntur, in praefatione vero, ut mos eſt, ea, quae per hunc annum in ſocietate peracta fuerunt, explicantur breuiter. Accedunt deinde ſequentes diſſertationes:

p. 1. 1) Cl. HOLLMANNVS *obſeruationum meteorologicarum annorum* 1750, 1751 *et* 1752 *ſumma capita edit, cum integris anni* 1753 *. Hygrometricae et hyetometricae quod abſint, excuſat in primis, quia opportunitas inſtituendi defuit. Recenſet vero tum thermometri et barometri ſtatus, tum ventorum directiones, additis tempeſtatum viciſſitudinibus, tum Got-
p. 20. tingae, tum alibi ex nouis publicis. Zona lucida, non adeo frequens phaenomenon, quod primum ſe credit in Germania vidiſſe, et in nouis Lipſienſibus literariis anni 1731 p. 759. et 830 ſeq. deſcripſiſſe, apparuit februarii 27 anno 1730 in Belgio et Boizenburgi in comitatu Swerinenſi et alibi; ipſe tunc non vidit, vidit vero auroram borealem, cum qua ori-
p. 52. ginem eandem agnoſcere veriſimile eſt. Anno 1753 obſeruationibus illis triplicibus, quas nominauimus, ter ſingulis diebus Gottingae inſtitutis, ad latus ponit correſpondentes, ſimiliter inſtitutas Clausthaliae in montibus Hercyniae a Cl. MEHLIS; locus Gottinga milliaribus germanicis ſex vel ſeptem diſtat:
p. 91. motus vero mercurii ibi et Gottingae hora fere eadem ſimiles contigerunt, et ſi aliquot dierum ſumma colligi-

* propoſita d. 9 febr.

colligitur, magnitudine aequales: unde patet, quam conſpirent atmoſphaerae mutationes. Altitudo mercurii Clausthalienſis ſemper plerumque 1″ 30‴ pedis Londinenſis minor eſt Gottingenſi; unde mediam Clausthalienſem altitudinem colligit 27′92 circiter pedis Londinenſis, vel 26′2 pedis Pariſini, hincque Clausthalia altior ſita eſt horizonte Gottingenſi, pedibus Pariſinis 1226 ex Cl. SVLZERI hypotheſi, vel 1374 ex alia Cl. MAYERI. Memoratu vero dignum eſt, aeris ſtatum multo magis temperatum eſſe in montibus illis, quam ſaepe in locis multo decliuioribus.

2) Cl. TOBIAS MAYER *experimenta circa viſus aciem* *, edit. Quaerit ſcilicet, quam exiguus eſſe debeat angulus ille, ſub quo, ſi obiectum in oculum incurrit, id neque diſtinctum ſatis, neque plane non, ſed confuſum tantum et veluti euaneſcens appareat, obiecta minorem angulum conſtituentia plane inuiſibilia ſint, maiorem efficientia diſtincte videantur. Hunc angulum vocat terminum viſionis: pendet is vero a luce, quo obiectum colluſtratur, fortiore vel debiliore, item a figura et colore tum ipſius obiecti, tum fundi, ſuper quo apparet, ab oculi etiam conſtitutione. Ita puncta nigra, in charta plana et albiſſima atramento ſinico facta, in loco umbroſo, apertis feneſtris, a ſole tum meridiano auerſis, oculo myopi, ſed lente conueniente munito, euanuerunt in diſtantia, diametris illorum circiter 6000 vicibus maiore, hoc eſt, ſub angulo ſecundorum 34. Similia experimenta plurima ſollicite inſtituta recenſet, et hypotheſin quandam condit, pro definiendo termino viſionis obiecti, noctu candela ſebacea colluſtrati. Reperit enim ſatis ad experimenta accedi, ſi terminus viſionis ſtatuatur in ratione ſubtriplicata diſtantiae lucis (candelam ſebaceam dicere voluit): p. 108.

p. 97.

 Cl.

* recitata d. 6 april. 1754.

Cl. HOOKII experimenta ſimilia, a Cl. SMITH in Optices ſyſtemate memorata, item Cl. IVRINII, quae ibidem leguntur, non nominauit, illa vero, niſi fallimur, cum his conueniunt.

p. 113. 3) Cl. IO. GEORGIVS ROEDERER *foetus paraſitici deſcriptionem* tradit fuſam ſatis, at accuratam, iconibusque illuſtratam elegantiſſimis. Tribus vero ſectionibus monſtri huius abſoluit ſollertiſſimus diſſector hiſtoriam, ita, ut in prima * viſcera et vaſa, in ſecunda oſſa atque muſculos, in tertia ** denique ortum eiusdem declararet: Quorum quidem omnium atque ſingulorum uberior iam a nobis tradi vix poterit expoſitio, tum quod ab copiam exponendorum diffuſa nimis, tum etiam ſine iconibus minus clara eadem foret; hinc memoratis tantum non nullis iisque praecipuis aberrationibus, pauca, quae ortum ſpectant, ſubiungere lubet. Mater, durante grauiditate, vehementioris animi affectus ſibi non conſcia, mortuas enixa eſt gemellas, quarum altera bene conformata fuit, altera monſtroſa, quam Noſter iam deſcribit. Pondus eius tres libras, longitudo vero pedem aequauit cum tribus unciis tribusque lineis: ſoror contra tres libras cum duabus unciis pependit, longa pedem cum quinque pollicibus et nouem lineis. Habitum externum ſi ſpectes, caput peramplum fuit, ſine colli ſpecie cum thorace continuum; dextri brachii loco tuber molle; ſiniſtrae manus loco tuberculum ſimile; pedis extremi tres tantum digiti. In facie ſeſe obtulerunt palpebrae exiguae; dextra inferior a cute reliqua vix diſtincta; naſus loco tuberculum; labia tumentia, ſuperius inciſum; oris inciſura cauum non penetrans; tumor vero a genis ad humeros deſcendit, ſub cute complectens,

* praelecta d. 23 april. 1754.

** ſecunda et tertia praelecta 2 nou. 1754.

ctens, praeter copioſum liquorem gelatinoſum flaueſcentem, quatuor ſaccos maiores, propria membrana ſimilique inſtructos liquore. Ad interiora ſi pergas, in calua multum aquae, cerebri, cerebelli medullaeque oblongatae, vix a ſe inuicem diſtinctarum pauca ſuperſunt rudera; thoracem replet tela celluloſa craſſa ſimileque liquidum viſcoſum; deſiderantur pulmones vaſaque aerea; cor latet in pericardio ſuo, unico praeditum ventriculo, unicoque ſinu, reliquis deſtitutum partibus; ventriculus in plures cellulas diuiditur, factas ex columnis carneis; ſinus vero membranaceus ex vena caua naſcitur, ſola cum corde connexa. Diaphragma duplex fuit, muſculoſum alterum verum; alterum membranaceum peritonei propago; inter utrumque ſpatium liberum, quod excipit venas umbilicales et cauas. Funis enim umbilicalis duas habet venas, dextram et ſiniſtram; illa cum vena caua dextra coalita, in thoracem tranſit, atque cum corde coniungitur; haec in thoracem ingreſſa tres ramos ſpargit, unum, qui ſe in ipſo thorace diſtribuit, alterum, qui ad caput et extrema ramos dimittit, tertium denique, qui retrorſum deſcendens in abdomen venam cauam ſiniſtram format. Aorta ſola, cum corde haud connexa, ſine arcu ramos ſuos dimittit ad caput et extrema.

In abdomine plura deficiunt viſcera, adſunt ad- p. 124.
huc renes, veſica et inteſtina; craſſa longiora, mirum conuoluta, anguſto coecoque terminantur fine, cum tenuibus non iuncta; tenuia breuiora ſunt, utrinque etiam clauſa; utrorumque cauum replet mucus craſſus, viſcidus, cinereus. Aquae rubellae copia inſignis in cauo abdominis occurrit. Plura iam praeterire taciti cogimur, pauca adhuc memoraturi de oſſibus.

Os frontis unicum eſt ſiniſtrum, dextri locum p. 139.
ſupplet os bregmatis antrorſum flexum, maius ſiniſtro oſſe bregmatis. Orbitas peculiaris fornix format

oſſeus. Oſſis temporum dextri pars ſquamoſa eſt perexigua, zygoma craſſum atque latum; annulus oſſeus deficit, cauitas vero tympani ipſa anguſta et compreſſa, praeter malleum minusque oſſiculum aliud, pluribus deſtituta eſt, quibus alias gaudet, partibus. Deeſt etiam canalis caroticus, hinc arteria carotis per foramen lacerum caluam intrat. In ſiniſtro oſſe temporum deeſt zygoma, ſola incus ſupereſt in cauitate tympani ampla relicta. Vt taceamus reliquorum oſſium faciei defectus deformitatesue, ad trunci oſſa properamus, coſtasque deprehendimus naturales, praeter primam, cuius ſola ſupereſt pars poſterior, pro diaphyſi vero tuberculum acutum, cartilagine obductum; ultima ſpuria breuis eſt et cartilaginea; ſternum cartilagineum, in duo diſtinctum fragmenta; deficit proceſſus enſiformis. Dextrum brachium ſolae componunt clauicula et ſcapula; illa ſolito breuior eſt neque curuata; huius vero ſpina transuerſa eſt, cauitatis autem glenoideae loco globulus eminet, cartilagine obductus, mobilis, capſulaque inuoluitur externe membranacea. In ſiniſtro brachio humerus iuſto breuior, radius cartilagineus et ulna breuiores etiam erant, mutuo ſibi non iuncti; carpus ex quatuor cartilaginibus, metacarpus ex tribus tantum conſtat oſſibus, quorum primum pollicis eſt, reliqua duo unicam ſuſtinent digiti phalangam. Circa extremitates inferiores notamus in dextro pede, praeter mutatam metatarſi oſſium formam et ſitum, digitos tantum quatuor, tres vero in ſiniſtro pede.

p. 161. Ad muſculos tandem etiam ſi reſpiciamus, praeter ſingularem pallorem, alios vel plane defuiſſe, vel paruas eorum ſuperfuiſſe partes, alios ſitu, nexu, directione fibrarum a naturali typo aberraſſe deprehendimus; quae quidem ſingula ab Cl. Auctore deſcripta accuratius, atque delineata exacte iconibus, iam ſilemus,

mus, lectoresque noſtros ad ipſam tractationem ablegamus lectu omnino digniſſimam.

Ad ultimam denique de ortu foetus huius monſtroſi quum nos vertamus ſectionem, Cl. Auctorem tum huius, tum monſtroſi foetus generatim ortum explicare copioſe ac erudite tentaſſe adnotamus. Duplex autem in primis inter eruditos quando iam inualuit hypotheſis, alia, quae ſingularem adſumit primae conformationis cauſam mechanicam, altera, quae accidentalem ſtatuit cauſam violentam, ultimam hancce Noſter affirmat multisque argumentis contra illam euincit. Tot enim oſſium, muſculorum, viſcerum, vaſorumue defectum, vel fragmenta reſidua, concretiones deformitatesue ſatis oſtendere compreſſionem aliquam violentam, huiusque teſtem eſſe in calua, thorace, abdomine effuſam aquam, ex dictis demonſtrat Noſter, atque, ſi forte inde difficilius liqueat cordis aliarumue partium defectus vel vitiata fabrica, ad cauſas in prima conceptione agentes nos iubet reſpicere. Nimirum ſi vis plaſtica ſeminum utriusque ſexus, quam veterum hypotheſin amplectitur Noſter, ſibi viſam valde probabilem, in prima conceptione, a vi morboſa aliqua, ut vitio uteri, tubarum, cet. turbetur, iunctae illae vires alium effectum compoſitum producturae ſint, neceſſe eſt. Atque faciliores inde explicatu fiunt quaecumque monſtroſarum fabricarum aberrationes, minime ſapientis manus tribuendae conformationi. Structura enim eiusmodi, quae ex deſcriptis patet, foetus noſtri vitae minus commoda, ſed exitio potius fuit, quum cordis deficiente vi, omnis circulus humorum, ſecretiones, ipſaque turbata fuerit nutritio. Motus autem humorum qui adhuc ſuperfuit, a corde non pendens, difficile deriuatur a vi ſola vaſorum ſuperſtite, calori forte aliquid tribui ſimul poterit. Ex quibus omnibus iam dictis colligit Noſter analogiam quandam foetus noſtri elucere cum plantis, quas *paraſiti-*

p. 171.

raſiticas vocant, in alia creſcentibus planta, peculiaremque inde formari poſſe putat monſtrorum claſſem, quae vero corde carent ex ſola matre viuentia, quaeque appellat propter ea *paraſitica*.

p. 191. 4) I. G. ZINN *de differentia fabricae oculi humani et brutorum* *. In oculi humani fabrica enucleanda occupatus Cl. Auctor, quam magna etiam cum laude, ut alibi expoſuimus **, declarauit, comparatiuam, quam vocant, ſimul conſulens anatomen, multa ſingularia ipſi obuenerunt, quae hac diſſertatione propoſuit. Sedulo factas fuiſſe obſeruationes deprehendimus, ut de ſingulis quum dicere non poſſimus, praecipua hic adducere tantum debeamus. Non autem in bulbo tantum diſcrepantiae conſpiciuntur, ſed in tunicis etiam humoribusque oculi, nec non vaſorum truncis ramificationibusque permultae occurrunt diuerſitates. Animalium maiorum oculi cum humano fere conueniunt, in auibus piſcibusque antice complanati, poſtice ſphaerici apparent. In talpa vero oculus ad modum longus, poſtice ſphaericus, antice conicus, nec in peculiari cauo ſedet, neruum etiam longum et gracillimum habet, non ex cerebro ſolum, ſed cum proboſcidis neruis communi principio prodeuntem. In ſclerotica oculi tunica ſuis exterior etiam facies nigris notatur maculis, quarum originem non, ut communis fert opinio, a glandulis ſecernentibus, ſed ab ipſa tela celluloſa repetit, cuius coloris in contextu celluloſo notas MORGAGNIVS in boue, in homine etiam vidit Noſter. In aliis animalibus ſclerotica poſterius tenuis eſt, ut in fele etiam choroides pelluceat. In ulula ſclerotica maximam partem oſſea eſt, et fundus tantum membranaceus de-
p. 194. prehenditur. In omnibus autem cornea ſic comparata eſt, ut eam a ſclerotica diſtinctam eſſe membranam

* Praelecta d. 6. iul. 1754.

** vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 342.

nam compareat, nec non in maioribus animalibus externa atque interna corneae lamina facilius poteſt ſeparari. Chorioides in boue adhuc tenerior ac in homine eſt, exterior eius ſuperficies in piſce lupo argenteo nitet ſplendore, in rana aureis inſignitur ſtriis, in boue intus ſplendide coeruleſcit. Ille vero internus fulgor a celluloſa molliore villoſaque tunica eſt, quae in laminam coit flocculentam, radios lucis vario modo refringentem. Interim in boue etiam p. 199.
ſimplex eſt membrana, cum peritoneo comparanda: hinc quae aſſumta eſt opinio, chorioides non in duas abire poteſt laminas, quarum altera iridem, altera tunicam Ruyſchianam conſtituat. Iridem itaque credit Cl. Auctor ſingularem eſſe membranulam, interuallo orbiculi ciliaris a choroide diſtantem, choroidem autem ipſam ab orbiculo introrſum recedentem in ſtrias plicasque contrahi, quas proceſſus ciliares nominant. Hi in piſcibus deficiunt, in aliis animalibus magnitudine variant, longiſſimi in phoca marina obſeruantur. Varietates adhuc plures offert iris colorum diuerſitate, qui pariter ex tapeto flocculento proueniunt. Vaſorum copia in his locis admodum magna, elegantiſſimaque eorum ramificatio nitide a Cl. Auctore inquiſita et iconibus quibusdam illuſtrata additur, in primis, quod ab humana fabrica maxime diſtant, ab HOVIO in oculo bubulo deſcripta et hinc ad hominem translata per errorem fuerint. Ex boue et veruece deſcriptio deſumta eſt: in his loco plurium unus truncus arteriae ciliaris eſt, qui ad inſertionem nerui in ramos abit, muſculis et ſcleroticae dicatos, arterias etiam ciliares longas et breues ſuppeditantes. In homine longae et anterio- p. 204.
res arteriae ciliares circulum formant, quum ſingula bifurcata cum altera coit, ſed in boue arteriae hae non bifurcantur, ſed a binis minoribus trunculis, ad iridem procedentibus, utrinque transuerſim ramulus abit, qui inter ſe iuncti circulum efficiunt, in quem

arteriarum, ciliarium breuium propagines deſinunt, ex quibus ramuli denuo numeroſi, ad iridem tendentes, cum circulo altero, ab arteriolis longis effi-cto, communicant. Sed hic etiam ab humana ſtructura diſcrepantia eſt. Nempe a ramis trunci communis utrinque duae arteriolae, parallelae per exteriorem ſuperficiem ſcleroticae ad inſertionem muſculorum rectorum decurrunt, ibique perforantes ſcleroticam ad interiora veniunt, nullis datis in itinere ramis, in iride iamiam ſic ſecedunt, ut alter ramus dextrorſum, alter ſiniſtrorſum exporrigatur, et hac ratione circulum efficiat, cum ramulis prioris anaſtomoſes habentem: qui quandoque ad oram pupillae minorem denuo circulum efformant. In venis porro multa quoque eſt diuerſitas, ſiquidem et illae, quod in homine nunquam fit, circulum venoſum fa-
p. 210. ciant. Retina maior, craſſior et ſolidior, arteriam centralem, quae tamen ad latus magis poſita eſt, ſuſcipit, quae mox poſt ingreſſum, quod in homine nondum clare patuit, in duos ramos diuiditur, vel plures. In lepore elegantiſſima eſt fabrica, in hoc enim foueola conſpicitur, ex qua trunci medullares exeunt, utrinque, ut foliorum coſtae, ſpargentes ſtrias radiatas, ipſam membranam efficientes, ut in icone eſt. Lens tandem cryſtallina magnitudine et figura ab homine abeſt. Illa maior, haec in permultis conuexa, in piſcibus ſphaerica eſt, in quibus nucleus ſimul duriſſimus reperitur.

p. 215. 5) *Attractionis hiſtoriam* exhibet Cl. HOLLMANNVS, philoſophos ordine recenſens, qui naturae phaenomenis hanc vocem applicuerint, colligi attractionem rigoroſe ita dictam ex experimentis poſſe negans, immo demonſtrationem, quod eſſe non poſſit, molitus, quoniam ſcilicet ens finitum agere nil poſſet, ubi ipſum non eſt: hanc ob rem philoſophos uti hoc vocabulo vetat.

6) Ill.

6) Ill. ALBERTVS VON HALLER *de ſanguinis motu experimenta anatomica* * microſcopicasque luſtrationes exponit, olim Goettingae et nunc in patria, in viuis animalibus factas, eo quidem ordine, ut primum arteriarum venarumque fabricam, deinde ſanguinis in primis et humorum naturam, porro motum ſanguinis arterioſi aeque ac venoſi naturalem aliosque praeternaturales, poſt ea venae ſectionis in mutando illo motu effectus, tandem ipſas motus ſanguinis cauſas recenſeat. Atque haec complectitur ſex capitibus. Sunt vero labores viginti annorum, in octoginta calidis et ſeptuaginta frigidis animalibus facti repetitique. Plerumque microſcopio CVLPEPERI, perraro ſolari, et ad ranas equuleo Lieberkühniano uſus eſt fidus indefeſſusque obſeruator: atque tam egregia tamque multa nobis ſeſe offerunt dicenda, quae vel noua ſunt, vel iam ſtabilitas plenius confirmant ſententias, vel dubias falſasque reſtringant et euertant, ut in iis recenſendis fuſiori omnino uti oratione liceat deceatque. Per ſingula capita tranſeundo praecipua inde huc retuliſſe momenta lubet: p. 270.

Cap. I. Arteriarum venarumque fabricam diſquirit, in ranis in primis et piſcibus inueſtigatam. Arteriae membrana alba eſt craſſa, ſolida, non eiusdem ad lumen medium rationis, quod aliquando eam adaequat, aliquando ſuperat. Vehementior impulſus ſanguinis eam non dilatat, ſed cogit in minus ſpatium; unde pulſus durus, a denſiori facta arteria. Saepe viſae ſunt inanes venae, vacuae etiam arteriae, neque tamen diametro quicquam deceſſit, ut adeo ſemper plena eſſe vaſa, atque, quo minus contineant liquidi, fieri eo anguſtiora inde haud pateſcat. Diametrum vero mutat aneuryſma, ex incerta cauſa factum vel arte, quando telam celluloſam circumfuſam p. 272.

* praelecta d. 8. octobr. 1754.

ſam ſolueret Noſter, vel vulnus infligeret. In venis rarior idem tumor, frequentior inaequalis diameter. In membranis arteriarum nulla vaſa, maculae vero nigrae viſae ſunt ramoſae. Venarum adeo tenera membrana eſt, ut globuli nudi fere transpareant, unde vaſa absque tunicis quibusdam viſa, ſed falſo, fuerunt. Valuulae in ranae venis deſunt, itemque in utroque vaſorum genere fibrae muſculares contractiles, cingit autem utique vaſa omnis generis tela celluloſa, hinc ſtriae ramoſae ab effuſis globulis.

Trans arterias ſaepe inſignes venae incedunt, neque tamen comprimendo vel alio modo quicquam in motu ſuo patiuntur, ut vanus ſit metus compreſſionis venarum ab arteriarum vicinia. Arteriarum denique venarumque unio in ranis obſcurior, in piſcium in primis cauda luculentior patuit. Duplex fuit in cauda cobitidis unionis huius modus, ut, quum quatuor oſſiculis caudae totidem datae ſint arteriae venaeque comites, arteria vel ad extremam caudam reflexa formet venam ſibi parallelam, vel ramos in eandem ſub variis transmittat transuerſim angulis. Tandem etiam vaſcula minorum generum nondum detexit microſcopio Noſter, neque vero eadem negat. Quae enim ab aliis et ab ipſo viſa ſunt flaua vaſcula, ſunt venae minimae unius globuli, in alias quae abeunt duorum globulorum, quae vero nudo oculo apparent excolores ob debilem purpuram. Anguillae argentea vaſa alienum prorſus a ſanguine vehunt liquidum.

p. 177. *Cap. II. Naturam humorum* explicat. Sunt illi duorum generum, nimirum globuli rubri vel inuiſibile liquidum in ranis, quod in calidis animalibus ſerum dicitur vel lympha. Globulorum inuentum debetur MALPIGHIO. Sunt autem lentes flauae rubraeue; illae in languido animali magis apparent, hae in vegeto et firmo; ſolitarii etiam rubri et flaui viſi ſunt,

ſunt, ut adeo non a congeſtione color. Moles eorum eſt exigua, ut unius globuli diameter ad pollicis longitudinem ſit ut ad 5000; figura vero adhuc dubia. In frigidis animalibus videntur plani et ouales, in ſanguine calidorum lenticulares putantur MILESIO et SENACO. Noſter ipſe vidit tum in venis transparentes, tum effuſos, craſſos admodum, ut longitudinem craſſities vel aequet vel non ſuperet; difficile tamen in parua re et mobili iudicium. Figuram viſae ſunt mutaſſe in flexionibus vaſorum. Aerem continere eos falſum eſt. Sunt enim ſolidiores, et quum ferrum contineant, ſpecifice graues, neque mutati admoto ad meſenterium calore. Denique degenerant ipſi coadunati in coagulum et arterias obſtruunt, vel abeunt in venis in unguentum, vel claudunt ipſa vulnera.

In vaſis minimis unius globuli, adeſt liquidum tenuius, inuiſibile, pellucidum, quod etiam nebulae inſtar exit e vulnerata venula, ſpiſſiusque factum claudit vulnus, in medio relicto grumo rubro. Apparet idem etiam in maiori vulnere et aneuryſmate; dignoſci tamen nullo adhuc potuit microſcopio, ut adeo, quae de mutatione globulorum rubrorum in flauos et ultra affirmantur, dubia ſint.

Adipem, quem vidit MALPIGHIVS, Noſter non vidit, ſed aerem putat fuiſſe, quem ipſe vidit bullarum forma ferri celerrime per vaſa; aer vero fuit admiſſus ſolum poſt vulnera, molesque eius millies maior globulorum. Neque etiam in ſanguine umquam ſeſe obtulerunt filamenta.

Denique etiam arterioſi et venoſi diuerſitas obſeruata fuit nulla in ranis; in calidis color et ad coagulum procliuitas fuit eadem. Arteria rubrum, vena ſubnigrum fudit, ſed raro, ſanguinem. In eadem vena ranae aliquando ſanguis fuit bicolor, ruber a corde, flauus ab inteſtino. Neque quicquam mutat velox per pulmones iter, ut adeo differentia,

ſi qua

ſi qua adſit, debeat eſſe in ratione globulorum rubrorum ad pellucidos, vel in hisce ipſis. Vltimo lac in ſanguine et chylum aliquando vidit Noſter fluere per axillarem venam, aliquando ſimilem liquorem album in cor ex dextra auricula.

p. 286. *Cap. III. motui ſanguinis per arterias* dicatum eſt. Primum quidem occurrit pulſus. Sanguis nimirum a corde impulſus diſtendit arterias, ſiue facit pulſum. In calidis animalibus non ſemper patet pulſus, forte ab aere frigido, vidit tamen Ill. Auctor totas arterias ſubſultantes, dum cor ſeſe contraheret, et longiores factas. Omnes vero arteriae una pulſant, etiam minimae, immo coronariae cordis. Terminus pulſus eſt in capillari vaſe, cuius diameter circiter ſexta pars lineae eſt. Numerum pulſuum in ſe ipſo Noſter obſeruauit et in aliis. Mane parciores, poſt cibum et ſub noctem plures numerauit. Febris minima in minuto primo 100, catarrhalis 110 ad 120, exanthematicae graues et tertianae 130 ad 134 habent pulſus, ultra hanc celeritatem ſola undulatio percipitur. Neque ſudor et calor ab aucto pulſu: ſudauit enim Noſter et caluit cum 66, ſiccus fuit cum 134 pulſibus.

Ad cauſas pulſus quod attinet, ille non dependet ab inſita vi arteriae, tollitur enim ſub vinculo, neque a conica figura, pulſant enim carotis et minimae cylindricae. Ad pulſum autem in primis requiritur diſtenſilitas arteriae. Hinc in rana aorta deſcendens non pulſat ob denſam nimis fabricam membranae, aorta vero ſuperior, pulmonum et brachii arteriae in languente demum rana pulſare viſae ſunt.

Praeter pulſum notari etiam meretur altera conditio motus ſanguinis arterioſi, nempe iter eius a corde ad extremas partes corporis, quod demonſtrauit vinculum. Confirmant idem repetita a Noſtro experimenta. Tacemus hinc eorum effectus, utpote cognitos

cognitos ſatis, ad alios potius attenti nos conuertimus ſanguinis motus, peractos intra caueam arteriae, qua patuerunt in ranis vel per tunicas pellucidas, vel ſi eas aperueris. Primum autem hic phaenomenon fuit, globulos rubros a corde ad extrema ſumma celeritate ferri, ut ſpatia itineris ad tempora comparare haud liceat. Neque in pulmone velocior fuit motus ſanguinis, ac in meſenterio, quod monet contra Cl. HALES. In una ſaepe meſenterii arteria fluxit expedite, in altera lente ſanguis, unde forte febres partiales.

Porro ſanguinis motus in capillaribus vaſis non adeo retardatur, ut volunt iatromathematici. Ex arteria, lineam dimidiam craſſa, ſanguis proſiluit ad ſex pedes ſexque pollices, quam dimidiam altitudinem non attigit ille ex iliaca apud KEILIVM. In ranis autem ea celeritas, quam oculus non ſequitur. In venis etiam ſaepe celerior, in arteria lentior motus: In ramo reflexo arteriae quoque celerior, quam in trunco.

Praeter ea in frigidis animalibus globuli in liquido tenuiore natant molliter, per lineas rectas parallelas, absque ulla confuſione, confrictione vel rotatione; molles ſunt eorum in parietes atque in calcaria diuiſionum incurſiones, absque recurſu vel mutatione figurae. Quieſcunt etiam ipſi ſtatim, dum progreſſiuus ceſſet motus. Hinc motus inteſtinus ſanguinis res eſt adhuc abſcondita, certe haud demonſtrata microſcopiis.

Differt autem celeritas globulorum in eadem arteria, ut in axi celerius, ad parietes vero fluant tardius. Celeritatem eorum anguli et plicae parum vel nihil mutant. Diutius ſupereſt eadem in trunco et ramis eiusdem directionis, ceſſat citius in ramis, ad angulum maiorem natis: ſuperſtes tamen etiam fuit in ramo, ſub angulo recto orto, intercepta in trunco. Verum, quod mirari oportet, in cauo aneu-

ryſmatis

ryſmatis lente mouetur, abitque in coagulum ſanguis, vis cordis eum expedit iterum, atque accelerata velocitate mouet in continuata arteria. Notari meretur hoc contra hypotheſin de retardato motu in minimis vaſis. Huc ſpectant etiam anaſtomoſes. In duobus aduerſis torrentibus globuli inuicem arietant, donec cedat debilior, huncque ſecum rapiat inuerſo motu celerior; ex arcu arteriae ſi exeat ramus, in eum defluit uterque torrens; in inciſa arteria eadem eueniunt. Vnde patet uſus anaſtomoſium, nimirum ſanguinem earum ope poſſe fluere alia, aliaue directione, et uno obſtructo replere liberos relictos ramos. Illud arteriae in dorſo manus, hoc probant carotis excoecata, vertebralis oſſea.

Sequuntur obſeruati motus praeternaturales ſanguinis arterioſi, nempe retardatio, turbatio, oſcillatio, retrogreſſio, quies et inanitas vaſorum. *Lentus* motus ſemper praecedit reliqua vitia: *turbatur* ille, quando iam lenteſcit, ſubito vero celerrimeque inſtauratur a corde, lentusque euadit iterum. Reſiſtit autem omnino unda anterior lenteſcens accedenti nouae undae, et non absque vi in motum reducitur.

Oſcillatio eſt, ubi ſanguis incerto flumine modo iter ſuum urget, modo verſus cor recurrit. In diuiſionibus ſanguis ramorum ſanguini trunci obnititur, donec motum iterum reſtituat cor. Obſeruata eiusmodi oſcillatio fuit in aneuryſmate inter ſanguinem coactum et affluentem nouum, quem repulit etiam fluidum inuiſibile, donec cor ſuperet reſtituatque motum legitimum. Atque haec eſt altera utilitas anaſtomoſium, vitia corrigere, reſoluere coagula.

Retrogreſſio rara non eſt, ut a ramis ad truncos redeat ſanguis, vel in aliis ramis recte moueatur, in aliis retrocedat, vel in maioribus regrediatur, recteque fluat in minimis. Cauſae ſunt languor cordis, aneuryſma, vulnera maiora, cor reſectum in ranis.

Quies

Quies et *inanitas* ſaepe coniunctae ſunt. Inanes ſaepe ſunt arteriae in ranis inedia maceratis aeque ac bene paſtis, albisque neruis ſimiles, unde forte error veterum arterias continere ſpiritus. Quies accidit etiam integris viribus corporis, ſuperſtite motu venarum, motus tunc vel ſponte reſtituitur vel venae ſectione. Si plenae adhuc ſint arteriae, vel inciſio arteriae, vel ſola vis cordis reſtituit motum. Sed a morte plena quies, arteriae inaniuntur albaeque pellucent. Sequitur in ranis, quando exaruit meſenterium, in calidis animalibus, quando adeps obriguit.

Cap. IV. motum ſanguinis venoſi perpendit. Primum hic quoque occurrit pulſus venarum, quem quidem detexiſſe et deſcripſiſſe primum contra Cl. DELAMVRE ſe defendit Noſter. Se enim ſua experimenta de eodem iam d. 24. April. 1752 in Commentar. Soc. Gott. Tomo II. propoſuiſſe, Cl. DELAMVRE contra tentamina in conuentu academiae reg. Pariſ. d. 12. Aug. 1752, praelegiſſe affirmat, licet iſta Commentariis huius Academiae anni 1749. inſerta fuerint *. Differunt adeo tempora, differunt etiam phaenomena experimentorum. Cl. WALSDORFF etiam idem propoſuerat **. Deriuat autem Noſter pulſum venarum a compreſſo inter exſpirandum thorace; huc facit etiam impeditus ſanguinis per pulmones tranſitus, efficacia venae contractae et diaphragmatis actio. p. 306.

Directio-

* vid. Comment. Soc. Reg. Gotting. Tom. II. p. 127. et Comment. noſtr. Vol. II. Part. III. p. 698. Memoires de l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris ann. 1749. p. 541. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 511.

** Diſſ. Experimenta circa motum cerebri, cerebelli, cet. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. I. p. 106.

Directionem motus ſanguinis venoſi ab extremis ad cor confirmarunt experimenta cum vinculis. Non numquam quies cordis ſequuta eſt vinculum, neque tamen ſemper: auris enim dextra reiicit ſanguinem in venam cauam et iugularem. Tacemus effectus alios vinculi, unicum notamus in ligata vena meſenterii obſeruatum: ſanguis nimirum refugit a coagulo, ad ligaturam nato, et per aliam venam liberam ad cor rediit; et quum plenus fuiſſet coagulo ramus, ipſum praeteriit, et in communicantem ſeſe immiſit.

Porro celeritatem ſanguinis venoſi quod attinet, motus eius celer eſt in truncis et ramis, velox in capillaribus; ad arteriarum celeritatem eſt duplo plusue tardior, ut venae ſunt duplo plusue ampliores, aliquando ipſam ſuperat, aliquando ſuperſtes, dum quieſcit arteria. Lentior eſt in capillaribus in ratione inuerſa diametrorum. Calculus vero nihil probat. Praeterea eſt etiam, ut in arteriis, motus ſanguinis venoſi utique aequabilis, nulla rotatio, nulla ad angulos mutatio: contrariam vero etiam ſano in animali viam eligere poſſe confirmant in venis frequentiores anaſtomoſes; numquam tamen venam unius globuli abire in maiores, ſed colligi ante in minores et tandem in truncum obſeruatum fuit, quum enim aliquando exigua vena ſeſe immitteret in grandem, haec repulit illam; atque haec eſt ratio ductus thoracici lymphaticorumque vaſorum, in cauam aliamque venam haud abeuntium.

Vitia tandem venarum eadem, quae arteriarum, inanitio non adeo frequens et perpetua, neque tamen ſemper abeſt. Oſcillatio in venis amplioribus diſtinctior eſt, ut ex trunco in ramos, et iterum in truncum, vel in ramis transuerſis, vel in communicantibus, ex dextro in ſiniſtrum, et vice verſa eat redeatque ſanguis. Eam excipit aliquando motus legitimus. Retrogreſſio frequens a vulnere, a coagulo, a coeco

ſacco

ſacco venae reſectae. Quies utramque ſequitur, neque perpetuo; in calidis animalibus citior nata eſt, initium capit in capillaribus, neque conſtanter. In aliis ramis quies, in aliis motus; in truncis quies, motus in capillaribus, etiam auulſo corde ſuperſtes. Cum quiete non raro turgent venae cruore et poſt mortem turgent, ſed fuerunt etiam inanes viſae ſub initium experimenti ab inedia vel alia cauſa, itemque in calidis animalibus a morte inanes vel aereis bullis conſpicuae. Quamuis plerumque vena caua in iisdem aliaeque maiores turgent ſanguine ob frigus aliasue cauſas, certe tamen in minoribus nihil eſt.

Cap. V. agit *de venae ſectionis in motu ſanguinis mutando effectibus*, atque in primis doctrinam illam de deriuatione et reuulſione per experimenta in viuis animalibus facta illuſtrat. Praeeuntem Cl. HEYDE, qui iam inſtituit ſimilia, ſequutus eſt Noſter. Fundamentum doctrinae illius eſt, ſanguinem in inciſa vena et ſodalibus fluere celerius. Negarunt id Cll. SENAC et HAMBERGER, Noſter affirmat. Semper enim celerrime proſiliit ſanguis ex vena inciſa, quicumque eius eſſet motus, etiam abſciſſo corde vel aorta. Euenit id etiam in ramis inciſae venae, et communicantibus, immo in capillaribus. Confluit porro idem a ſede cordis ad vulnus, colliſione columnarum facta. Tollitur inde reſoluiturque in vicinis venis coagulum et propellitur ad vulnus. In remotioribus quidem celeritas et plenitudo non adeo mutantur, coagula tamen etiam mouentur loco, et nubis inſtar pelluntur e vulnere. Denique a venae ſectione diu ſuperſtes motus fuit etiam capillaribus. Dari adeoque deriuationem, immo reuulſionem etiam ſatis inde patet; verum ad remotiores partes ſeſe non diffundit utraque, nam vinculo iniecto ceſſat iterum omnis fluxio, ante quam ſeſe inanire potuerunt remotiores illae venae. p. 320.

Enimuero deriuatio potiſſimum ſperatur ab arteriis, hinc videndum eſt, an etiam arterioſus ſanguis celerius moueatur a venae ſectione. Difficilis diſquiſitio. Ipſe Cl. Auctor in ſe febre continua laborans numerauit ante inciſam venam pulſus 122, neque in ipſa ſectione, neque poſt eam imminutus eſt numerus. In ranis autem exſpectandum eſt, donec langueat cor, ſed ſerius languet cor rapidusque motus arteriarum. Accelerari tamen etiam in arteriis, venae inciſae vicinis, ſanguinem plura confirmarunt experimenta. Ad iam inanes arterias ſodales, ab inciſa vena mox adfluxit copioſus ſanguis. In aneuryſmatae motus reſuſcitatus fuit. Quieta arteria auulſo corde, inciſa vena recuperauit motum. Eſt adeo deriuatio, ſed reuulſio etiam locum habet. Arteriae enim vicinae ad locum inciſae venae tamquam minus reſiſtentem promouent ſanguinem, cor autem ideo plus mittit ſanguinis ad artus, ubi facta eſt ſectio, quam ad caput aliasue partes remotiores. Vera autem reuulſio eſt de capite. Quae quidem iam dicta vera ſunt omnia, quam diu fluit per venam inciſam ſanguis, ſed vulnere clauſo vel redit prior motus ſanguinis vel lentior euadit, atque is eſt effectus, quem poſtulant medici a venae ſectione.

p. 329. Superſunt alia phaenomena, quae occurrunt in inciſione venae. Ex duobus vulneribus in eadem vena ſuperius, ſiue cordi propius, retardauit fluentum inferioris. Si dimidiam venae partem incidas, ſanguis fluit ſuper hiatum. Circa vulnus ſenſim lenteſcit cruor, idque claudit grumulus, cinctus nube fluidi tenuioris, quem ſi abſtergas, redit haemorrhagia. Abrupta vena ſanguinem non fudit, in coecum abiit tuber. Reſecta tota vena alias fudit a cordis ſede ſanguinem, alias nullum.

Arteriotome, quam etiam inſtituit Noſter, eadem fere exhibuit phaenomena, quae venae ſectio; rapidior eſt tantum arteriarum motus, aliquando

quoque

quoque retrogradus. Eadem coalitio vulneris. Arteria inciſa in aneuryſma abiit, eoque reſecto nihil fudit, ſed abiit in ſaccum coecum cum rima media, quem plenum cruore praeteriit ſanguis atque in alium ramum diuertit. Haec eſt altera coalitionis ratio attractione naturali fibrae, non muſcularis, quae in ranis abeſt. Arteria lacerata in tuber ſe contraxit plenum cruore, neque tamen effudit eum, alias fudit. Poſſunt igitur arteriae umbilicales robuſti foetus, reſecto funiculo, ſanguinem fundere, quieſcunt in debili, ut qui affirmauerint illud, aeque ac qui negarint, vera fateantur utrique. Certe pulſantes easdem vidit Noſter in catuli fetu quatuor ſeptimanarum. Denique arteria et vena eodem tempore ſi inciſae ſint, eadem velocitate per utrumque vulnus effluit ſanguis. Ad ſaltus tandem arterioſi ſanguinis quod attinet, pauci fuerunt alti et ſubſtiterunt, ut ad cordis vires aeſtimandas oporteat calculum ſumere ab unico et primo. Ex arteria meſenterica ouis ſanguis ad ſex pedes proſiliit, ex eadem et alia inciſa poſt vix unum attigit pedem.

Vltimum *Cap. VI. in cauſas motus ſanguinis* inquirit. Cor quidem omnium prima eſt, accedunt arteriarum vis contractilis, muſculorum vis comprimens, neruorum in arterias imperium, vaſorum minimorum ſuctio. Quibus addit Noſter pondus, frigus et calorem, aerem in corpore genitum, ignotam denique vim, forte attractionem: hae etiam absque corde operantur cauſae. p. 333.

Cor princeps cauſa eſt; in frigidis licet diutius ſuperſit motus ſanguinis, deleto corde, in calidis tamen vix per unum minutum. Si nunc ſtadia ſingula expendi mereantur circulationis, omnis motus ab utraque vena caua ſumitur principium, qua ligata vel reſecta omnis tollitur. Gaudet utraque caua in ranis vi contractili; in calidis animalibus diſtinctior

eſt, etiam a morte viſa contractio verusque pulſus. Auris dextra recipit ſanguinem absque reſiſtentia; contractio eius incipit a ſumma appendice, deſcendit deprimitque fornicem. Alias in nitente homine vel cadauere vena ſanguini auris reſiſtit retrocedenti, unde tumor colli feminarum poſt partum difficilem. Auris vis ſupereſt diutiſſime, alias ultima mota eſt inferior pars, alias appendix. Ventriculus dexter plenus contrahitur ita, ut baſis verſus ſeptum deſcendat, parietes propius accedant, valuulae omnino relaxentur. In languido animali imperfecta contractio fibrarumque tremor. Valuulae etiam redire in aurem ſanguinem patiuntur in moribundo, vel preſſo corde; redit quoque is inter valuulas et aurem in viuo. Diutius ſiniſtro dexter ſeſe mouet ventriculus. Ex pulmonibus reducem ſanguinem ſuſcipit auris ſiniſtra, quae celerius tremit, prima autem quieſcit omnium. In ventriculum ſeſe ipſa euacuat, forte ad pulmonales venas redire patitur in moribundo cruoris partem. Ventriculus ſiniſter ob ſeptum et mucronem ipſi proprium eſt cor verum. Motus eius incipit a mucrone, aſcendit ad baſin, parietes ad ſe accedunt, intus rugae naſcuntur transuerſae. Vis ipſius eſt potentior dextro. Mucro omnino in contractione eleuatur et ad baſin accedit, et exporrigitur in diaſtole, etiam in anguilla et teſtudine. Tremit diutiſſime mucro, alias ſeptum. Inanitum quieſcit, vera eſt relaxatio et inertia, nullus rubor, neque in ſyſtole pallor. Succeſſiuam ſimilium cauorum cordis actionem confirmant experimenta, alternationem NICHOLSII vel LANCISII euertunt. Cor denique omnium facillime ſuſcitatur ad motum, idque diutius inflato aere, totumque eſt mobile.

p.341. Altera cauſa motus ſanguinis eſt *arteriarum vis contractilis*. In ranis quidem numquam viſae ſunt fibrae rubrae mobiles, neque arteriae ipſae ſeſe contraxerunt, plenae ſiue inanes fuerint, neque a ſtimulo

mulo veneni, liquidum intra cauum coagulante; in calidis vero animalibus adſunt fibrae contractiles, ſed vim earum ſuperat vis cordis, quae ſola fere agit in vita pulli, in vita ſenum cum arteriis oſſeis diu ſuperſtite, quae etiam ſola ſuſcitatur in ſubmerſis. Mechanicae vero contractiones arteriarum ſunt vires mortuae; vis adeo arteriarum tanta non eſt in mouendo ſanguine, quanta adſumitur a pluribus.

Inter cauſas motus ſanguinis refertur etiam *motus muſculorum.* Numquam viſus eſt is motus, qui putatur ex agente muſculo omnem expellere ſanguinem: Verum muſculi iuuant ſanguinis motum, comprimendo venas per interualla fibrarum diſpoſitas. Quo deficiente oritur frigus pedum, oedema, forte etiam calculus felleus in captiuis. Prae reliquis muſculis euidens fuit vis diaphragmatis. In inſpiratione deſcendens illud ſtringit venam cauam trahitque deorſum, quae inanitur ſimul et pallet; mox remittente eodem ipſa aſcendit et repletur. Inde in diuturna inſpiratione omnino ſanguis impeditur redire a pedibus. p. 345.

Vt cauſam *neruorum in arterias imperium* ipſe Ill. Auctor alibi deſcripſit, et Cl. MEKEL et SENACVS, per experimenta tamen nihil adhuc declarare licuit. Phrenico neruo irritato cor non turbatur, neque pulſus in tantis hyſtericarum motibus. Medulla ſpinali irritata muſculi conuelluntur, cor tamen quieſcit. Cauſa igitur haec valde adhuc obſcura et dubia. Aliquid omnino tribuendum eſt in mouendo ſanguine calori et frigori, quae ſola mouent ſuccos vegetabilium; certe a frigore pendet collectio cruoris in venas cauas et cor dextrum a morte, ſi etenim ex Cl. WINTRINGHAMI mente firmiores ſint rami et denſiores truncis, hi ipſi frigore conſtricti facilius ſe inaniant in maiora vaſa, oportet. Calor contra laxat reſoluitque vaſa, ut etiam coagulum in vaſis ranae p. 346. p. 348.

admoto calore reſolutum fuerit, globulis huc illuc effugientibus.

Ponderis vis aliqua eſt in viuo et a morte; hanc deſcripſit Cl. PASTA, eam in viuo ſuperſtitem deſcripſit nemo, negarunt plurimi, Noſter vero vidit in viuis ranis euidentem. Eleuato meſenterio apparuerunt vaſa pallida inania, reclinato eodem iterum rubent plena. Sub microſcopio etiam, ſi venam notes, inuerſa machina, flumen eius, quod adſcenderat ante, iam deſcendere apparet. In languido animali euidentius eſt ſpectaculum; in arteriis non aeque patet. Haec igitur ponderis vis cauſa erit incubi, varicum, oedematum aliorumque malorum. Inde ſimul liquet valuularum neceſſitas in artubus.

p. 350. Varios tandem etiam motus excitat *aer* a morte expanſus in ſanguine, ut ruptis vaſis bronchialibus aliquando regurgitauerit de trachea et ore; unde cruentatio cadauerum, vampyrae, partus etiam a morte factus.

p. 351. Enimuero motus etiam ſanguinis diu ſatis ſupereſt, corde euulſo vel ligata aorta; cuius cauſa pondus non eſt, contra grauitatem enim vaſa ſuum iter faciunt, neque contractio vaſorum, nam mouentur etiam globuli extra vaſa in meſenterium effuſi, immo quoque ſolitarii; neque ſuctio capillarium vaſorum, ſaepe enim redit ſanguis e minimis ad truncos, in venis in primis, quae capillares non ſunt; forte
p. 354. erit *attractio* quaedam ſingularis, ſanguini propria. Quid enim eſt, quod retinet ſanguinem a marginibus meſenterii, ab membranis aliis, ut numquam defluant, ſed colligantur ad lineas globuli? Manifeſto in aneuryſmate id apparuit. Aliquando e vena lacerata effuſi globuli, in meſenterio alterne reſorbti fuerunt in eam, donec plena fuerit cum communicantibus. Sanguinem igitur hac virtute ſua putat Noſter congregari, quocumque primo maior moles adeſt, atque

que ita conuenire e ramis in truncum in utroque vaſorum genere.

Vltimo loco ex hoc phaenomeno, quod ranae, corde euulſo, viuide ſaliant, ſugant, reſpirent, videant, patet abunde, motum muſcularem haud dependere ab arteriarum ſanguinisque commercio.

VII.

Reflexions on ſlow and painful Labours, and other Subjects on Midwifery. Together with Obſervations on ſeveral Diſorders incident to Pregnant Women. Interſperſed with Remarks on Dr. BVRTON's Letter to Dr. SMELLIE, in which the Merits of the Cauſe between theſe two Authors are, in ſome Meaſure, conſidered. By GILES WATTS, M. D. London. Printed for and ſold by G. Keith. MDCCLV. 8. mai. pl. 6.

i. e.

Super lentis difficilibusque ad partum laboribus, aliisque rebus ad artem obſtetriciam pertinentibus, animaduerſiones: una cum obſeruationibus de variis morbis, qui grauidis feminis accidere ſolent: interſperſis ſimul annotationibus in epiſtolam a Cl. BVRTON ad Cl. SMELLIE datam, quibus diſceptationis inter binos hosce auctores ortae argumenta, aliquo modo explorantur. Auctore AEGIDIO WATTS, M. D.

Alio iam tempore Cl. Auctoris induſtriam atque de confirmandis medicae artis principiis ſtudium laudandi habuimus occaſionem *. Quam attentus

 quoque

* vid. Commentar. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 277.

quoque ſit in obſeruandis iis, quae ipſi medicinam facienti obueniunt notatu digna, hac, quam indicamus iam, commentariorum collectione comprobat. Argumentum enim iis ſuppeditarunt obſeruationes paſſim ipſi obuiae factae; quare omnino recte monet in praefamine, artem inde maius incrementum poſſe nanciſci, ſi quis uſu aliqua deprehenderit rectiora eaque publici uſus faciat, quam ſi propter pauca, quae habet noua, integrum illico exſtruat ſyſtema ideoque non ſolum absque neceſſitate librorum augeat farraginem, centiesque iam dicta repetendo nauſeam moueat lectoribus; ſed et id efficiat, ut, quae ipſi erant propria, facile ideo negligantur; quale iudicium a nobismet ipſis nuperrime iam quoque latum eſſe meminimus.

p. 1. Commentationes, quae hic reperiuntur, ſunt numero ſex in totidem capitibus propoſitae, quarum prima *de laborioſo tardeque procedente partu* agit; de qua tamen Auctor ipſe candide fatetur, plura, quae in ea contineantur, ſe debere dexterrimo ſuo praeceptori, Cl. SMELLIE. Inter plures iſtius dolorum tarditatis cauſas duae commemorantur prae aliis attentione digniſſimae, quarum una eſt, quod nimis cito, membranis foetus diſruptis, aquae diffluant; altera, quod membranae nimis firmae iuſto diutius maneant integrae. In illo caſu vel omnis aqua effluxit, viis deinde iuſto ſiccioribus factis, vel ea guttatim, certe nimis parca quantitate, profluit, indicio ſatis certo, quod dolores non debita vi ſatisque diu urgeant, ideoque internum uteri orificium a membranis neque ſatis irritetur, neque, uti decet, am-
p. 5. plietur. Illud nunc vero a capite, quod globoſam habet figuram, fieri nequit; hinc ſuadet Cl. Auctor, quo obſtetricans digitum a tergo immittat in uterum, circaque internum eius orificium circumducat illum ſub quouis dolorum acceſſu, ideoque irritationis, quam facere debebant aquae, ſuppleat locum, donec iſtud

iſtud tam apertum factum ſit, ut indicem mediumque digitum inferre et inferiorem anterioremque marginem attingere poſſit, lardi ſimul aliquo fruſto una alteraque vice adacto, ut dolores euadant eo fortiores. Scire quoque licet, ſuperiorem et poſteriorem orificii marginem iam eſſe fere nullum, ideoque uteri partem poſteriorem atque vaginam unum quaſi efficere canalem; anteriorem vero illius partem plicae in modum incumbere foetus capiti, hocque igitur retardare. Quare ſub quouis dolorum inſultu plicam hancce ſupra caput infantis digito reiicere, vel ad exemplum Cl. GIFFARD, forcipis aliqua lamella, inter orificium atque caput introducta, deprimere hoc tentet medicus, quam primum redeant dolores, ea tamen habita circumſpectione, partes ne laeduntur. Alter vero ſupra adductus caſus ille eſt, quod membranae non iuſto tempore rumpantur. In genere valet regula, disrumpi eas non debere, niſi ſanguinis profluuium aut conuulſiones illud poſtulent. Quodſi etiam accidat, ut aquarum adſit nimia copia ideoque uterus ſeſe contrahens attingere nequeat foetus corpuſculum, ſed hoc reprimatur aquis infra propulſis: membranae tamen, niſi validiſſimae ſint, ſponte ſaepius ſoluuntur. Si aqua vero parcior ſit caputque foetus aliquo modo protruſum illi viam praecludat, membranae inter caput iſtud oſſaque peluis intercluſae ulterius propelli nequeunt ideoque debent diſſolui, quum dolores nunc caput, non vero membranas, urgeant. Membranarum quoque neceſſaria eſſe poterit dilaceratio ſeu potius acuto ſpecilli fine facta inciſio, quando, uteri orificio parum tantum dilatato, tumor globoſus magis, quam oblongus, apparet, neque procedere pergant membranae, licet dolores ſatis fortes ſint. Orificium uteri in hoc caſu valde inferius eſſe ſolet collocatum ipſiusque parturientis abdomen anguſtum. Prouenire videtur hic-

p. 7.

p. 10.

ce ſtatus a nimis pauca aquarum copia atque membranarum anguſtia atque duritie.

p. 14. *De ligando fune umbilicali* in *capite ſecundo*, in *tertio* autem *de haemarrhagiis* infantum *umbilicalibus* diſſerit Cl. Auctor. Vtrumque commentarium quidem grauiſſimi omnino argumenti alio iam tempore publici uſus fecit, dum diario eum anglico, *the Gentleman's Magazine* dicto inſeruit, a nobis quoque ſuo tempore fuſius enarratum *, quare illius nunc a nobis iterata expoſitio ſuperflua foret: varia tamen nunc adiecit additamenta variasque illuſtrationes, quae non nulla potiſſimum dubia attinent a Cl. BVRTON contra Cl. SMELLIE mota **.

p. 49. Properamus ad *caput quartum de hydrope grauidarum*, ex quibus illae in primis huic morbo obnoxiae fiunt, quae leucophlegmatici iam ſunt corporis habitus, quarum igitur uterus iam tumefactus, organa urinam ducentia aliaque vaſa vicina comprimens, eius ſe - et excretionem cohibere hydropicisque inde affectibus eo facilius occaſionem praebere poterit. Ab initio quidem grauiditatis illud quoque accidit in valde praediſpoſitis, quando veſicae ceruix premitur perque ſympathiam afficiuntur renes, quo nimis parcam ſecernant urinae copiam, eiusque ergo magna colluuies in reliquo corpore accumulatur: Vt plurimum tamen illud tantum hydropis genus ſequitur,
p. 51. quod anaſarca appellatur medicis. Quam difficilis autem curatu eſſe debeat hic morbus, perpendenti clarum

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 336 et Vol. V. P. III. p. 440.

** Facere non poſſumus, quin data hac occaſione moneamus, Cl. Auctorum ipſum fateri nunc, iam ante ſe frigido aeri, foetus in lucem editi corpuſculum tangenti, primam reſpirationis infantum cauſam tribuiſſe Ill. HALLERVM; attamen tum temporis illud iam in *Boerhaauianis praelectionibus* ſe legiſſe negat. vid. l. c.

clarum fiet facile, quod incrementum cauſae, uteri nimirum grandioris facti, ſit perpetuum; diuretica porro remedia alias quidem proficua, hic nihil ad compreſſa inde vaſa valere queant; paracenteſeos etiam operatio per aliquod ſaltem tempus afferat iuuamen, in praeſenti inſuper caſu quam maxime temeraria; remedia deinceps cathartica draſtica, hydragoga dicta, grauiditatis tempore valde ſint periculoſa: licet innoxium eorum uſum aliquando Auctor viderit in grauida, ſe vere talem eſſe neſcia, quae per ſex ſeptemue menſes ultimos bis terue ſingulis hebdomadibus uſa fuerat valentiſſimis purgantibus, foetum tamen iuſto tempore enixa, ab hocce morbo deinde liberata, eodem tamen, ſub proximo redeuntis grauiditatis ſtatu, quinto eiusdem menſe iterum correpta; tum temporis autem a fortioribus illis remediis abſtinens, poſt editum autem partum, ab aquis forſan in cerebro extrauaſatis, dilirio poſtque uniuerſalibus conuulſionibus affecta, intra viginti quatuor horas tandem extincta. Ex quo exemplo aliisque p. 55.
ſimilibus educendae aquae apparet neceſſitas, quum in grauidis, ob reliquas corporis cauitates imminutas partemque repletas, maius cerebro nanciſcatur periculum, quam in aliis. Quonam autem remedio id fieri debeat? interrogari nunc poterit. Leniora quidem cathartica iuuant aliquo modo, ſed conſequendo fini non ſufficiunt. Optimum igitur auxilium in veſicatoriis, quae cruribus applicentur, Cl. p. 57.
Auctor quaerit, eiusque uſum e nexu, quem omnes corporis partes habent mediante contextu celluloſo, ulterius demonſtrat atque confirmat.

Caput quintum de conuulſionibus, quae *durantibus* p. 60.
ad partum *doloribus* interdum ſuperueniunt, exponit. Praeter alias diri iſtius ſymptomatis cauſas, ſpecialis aliqua eſſe poteſt nimia uteri ab embryone atque ſecundinis diſtenſio vel orificii uterini irritatio, praeſertim ſi ſtatim ab initio partus illud obſeruetur, ſub

quouis

quouis dolorum acceſſu rediens. Accidere illud quoque poterit a nimis diu perſeuerantibus iisque violentis doloribus, ſanguine ſingulari aliqua vi ad encephalon propulſo. Parturientem itaque, quam primum fieri demum poterit, a foetu liberare certiſſimum quidem eſt remedium: attamen venae ſectionem etiam, eamque pro re nata repetitam, mirum in modum iuuare aegras, partumque facilitare, peſſimosque morbi effectus praeuertere, non artis ſolum theoria, ſed experientia quoque confirmat, uti ex tribus hic loci ab Auctore relatis caſibus memoratu
p. 64. digniſſimis apparet. Recte is etiam contra veſicatoriorum volatiliumque antiſpasmodicorum medicaminum uſum diſputat; ſubque finem cautos eſſe iubet medicos potiſſimum in porrigendis talibus ſpiritibus, quippe qui aliquando, ex errore cuiusdam chirurgi ebrii, in ſimili caſu in os parturientis atque conuulſae feminae inſtillati, ſub diriſſimis conuulſionibus vitam ei eripuerunt.

p. 70. Vltimum denique, quod *ſextum* eſt, *caput de violento ſanguinis per uterum profluuio* agit. Omnibus quidem feminis, non maritatis aeque ac grauidis et parturientibus illud accidere poteſt ſymptoma; quum in his utrisque vero non, niſi foetu excluſo, curari queat, de ea ſaltem haemorrhagia uteri Cl. Auctor diſſerit, quae feminis non grauidis iisque prae reliquis contingit, quae teneri corporis habitus neruoſisque et hyſtericis affectibus obnoxiae ſunt. Ante omnia recte damnat remediorum adſtringentium, in primis fortiorum, uſum, quippe quae facile fiant emetica, ipſumque ſanguinis fluxum augere potius, quam cohibere valeant; e contrario autem laudat leniora, refrigerantia, acida; quae tamen cuncta quoque continuari non debent, ſi vomendi conatus ſuperueniant, praeſertim ſi vires iam valde fractae ſint; quo in caſu leniora cardiaca propinanda et talia quoque externae ventriculi regioni applicanda eſſe opinatur.

Prudens

Prudens vero opiatorum potiſſimum uſus habebit- P. 74.
tum temporis locum, dummodo ſufficiens eorum doſis verſus noctem porrigatur. Lenioribus quoque enematibus ſoluatur aluus; in extremo caſu ligaturae artubus, pubi autem atque lumbis linteamina vel aqua frigida vel oxycrato madida applicentur, tandem vero ex conſilio b. HOFFMANNI lintea ſtyptico liquore imbuta, ceu ultimum auxilium, peſſarii ſub forma intrudantur in vaginam, modo ſatis alte immittantur, totiusque repleatur vaginae ſpatium. Corporis animique ſtudioſe conſeruata quies, isque corporis ſitus, ut coxae ſint elatiores, ante omnia, niſi fallimur, conſiderationem Auctoris meruiſſent.

Sub finem tandem is quoque bene iudicat, co- P. 77.
pioſum ſanguinis profluuium ſaepius in iis eſſe ſolere criticum et ſalutare, quibus menſtruus fluxus naturaliter ceſſat, quippe in quo compeſcendo medicus non eſſe debeat nimium officioſus.

VIII.

L'hiſtoire naturelle eclaircie dans une de ſes parties principales l'oryctologie qui traite des terres, des pierres, des metaux, des mineraux et autres foſſiles, ouvrage dans lequel on trouve une nouvelle methode latine et françoiſe de les diuiſer, et une notice critique des principaux ouvrages, qui ont paru ſur ces matieres. Enrichi de figures deſſinées d'après nature; Par M.*** des ſocietés royales des ſciences de Londres et de Montpellier. A Paris chés de Bure l'ainé, 1755. 4to maj. 3 Alph. 1 pl. fig. aen. 26.

i. e.

Hiſtoriae naturalis Pars, oryctologia, quae agit de terris, lapidibus, metallis, mineris, et aliis foſſilibus, dilucidata, et in nouam diſponendi methodum coacta; cui accedit enumeratio librorum praeſtantiſſimorum, in quibus haec fuit tractata materia. Auctore M. ***

Omnium hiſtoriae naturalis cultorum laudem et plauſum Cl. Auctor, quem ex variis aliis ſcriptis * Cl. D'ARGENVILLE cognoſcimus, promeruit, cum paucis abhinc annis duas ſcientiae naturalis partes, lithologiam nimirum et conchyliologiam, in ordinem ſyſtematicum redactas, orbi literario traderet; cuius quidem libri iam ſupra ** mentionem fecimus, ulteriori vero eius delineationi eo lubentius ſuperſedemus,

* vid. E. F. GERSAINT, Catalogue raiſonnée du Cabinet de Mr. BONNIER. 8. 1744. p. 193.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 693. in nota.

demus, quo elegantiorem iam a Cl. DENSO * adlatam recenſionem, meritasque laudes ipſi ſtatutas, quilibet inuenire poterit. Manum ergo admouit ad nouam hiſtoriae naturalis partem, oryctologiam nempe, elaborandam, eamque eodem, ac priorem librum, tractare modo anniſus eſt Cl. Auctor. Prodiit igitur, quod iam in prima parte promiſerat, ſplendidiſſimum hoc, qua formam et typos, elegantiſſimisque iconibus ornatum opus. Pace tamen Cl. Auctoris monemus, eum non eodem in hoc Volumine exarando felici ſucceſſu, quo in conchyliologiae tractatione elaboranda, uſum fuiſſe. Etenim, ut ex ſequentibus patebit, nec aptas foſſilium deſcriptiones, nec iuſta diſtribuendi fundamenta adhibuit.

In tres diſpeſcuit partes librum, quarum primae praemiſit prooemium, in quo varia oryctologiam in genere ſpectantia adfert, et paucis de corporum naturalium differentia, ortu et geneſi, variisque ea diſponendi methodis, quarum aliam naturalem aliam chemicam eſſe adfirmat, agit, prioremque poſteriori eſſe praeferendam monſtrat. Adfert, adiecto oryctologiae etymo, ordinem, quem in tractanda ſua materia elegit, et ſummam uniuscuiusque partis breuibus declarat; adnectit denique Cl. Virorum nomina, quorum ope adiutus hunc librum nitidiſſimis figuris aeri inciſis ornare potuit. Continet vero prima, ad quam nunc accedit, pars, analyſin auctorum celeberrimorum, qui et de lithologia et de conchyliologia ſcripta ediderunt, quorum vitam et opera breuiſſimis delineat, ita tamen, ut ſufficiens eorum inde peti poſſet notitia. Verbotenus repetita inuenimus in hoc catalogo ea, quae iam conchyliologiae praemiſit, nec etiam, quos iamiam taxauit errores Cl. DENSO, emendare Cl. Auctori libuit. Paucos tantum modo p. 1.

addidit

* *Phyſicaliſcher Briefe erſtes Sendſchreiben.*

addidit Auctores, LAZARVM ERCKERVM, ATHA-
NASIVM KIRCHERVM, BARBAM, EMANVE-
LEM SWEDENBVRGIVM, et LVDOVICVM BOVR-
GVET, quorum editos libellos praemiſſa vitae enar-
p. 33. ratione recenſuit. Reliquos ſcriptores rerum foſſili-
um in tres diuidit claſſes, quorum alios, qui de lapidi-
bus figuratis ſcripſerunt, naturaliſtas (ut cum LIN-
NAEO loquamur) appellat: alterum genus conſti-
tuunt medici, quorum alii obiter tantum lapidum
mentionem iniecere; alii vero de efficacia lapidum
medicamentoſa, ſuperſtitioſe ſaepius, egerunt: ter-
tia vero claſſis continet eos, qui, poſthabita lapi-
dum natura, non niſi de pretio foſſilium, gemma-
p. 34. rum potiſſimum, fuerunt ſolliciti. Ne vero auctorum,
qui adhuc vitam degunt, in hoc catalogo ſcripta
quaeſiueris, quos ſilentio praeterit, CONRADO
GESNERO ſuaſore, qui, eos, qui adhuc in viuis
ſunt, non aeque iudicare decere adſerit. Muſaeo-
rum denique, diariorum, aliorumque libellorum no-
mina ſubnectit, ulteriori tamen eorum deſcriptioni
commode ſuperſedere poſſe exiſtimat, cum ea omnia
in cuiusuis manibus eſſe, de quo iure dubitamus,
p. 37. ſibi perſuadeat. His peractis, tabulam ſynopticam
methodi ſuae, quam nouam et facilem dicit, et quam
ſecundum naturales et apparentes foſſilium qualita-
tes formauit, tradit: cum vero nimis longum foret
integram eam hic addere, illam hinc inde dabimus
Lectori excerptam, ita, ut ſpecies ſingulas omittamus
et tantum modo genera adducamus. Coronidem
imponit primae parti lexicon quoddam ſiue index vo-
cabulorum, ex hiſtoria naturali, phyſica et chemia
depromtorum, quibus in hoc ſuo opere uſus fuit Cl.
Auctor. Ipſe tamen iudicet Lector, num poſſit talis
index, duobus plagis contentus, ſufficere ad vocabu-
lorum ſignificatum rite determinandum.

Ad alteram partem accedit et in illa de foſſilibus terrae propriis, quae primam in ſuo ſyſtemate claſ-

ſem

ſem conſtituunt, exponit. In tria diſtinguit hanc claſſem genera, quorum aliud terras, aliud, ſub lithologiae nomine, lapides et tertium denique metalla ſiue mineralia comprehendit. Terrarum duplicem ſtatuit differentiam, alias terras, alias bolos appellans. Terras in ſtricte ſic dictas, quarum aliae ſimplices, aliae compoſitae ipſi videntur, argillas, margas, ochras et tophos diſpeſcit, quibus adhuc arenas ſiue ſabula addere nullus dubitat. Plerasque earum omnium ſpecies non ab externis notis diſtinguit, ſed a natalibus locis denominat. In argillarum diſcrimine ſtatuendo KENTMANNVM et LINNAEVM, in margarum diſtributione BECHERVM, in ochris tophis et arenis collocandis LINNAEVM auctores ſecutus eſt. Bolorum nullas diſtinguit ſpecies, ſed varietates tantum, colore vel natali loco diuerſas, enumerat: ſub fine eorum medicamentoſas explicans vires.

Praemittit lithologiae prooemii loco tractationem, qua de geneſi, diuiſione, proprietatibus ac uſu lapidum varia eleganter ac ſolide diſputat. Omnem lapidem ex terra, aqua et ſale fieri contendit et inde ex varia horum ingredientium mixtione, proportione ac indole, varias lapidum glebas oriri demonſtrat. Diuerſas addit phyſicorum de lapidum p. 136.
origine ac incremento ſententias et praecipue eam, quam TOVRNEFORTIVS, aliorum, IMPERATI potiſſimum, ſecutus auctoritatem, adſumſit opinionem, qua lapides corpora organica eſſe et ex ſemine produci adſerit, refutare conatur, per ſolam iuxta- p. 138.
poſitionem foſſilia creſcere demonſtrans. Proponit deinde quaedam et de figura et de colore lapidum, huncque a metallorum exhalationibus exortum comprobat. Ad lapidearum glebarum diuiſionem ſe con- p. 141.
uertens, quam ex ſolis ſignis, ſenſibus obuiis, deſumendam ſuadet, eas, quas dederunt AGRICOLA, GESNERVS, ALDROVANDVS, BOETIVS, LAN-

GIVS et BOVRGVET methodos breuiſſimis adfert, quibus tamen non ſubſcribit, ſed nouam omni modo lapides in claſſes diſponendi ſibi formauit rationem.
p. 143. Quas tribuit ſuperſtitio lapidibus, proprietates quanquam iure meritoque optimo ſilentio praetermittat, adfirmat tamen, eſſe quibusdam glebis lapideis ad morbos tollendos efficaciam; ſic iudaicos lapides calculum ſoluere, aſtroitem vermes expellere, oſteocollam oſſa conſolidare e. ſ. p. ſibi, ſatis, ni fallimur,
p. 145. ſuperſtitioſe perſuadet. Addit tunc alias lapidum qualitates peculiares et pleroſque eorum, certe transparentes, electrica et phoſphoreſcendi facultate
p. 147. praeditos eſſe aſſerit. Agit denique de variis, quibus inſeruiunt lapides in hominum ſocietate, uſibus, et diſſertationem de dendritarum origine adnectit, quos
p. 150. nitide imitari docet, ſi oleum tartari coloratum affuderis maſſae, ex ceruſſa hiſpanica, paratae.

p. 152. Ad ipſam nunc ſe accingit Cl. Auctor, lapidum tractationem eorumque deſcriptiones tradit. Quam tamen, prius quam paulo curatius conſideremus, iuuabit ipſius, qua uſus eſt in eorum claſſificatione, methodi ideam, tabula adiecta, exponere.

Claſſis II. LAPIDES,

Genus I. duriores ſ. pretioſi.

Spec. I. cryſtallini.

Artic. 1. pellucidi.

2. ſemipellucidi.

Spec. II. opaci.

Artic. 1. politurae idonei

2. politurae minus idonei.

Spec. III. Silices.

Artic. 1. cryſtalliſati.

2. pellucidi.

3. opaci.

α. polituram admittentes

β. polituram non admittentes.

4. communes.

α. defricati ignem emittentes.

β. defricati ignem non emittentes.

Genus II. teneri ſ. calcarei.

Spec. I. meatus laxiores grumumque craſſum habentes, ſectioni faciles.

Artic. 1. calcareus.

2. gypſeus.

3. creta.

4. tripela.

5. ſaxum, ſ. lap. arenarius.

Spec. II. meatus anguſtiores, grumumque ſubtilem habentes, ſectioni difficiles.

Artic. 1. cos.

α. olearius.

β. aquarius.

γ. ſaliuarius.

2. lapis ex Suecia, *Flieſſen* dictus.

Genus III. ſquamoſi, talcoſi, filamentoſi.

Spec. I. pellucidi.

II. opaci.

Genus IV. ſabuloſi, poroſi, ſpongioſi: ſub quibus figuratos intelligit.

Ex adlata hac tabula facile perſpicere quilibet poterit, nouam quidem, mancam tamen logicesque regulis minus accommodatam eſſe Cl. Auctoris lapides diſponendi methodum. Quamuis enim aptos ſatis ad diſtinguendum characteres ab externa glebarum forma, colore, pelluciditate et alia ſenſibus obuia qualitate petierit, eos tamen non ita diſpoſuit, ut rei ratio poſtulat. Cur *ſilices* diſtinguit a lapidibus *duris*, tam *pellucidis*, quam *opacis*, cum eos utramque hanc proprietatem poſſidere nemo neſciat? Quo iure, genera ſumma conſtituens, *duris* lapidibus opponit *ſquamoſos* et *filamentoſos*, cum ſquamoſi duriſſimi ſaepenumero deprehendantur; quod ſuo teſtatur exemplo adamas, cuius lamelloſam ſiue ſquamoſam texturam Cl. HENCKELIVS optime comprobauit? Et ſilicum ſubdiuiſiones addens, cur *cryſtalliſatos* et *pellucidos* ſeparauerit, hisce et *opacis* oppoſuerit *communes*, ſane
p. 154. non videmus. In ipſa lapidum ulteriori tractatione *adamas* agmen ducit, cuius tam rudis, quam vario modo politi, nomina diuerſasque qualitates adfert.
p. 163. Hunc ſequuntur omnes, gemmas quos nominare ſolemus, et *cryſtallus montana*, cuius originem non, ut multi contendunt, aquae congelatae adſcribendam eſſe ex eo demonſtrat, quoniam illa, ſummo licet igne toſta, non in aquam, ſed terram friabilem omnisque ſalis expertam mutetur, agmen transpa-
p. 169. rentium claudit. Semipellucidis *dendritas* annumerat, quos tamen varietatem tantum achatarum exiſtimamus, hinc non ut ſpecies peculiaris adſumendi erunt; quin et dantur alii non ſemipellucidis accenſendi lapides, calcareus v. c. corneus, quibus inſunt ſaepiſſime hae, a natura ludibunda productae, arbu-
p. 172. ſculorum figurae. Sub fine huius ſpeciei adnectit tractatum, in quo non, ut phyſicus, ſed ut gemmarius, de arte gemmas ſecandi poliendique, earumque
p. 183. vario pretio eleganter ſatis agit et diſputat. Inter lapides opacos duriores primum occupat locum *Turcheſia*,

cheſia, quam tamen vehementer miramur in hac ſpecie detineri, cum, ut et ipſe Cl. Auctor fatetur, eius natales ex regno animali ſint petendae, quodque dudum a rerum naturalium indagatoribus pro piſcis dente fuerit habita. *Marmoribus* lapidem ſer- p. 199.
pentinum adnumerare nullus dubitat, nominis forſan analogia deceptus, cum marmor dicatur zoeblizenſe: marmorumque ex heluetia oriundorum ſpecificum characterem in colore ponit coeruleſcente, cum tamen nullus fere exſtet color, quo non tincta marmoris gleba ex dicta hac regione ad nos adferatur. Silicibus communibus et molarem lapidem, quem omnes ut arenarium et ſabuloſum cognoſcimus, addere audet. Secundum genus a calcareis ſiue teneris p. 212.
componitur, quos ab aliis lapides magnae molis dici monet. Agit in eo de *calcareo; gypſo crudo; creta*, quam duce LINNAEO in quinque ſpecies diuidit; *tripela*, cui quo iure ſubnectat lapidem ſuillum, non intelligimus; et de lapidibus arenariis, *pierres de taille* quos vocat, germanice *Quater-Steine*, quorum multas varietates adducit. *Cotis* in fine capitis p. 219.
huius differentias ex LINNAEO addit, et breuiſſimam lapidis *Flieſſen ex Suecia* dicti deſcriptionem adiicit. Poſtquam in tertio genere, ſub *ſquamoſorum* lapi- p. 222.
dum nomine de *Selenita*, *lapide ſpeculari*, *gypſeo*, *talco*, cui incongrue adnectit *modiolum ſtellatum* LVIDII ſiue *caryophilloidem* SCHEVCHZERI, *ardeſia*, *ſchiſto*, *mica*, *amiantho* et quae ſunt id genus alia, paucis egerit; ultimum tandem genus, *ſabuloſorum* nempe *po*- p. 227.
roſorum et *ſpongioſorum* deſcribit. Putaueris forſan ſub hoc nomine deſcriptas eſſe glebas foſſiles, quae minimo cohaerent niſu, et in arenam ſiue puluerem facile dehiſcunt. Sed falleris. Sunt enim in hoc genere comprehenſi lapides, qui forma ſua externa corpus quoddam naturale mentiuntur, et quos uno ore omnes phyſici *figuratos* ſiue *luſus naturae* appellitant. Inuenies ergo, *panem daemonium*, *artholi-*

 thum,

thum, *encephaloidem*, *hippocephaloidem*, *priapolithum*, *hyſterolithum* aliaque nomina, in hiſtoriae naturalis ſtudio vix admittenda, deſcriptionesque mancas admo-
p. 231. dum et fallaces, ſic v. c. *Encrinum* dicit lapidem rubrum, argilloſum, angulos formantem, qui, ſi a ſe inuicem recedant, tres liliorum flores repraeſen-
p. 241. tent. His tandem addit ſub *congelationum* nomine *ſteatitarum*, *ſtalagmitarum* et *ſtalactitarum* diuiſionem et differentiam.

p. 246. Tertia foſſilium claſſis comprehendit *ſales*, *ſulphura*, *metalla* et *mineralia*. Ante vero ad horum tractationem quam ſeſe conuertat, de metallis et mineralibus varia diſputat. Mineralium ſynonymica nomina, definitionem, ortum et geneſin declarat, et num ignis, an aqua, an aer cauſam conſtituat metallorum geneſis, euincere ſtudet: minerasque non ab ipſius mundi initio in terra latitaſſe, ſed in dies generari
p. 251. atque increſcere, contra BOVRGVETVM aliosque, contendit. Varias denique explicat, quibus uti ſolemus in minerarum doctrina, voces, veramque ea-
p. 253. rum ideam ſiſtere allaborat. Cum omnis metallorum et mineralium differentia a matricibus (*gangues*) quibus inſunt, dependere ipſi videatur, earum diſquiſitionem omnino neceſſariam putat. Has, ſaxa et terras viſcoſas calore ſubterraneo petrefactas metallorumque particulis ſcatentes dicit, easque ſummum ignis gradum ſine eo, quod calcinentur, tolerare adfirmat, diſtinctionem in ſimplices et compoſitas ſubnectit, venas et venarum coria breuibus conſiderat, et de marcaſitae, cadmiae, tutiae aliorumque vocabulorum indeterminata ſignificatione non nulla proponit.

p. 257. His expoſitis primum huius claſſis tertiae genus enumerat, quod *ſalia*, duplici modo, alio nimirum generaliori, in *ſal gemmae*, *ſal marinum*, *vitriolum*, *alumen*, et *nitrum*; alio particulari, ut ait, in *acida*, *acalia*, et *media* diſtributa ac diſpoſita continet. Sal in

in aqua ſolutum *muriam* conſtituit, quarum varias ſpecies, LINNAEI auctoritate, adfert, quibus et, ſub muriae lapideae phoſphorantis nomine, ſpathum accenſet; plantarumque et animalem muriam addit.

Alterum huius claſſis genus explicat *ſulphura* quorum quinque ſpecies diſtinguit, *natiuum* ſiue *virgineum*, *bitumen*, *ambram*, *gagatem*, et *lithantracem*. Bitumina in liquidum, ſolidum et molle diuidit, ac duodecim eorum ſpecies exponit. De ambra, cui et ſuccinum iungit, addita colorum ratione differentia, multa diſſerit, eiusque originem omni ſtudio diſquirit. Miramur tamen, quid ſit, quod variorum Auctorum BOCCONIS, NEVMANNI, HILLII aliorum opinionibus reiectis, ei aſſenſum praebeat, qua adfirmatur, ambram ex fauis apium melle refertis ortum trahere. Lithantracum multas enumerat ſpecies et earum in fuſione uſum paucis contra HENCKELIVM demonſtrare annititur; addita, quae huius foſſilis nociuum fumum comprobare et quam ipſe expertus fuit, hiſtoria. p. 267. p. 268. p. 272.

Tertium genus conſtituunt *metalla* et *mineralia*. Sunt iſta vel *perfecta* vel *ſemimetalla*; priorum alia *dura* deprehenduntur ut aurum, argentum, cuprum et ferrum; alia *mollia* ut ſtannum et plumbum; alia *liquida*, cuius tamen ſpeciei unicum hucusque modo cognitum eſt, hydrargyrum nempe. Inueniuntur partes metallicae non ſemper in venis et fibris, ſed diſperſae ſaepius et ſparſim occurrunt, ſiue et terris lapidibus matricibusque, marcaſitas quas multi vocant, admixtae, hinc non ductiles, ſed refractariae ſaepius reperiuntur glebae. Aurum vel purum effoditur, vel aliis lapidibus, quibus micam, pyritem, pſeudogalenam et galenam accenſet, immixtum. Platinae, paucis abhinc annis detectae, nullam iniicit mentionem. Inter argenti mineras liquidae cuiusdam, quam *Guhr* appellat, deſcriptionem, addit eamque aeri expoſitam duritiem aſſumere adfirmat. p. 277. p. 283.

De ſtanno et plumbo natiuo, quod utrumque, aliorum forſan niſus auctoritate, non teſtis αυτοπτης, de-
p. 289. ſcribit, merito dubitamus. Molybdaenam quoque cum plumbagine, quae omnino differunt, confundit, eam plumbi mineris annumerans. Ex mercurii minerarum loco eximit cinnabarim natiuam, quam ſub ſemimetallorum ordine comprehendit. Semimetalla, mineralia ſtricte dicit, quorum ſpecies conſtituunt antimonium, biſmuthum, zincum, arſeni-
p. 301. cum, cinnabaris, cobaltum, magneſia. His deſcriptis nouam addit huic generi inſerendam claſſem, lapidum ſcilicet metalliferorum, quorum quatuor diſtinguit ſpecies, alios martiales ſiue ferragineos, alios pyritoſos, alios quartzoſos, alios denique ſpathoſos dicens. Praeter omnem opinionem ſub martialium ſpecie inuenimus varios figuratos, aliosque lapides, enhydrum v. c. aetitem, geodem, lapidem cruciferum, ceraunias, lapidem nouacularum, lydium ſiue baſalten, quin et iolithum ſiue lapidem violaceum, ab
p. 308. odore, quem ſpargit, ita denominatum. Pyritarum varias adducit differentias mancas admodum, quas, ſi HENCKELIVM conſuluiſſet, aptius omnino expoſuiſſet. Adiecta diſpoſitione et deſcriptione quartzoſarum aeque ac ſpathoſarum glebarum, eos, qui in montibus igniuomis generantur et ab iis euomuntur, lapides paulo fuſius explicat; et denique metallorum, quem in ſocietate hominum praeſtant, uſum breuibus exponit.

p. 317. Ad tertiam operis partem properamus, et quae Cl. Auctor, in ea apte et eleganter pertractauit, videbimus. Agit in prima ſectione de foſſilibus terrae alienis, cui praemittit de petrefactis eorumque origine poſitiones quaſdam generaliores. In his corporibus diſponendis LINNAEI WALLERIIque auctoritatem potiſſimum ſequutus eſt. Diſpeſcit haec foſſilia, quae ex aliis regnis in minerale adlata eius indolem induerunt, in ea, quae ex animali, quae ex vegetabili et

quae

quae ex mari translata terrae admixta et in illa lapideo quodam ſucco penetrata eruuntur, quibus appendicis loco addit lapideas glebas in animalium ſiue vegetabilium corporibus enatas. Cum vero aliorum corporum tota ſubſtantia ſiue maſſa petream aſſumſerit indolem, aliorum vero forma et figura tantum lapidi, molli adhuc, impreſſa fuerit; duo diſtinguit et animalium et vegetabilium partium genera, quorum unum partes vere in lapidem conuerſas, alterum lapidibus modo variis impreſſas figuras, quos lapides *typolithos* appellat WALLERIVS, continet. Dupli- p. 319.
ci modo oriuntur petrefacta, ut in prooemio adnotat, vel incruſtatione, vel infiltratione. Incruſtantur corpora in aquis praeprimis thermis copioſa terra ſcatentibus, nec tamen in ſua natura alterantur, ſed tantum modo cruſta quadam inueſtiuntur. Infiltratio vero obiecta petrificationi apta in veram mutat petram. In duas omnia petrefacta commode poſſe diuidi claſſes in ea ſcilicet terrae et ea maris contendit. Petrefacta terrae nominat corpora mutata in lapideam p. 321.
quandam marmoream v. c. maſſam, ope ſucci *lapidifici* in terra eiusque cauernis deliteſcentis. Contingit interdum, ut in vicino loco latitent mineralia, unde fit, ut cruſta quadam metallica, pyritacea ut plurimum obtegantur corpora, vel et eorum pori prorſus oppleantur, cuius rei exemplum cornua ammonis, marcaſitacea quae dicimus, in anglia et germania frequenter eruta, praebent. Nec ſemper corpora ipſa in lapidem conuerſa inuenimus, ſed maſſam quandam lapideam in aliis corporibus, conchis in primis, natam eorumque ſuperficiei aſſimilatam reperimus, quas glebas metrolithos ſeu nucleos nuncupat WALLERIVS. Petrefacta vero maris vix illud promereri nomen optime iudicat, cum tantum modo ſint corpora lapidi, qua materiam, ſimilia, a polypis formata. p. 323.
Non, ut multi, diluuium uniuerſale petrificatorum unicam agnoſcit cauſam, ſed et particularum regio-

p. 326. num inundationes, terraeque motus ad haecce natu-
rae mirabilia formanda multum adtuliſſe adſeuerat.

In ipſa petrefactorum diſquiſitione ea primum re-
cenſet, quae ex animali regno proficiſcuntur: hoc ſer-
uato ordine, ut hominis, quadrupedum, auium, re-
ptilium, piſcium, vermium et concharum partes et
in lapides mutatas, et ipſis modo impreſſas deſcri-
p. 330. bat. E quorum adlato numero omnino merentur
nominari cranium hominis integrum in lapidem vere
conuerſum, in muſaeo Cl. IONETI Med. Doct. in
p. 339. urbe *Remis* aſſeruatum; piſciculusque quoad totam
ſuam ſubſtantiam in petram mutatus, cuius utrius-
que foſſilis nitidas exhibet figuras aeri inciſas.

Secunda claſſis ſuppellectilem continet ex regno vegetabili petrefactorum, cuius primus articulus ligna, fructus et folia deſcribit: alter vero foliorum figuras, phytotypolithos quas vocamus, fiſſili, topho, calcareis aliisque lapidibus impreſſas monſtrat. Madreporas, reteporas, aſterias, aſtroitas, alcyonia et quae ſunt id genus alia, tertia claſſis exhibet, in cuius fine teſſeras badenſes, ut arte facta corpora, deſcribit.

Quarta denique claſſis tractat lapides, quos Be-
zoar dicimus, quorum tria genera, animale, vegeta-
bile et minerale ſtatuit. Priori generi adnumerat
omnes in animalium corporibus natos lapillos, ex
quorum numero tamen eximendos iure monet lapi-
des, in animalium cauis modo detentos, non vero na-
tos: ut chelidonium, alectorium, hippolithum etc.
p. 383. Alterum genus continet lapillos in fructibus arboris
calappi, quae eſt palmae cocciferae ſpecies, inueniun-
dos, ſub Bezoar vegetabilis nomine, deſcriptos. Ter-
tium tandem genus minerale Bezoar explicat, de cu-
ius qualitatibus variorum auctorum proponit ſenten-
tias: variasque terras fatuas pro eo venditari oſten-
dit.

Altera

Altera ſectio partis tertiae exhibet catalogum omnis rei foſſilis in gallia reperiundae. Prodiit paucis abhinc annis latino ſermone conſcriptus, cuius et ſummam ſupra * iam adtulimus. Genio tamen, ut ait, ſeculi ſe accommodans, quem omnino et nos dolemus faſtidire latinam linguam, hanc enumerationem hinc inde auctam, in patrium ſuum ſermonem transtulit Cl. Auctor. p. 387.

Coronidem imponit toti operi, appendix in qua piſcium auiumque variarum figuras, hucusque non exſtantes, explicat. Auium ſpecies ſunt, *ochropus*, *rallus*, *alcyon* ſiue *iſpida*, et *larus*: piſcium vero, *ſeſerinus* ſiue *aper aureus maculatus et faſciatus*; *lyra*; *turdus totus coeruleus et aureus*, *pinnis et cauda fulcinatis*; *bellone maculata*, *cauda trapezia*. p. 533.

Figurae aeri inciſae nitidiſſimae omnino multaque arte celatae deprehenduntur et mira oblectatione oculos adficiunt. Sunt tamen variae glebae, quae ut icone exprimantur, vix promereri videntur, quamuis in praefatione Cl. Auctor aſſerat, non niſi notatu digniſſimas glebas figuris aeneis eſſe expreſſas: ſic v. e. Tab. VIII. artholithus, piriformis, ficoides ex hoc nitidarum iconum numero iure extinguendi nobis videntur.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 693.

IX.

Diſſertatio hiſtorico - epiſtolaris ad Cl. Virum IACOBVM BARTHOLOMAEVM BECCARIVM, qua epidemicae febres in Lucenſis Dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur; nec non mercurii, atque corticis peruuiani uſus in earum curatione recto rationis examini ſubiicitur; phyſicorum tentaminum ope remedii utriusque viribus exploratis. A IOSEPHO BENVENVTO Lucenſe ex nobilium virorum iuſſu in ſereniſſima republica ſanitati ſeruandae conſulentium, aegrotantibus curandis deſtinato, conſcripta; atque nobilibus iisdem viris dicata. Accedunt ſub finem Cll. Virorum IOSEPHI XAVERII BERTINI, atque IOSEPHI VALDAMBRINI ad Auctorem epiſtolae, maxime ad rem attinentes. Lucae typis Ioſephi Salani 1754. 8. plagul. dimidiatar. 11.

Liceat nobis ordinem a Cl. Auctore obſeruatum
p. 18. paulo inuertere. Aeſtiua tempeſtate anni 1752
in maritimis quibusdam locis, praeſertim vero Orbi-
p. 19. tellianis, ſtagnantibus aquis ac putreſcentibus propter
imum eorum ſitum ſcatentibus, ab immoderato aeſti-
p. 29. uo calore auſtrinaque conſtitutione, nec non ab annonae caritate, qua panem ex fabis et frumento turcico confectum, pultem ex caſtanearum farina, cocta legumina, piſces ſale conditos, et fumo praeſertim exſiccatos comedere, atque inſalubres aquas potare cogebantur, morboſa conſtitutio inſurrexit, quae plurimos Orbitellii atque adiacentium locorum habitatores detinuit. Reuertebantur tunc aliquot huius oppidi accolae, in patriam, Brandelii (Brandeglio) ſcilicet oppidum, hac febre correpti, et poſt eorum

reditum,

reditum, haec eadem febris Brandelii primo comparuit, ac per totum hyemale tempus in aliquibus, do- p. 31.
meſticis praeſertim, qui aerem ab aegrorum halitibus coinquinatum inſpirabant, etſi paucis, perſeuerauit, donec noua anni 1753 aeſtate accedente, aegrotantium multitudine adaucta, magis in illos ſaeuire, atque epidemicae conſtitutionis naturam acquirere inceperit. Ineunte igitur auguſto anni 1753 Cl. Au- p. 12.
ctor ad ſalubre antehac Brandelii oppidum, in ſublimi montis apice poſitum, a paluſtribus locis longo duodecim fere milliarium interuallo diſſitum, montibus undiquaque cinctum, aquiloni tamen peruium, miſſus, aegrorum numerum ſexageſimum tertium p. 3.
aequare inuenit, quindecim tantum exceptis, qui, quanquam pro valetudinariis haberentur, attamen morboſae recidiuae indicia prae ſe ferebant. Infeſtabant autem miſeros hosce ſub morbi initium capitis dolor grauatiuus, anxietas, nauſea, laſſitudo, ſitis, dextri praecipue hypochondrii tenſio, rigores interdiu per corpus uniuerſum, pulſuum depreſſio et frequentia, urinarum color in aliquibus albus, aquae inſtar pellucidus, in aliis rubedine ſaturatus, Sequebantur in aliquibus exanthemata purpurea vel liueſcentia, plus minusue confluentia, citius tardiusue apparentia, iuxta aegrorum aetatem, corporis habitum, atque morboſi fomitis robur; in his enim ter- p. 4.
tio a decubitu die, in aliis quarto, nunquam poſt ſeptimum erumpebant. Ingraueſcente morbo faucium et linguae ariditas, auditus deprauatio, delirium, lethargus, conuulſiones ſuccedebant, arteriis interim debili, inaequali, contractili, ac non ſemel intermittenti diaſtole micantibus. Febris in aliquibus in ipſo exortu tertianae ſimplicis, vel duplicis typum perfecte ſeruabat, quae caeteroquin poſt tertiam quartamue acceſſionem (quandoque poſt primam) in continuam, non tamen acutiſſimam, conuertebatur, nulla prorſus remanente periodi lege.

Acceſſit

Acceſſit interdum diarrhoea utplurimum ſeroſa, ali-
quando ſubcruenta una cum parotidibus. In aliis fe-
bris nullo praeuio rigore inſurrexit, horreſcentibus
tamen interdiu aegris poſt ſecundum vel tertium mor-
bi diem, cum ſudore frigido per uniuerſum corpus,
p. 5. praeſertim vero circa frontem apparente. Grauius
aegrotabant medicamenta ſpernentes, et cucumerum
ingurgitatione febrilem ignem compeſcere autuman-
tes. Narium haemorrhagia tertia vel quarta morbi
die larga accedens, alios poſt ſeptimum diem leuauit,
alios vero in peiorem adhuc ſtatum coniecit. Mor-
bus hicce mulieribus et iuuenibus plethoricis atque
athletico habitu donatis magis familiaris fuit, quam
gracilioribus, viris, et ſenibus, quos tamen, ſi ado-
riebatur, diutius et ad quadrageſimum uſque detine-
p. 6. bat. Nullus vero initio morbi occubuit. In ſtatu
vel declinante morbo ad exitum properantes, aliquo
ante obitum ſpatio loquela deſtituti, profundoque
lethargo oppreſſi, decumbebant. In euadentibus
vero perfectae alicuius criſeos indicia non obſeruauit,
verum diu vacillantes, torpidi, ac enerues, lenta ſa-
tis atque diuturna conualeſcentia gradatim vires recu-
perarunt. Duodecim aegroti, graſſante morbo ſub-
lati ſunt, quos inter iuuenes praecipue mulieres oc-
p. 7. cubuere. In quarum una medici auxilium et nono
adhuc die decubitum in lecto recuſante, decima ſexta
die defuncta quadragenaria, totum cadauer, magis
autem abdomen inflatum atque diſtentum, epidermi-
de alicubi liueſcentibus maculis foedata, ac eleuatis
veſiculis, eodem ferme colore tinctis conſperſa, in-
uenit, quae perforatae nigricantem lympham admo-
dum graueolentem effuderunt. Meninges inflamma-
tas, et polypoſam in ſinu longitudinali concretio-
nem, in ventriculis vero cerebri extrauaſatam lym-
p. 8. pham ſanguine conſperſam reperiit. Cor mole ma-
gnopere adauctum flaccidum concreti ſanguinis co-
piam in ſuis cauitatibus continuit. Ventriculus vero
et

et inteſtina, vermes, ut putabatur, non continentia, praeter modum inflammata, colon autem ad necroſin vergens, meſenterium ex omni parte obſtructum, hepar omnino ſphacelo corruptum, reliquaque viſcera leuiter inflammata conſpectui ſe obtulerunt. Quam p. 7.
igitur ob rem Cl. Auctor haſce febres pernicioſarum nomine inſigniens, easdem ad remittentium ſimul ac intermittentium genus reduxit, et viſcera in exſtin- p. 9.
ctae huius mulieris corpore inflammata, gangraena, vel ſphacelo corrupta, non quidem pro febrium cauſa, ſed veluti pro earum effectu habuit. In harum ve- p. 32.
ro curatione aegris nouiter morbo correptis ſanguinem, et pro rei neceſſitate, vel ad tertiam quartamue vicem detraxit. Hic figulino vaſculo exceptus, ſpumeſcens, ad coagulum valde, propter ſeri deficientiam, tendens, coccineo colore tingebatur, atque oculis immiſſus eosdem acriter mordicabat. Pernicioſa vero ſymptomata, ſanguine, hac ratione ſub morbi initium, detracto, vel omnino non apparebant vel ocyus euaneſcebant. Venaeſectio vero in morbi incremento inſtituta longe aliter ceſſit. Ele- p. 34.
ctuarium dein lenitiuum, cui ſcrupuli duo circiter hydrargyri admixti erant, indiſcriminatim ſingulis, iis tantum exceptis, qui narium haemorrhagia vel cruento alui fluxu infeſtabantur (quibus camphorata pharmaca, diluentia, atque anodyna enemata praeſcripſit, opiatis penitus interdictis) ſummo mane exhibuit. Quo dato et moleſtiſſima diarrhoea ſedaba- p. 35.
tur, vermibus aliquando, aut irritante mucoſa materie expulſa, et alui conſtipatio, inteſtinorum ſordibus ter quaterue ad exitum prouocatis, tollebatur, ita, ut ab hoc tantum remedio ſimul, ac a frequenti et larga diluentium potatione, atque clyſmatum uſu aliquos viderit priſtinae valetudini reſtitutos. Iis vero, qui hisce remediis non reſtituebantur, corticis peruuiani drachmam unam et hydrargyri ſcrupulum unum partitis vicibus ita propinauit, ut huius miſce-

lae quarta quaque hora ſcrupulum unum per diei ſpatium deglutiendum exhiberet, repetita utplurimum eadem doſi ad tres continuos dies, quibus transactis febris aliquando euanuit, ſin minus, idem remedium
p. 36. ad ſanitatem uſque continuauit. Quodſi vero febris ad acutiem et continuitatem ita celeriter properabat, ut de aegri vita metuendum eſſet, corticis drachmas tres et mercurii drachmam unam unica doſi exhibuit, quo lethalis nouae febris ingreſſus praecaueretur, atque iterata per dies aliquot, matutinis tantum horis, exigua huius miſcelae doſi, febris omnino profligare-
p. 43. tur, et arceretur recidiua. Qua methodo Cl. Auctor in epidemica iſta Brandelii conſtitutione plus quam biscentum huius oppidi incolas, toto morboſae influentiae decurſu aegrotantes reſtituit, et triumphi
p. 37. gloriam, in debellando hocce morbo, non cortici peruuiano, quem per ſe datum ſuſpectum reddere conatur, ſed mercurio potius tribuendam eſſe contendit. Hanc controuerſiam vero, cum praeter id,
p. 55. quod Cl. Auctor mercurium repetita ſublimatione leuiſſimum effici, et ad grauitatem ſanguinis redigi poſſe exiſtimet, nihil noui vel notatu digni contineat, lubentes praetermittimus.

Litterarum ad calcem libri adiectarum, italico-
p. 65. que ſermone conſcriptarum, *prima* a IOSEPHO XAVERIO BERTINI Florentiae d. 27 febr. 1754 in Auctoris potiſſimum laudem exarata eſſe videtur. *Secunda* a IOSEPHO VALDAMBRINI Cortonae d. 6 martii eiusdem anni, *tertiaque* a Cl. MARTINO GHISI Cremonae d. 10 maii dicti anni ad Cl. Auctorem datae, mercurium in febribus malignis aliisque morbis exhibitum, non ſolum eosdem curaſſe, ſed eorum curationem quoque nulla alia mala inſequuta eſſe contendunt. Id, quod Cl. VALDAMBRINI in adiecta curationis, in duobus propriis filiis, febre verminoſa laborantibus, cum mercurio crudo feliciter abſolutae hiſtoria, magis confirmare conatur.

X.

X.

Diſſertatio medica de variolis, atque actione miaſmatis varioloſi. Auctore CHRISTIANO HENDRICO VAN IVCHEM. Lugduni Batauorum, apud Nicolaum Moens, MDCCLV. 4. mai. pl. 8.

Quo plures difficultates medici in explicando incogniti adhuc miaſmatis varioloſi operandi modo inuenerunt; eo maiorem certe meretur laudem, quod hanc arduam rem ſpeciminis inauguralis loco ſibi eligere, enodare, atque aliquam lucem eidem affundere conatus fuerit Cl. Auctor. Diſſertatio vero iam indicata in *ſeptem capita* diuiſa deprehenditur, in quorum *primo* variolarum ſubiecta, antiquitatem et ſtadia, *ſecundo* differentias variolarum, *tertio* earumdem hiſtoriam, *quarto* geneſin et cauſas, *quinto* actionem miaſmatis varioloſi, *ſexto* quaedam variolarum ſymptomata, et *ſeptimo* denique earumdem curationem exponere ſtuduit. Et licet in binis prioribus huius diſſertationis capitibus nihil noui inuenerimus; in tertio tamen iam varias hiſtoriam et prognoſin va- p. 12. riolarum egregie illuſtrantes, easque admodum notatu dignas obſeruationes interſperſit, quas vero, ne nimis longi ſimus, lubentes praetermittimus, et cum Cl. Auctore ad eruendam naturam et eſſentiam mor- p. 18. bi ſymptomatumque properamus, ubi ſequentes potiſſimum ad quaeſtiones reſpicit: 1) cur venenum varioloſum omnes fere homines afficiat? 2) cur faciat illud plerumque tantum ſemel? et 3) qua ratione ſeſe multiplicet?

Quod itaque ad primum attinet, Cl. Auctor in p. 22. capite quarto, de variolarum geneſi et cauſis, omnem qualemcunque cauſam praediſponentem, ſeu fomitem varioloſum vel ideo potiſſimum prorſus reiicit, quia alias 1) fere pro quolibet morbo eiusmodi ſemi- p. 23.

narium aſſumendum foret, id, quod tamen, 2) ſi detur, ſub decurſu grauiſſimorum, validiſſimis euacuationibus terminatorum, morborum v. g. ptyaliſmo
p. 24. mercuriali difflari deberet. Et hinc *unicam variolarum rationem quaerendam eſſe cenſet, in materia quadam venenata contagioſa, corpori humano a foris cer-*
p. 31. *ta quadam ratione inſinuata, phyſice*, id eſt, ut in ſequentibus ſeſe explicat, modo minus cognito, et ratione a nobis plane non explicabili, *in illud operante, cuius exacta indoles nos lateat, ubiuis ſub nomine miaſ-*
p. 26. *matis varioloſi occurrente*, ex quo, cum nemo facile per integram vitam, ſi paulo protractior ſit, ſeſe miaſmati huic ſuſcipiendo ſubducere queat, ſimul quoque patere arbitratur, *cur omnes fere homines afficiat?*

In quinto vero capite, recenſitis et reiectis opinionibus eorum, qui miaſma varioloſum primo in fluida agere crediderunt, cum iis ſaltem in genere facit, qui ſolida a miaſmate primum laedi ſtatuerunt, et mentem ſuam, de variolarum productione, ſequentem in modum explicat, poſtea quam prius definiuit, quid ſibi ſub principii vitalis ſeu irritabilitatis, ſtimulorum atque ſpasmorum nominibus veniat.
p. 31. Exiſtimat nempe: *miaſma varioloſum immediate primum dum afficit ſolida, ſtimuloque ſuo in iis excitat determinatos quosdam motus praeternaturales et ſpaſticos, mediantibus hisce ſingulari ratione certas ſanas quasdam vitiari humorum qualitates, ſiue quod eodem redit, ſingularis indolis generari cacochymiam: quam dein reliqua, quae in variolis apparent, phaenomena, partim*
p. 32. *comitentur, partim excipiant.* Hanc vero ſuam hypotheſin alteri, qua miaſma varioloſum primo in fluida agere ſtatuitur, praeferendam eſſe, ex ſequentibus obſeruationibus euincere tentat. Cum enim *primo* homines inueniantur, *qui*, ut inſitio clare docuit, *ad impreſſionem miaſmatis varioloſi, ut ut corpori inſinuati, plane inſenſiles ſunt, atque ideo variolis nunquam corripiuntur:*

piuntur: hoc ideo fieri arbitratur, quod principium vitale in omnibus non eodem ſeſe habeat modo, ad eundem miaſmatis noſtri ſtimulum, et quod in quorundam hominum ſolidis illa deficiat conditio, qua fit, ut ſtimulus ſuum re vera ſortiatur effectum; verbo, quod non reperiatur in ſolidis eorum irritabilibus diſpoſitio illa, quam ſcholae receptiuitatem appellauerunt, quae, ut effectus ſequatur in corpore, in quod aliud quoddam corpus agit, nunquam non ut obtineat, neceſſe eſt. Cui aſſerto illam fauere obſeruationem opinatur, qua conſtat, quod irritabilitas non tantum varia ſit in varia aetate, temperamento et ſexu, verum etiam differat in diuerſis hominibus, ratione nobis haud perſcrutabili alia; ſitque proin etiam ſtimulus relatiuus tantum, nec ſtimulans quid dici poſſe, niſi in relatione ad corpora indiuidua, quae ad eius impreſſionem ſenſilia ſunt, id, quod ulterius ex variis obſeruationibus et idioſyncraſiae hiſtoriis probabile reddere ſtudet. V. g. quosdam a comeſta carne porcina, vel aſſumto balſamo peruuiano ſemper eryſipelate correptos, et alios a comeſtis piſcibus quibuscunque pruritum intolerabilem, anxietates praecordiorum, quin et exanthemata, magnam lymphae excoloris copiam continentes, expertos, poſt annum aetatis vigeſimum vero ſponte ab his affectibus liberatos eſſe. Eiusmodi vero idioſyncraſiam ſeu certam et determinatam quandam in homine, qui ad miaſma inſenſilis eſt, humorum conditionem, qua ſeſe diſtinguerent ab humoribus eorum, qui miaſmatis actionem experiri poſſunt, quaque prorſus ineptus redderetur ad impreſſionem miaſmatis percipiendam, neminem cum aliqua probabilitate, ſit quod experientiam, ſit quod rationem conſuluerit, ſubeſſe oſtendiſſe; et hinc, ſi miaſma fermenti ad inſtar, vel alia quacunque ratione, fluida immediate inficere ſupponatur, effectum eius fore neceſſarium, et variolas in omni homine, cuius humoribus

p. 33.

debitis ſub conditionibus admiſcetur, producere debere, id, quod tamen obſeruationi propoſitae prorſus repugnet.

p. 34. Et cum *ſecundo homo, variolas ſemel perpeſſus, de nouo poſtea iis raro corripiatur*, hoc ex eo principio, quo miaſma varioloſum primo in fluida agere ſtatui-
p. 35. tur, prorſus non explicari poſſe, ſecundum ſuam hypotheſin vero ideo fieri opinatur, quod ſolida, quae olim ad miaſma ſenſilia deprehenſa ſunt, ab eo denuo, propter contractam quaſi cum miaſmate familiaritatem aliquam, qua eius ſtimulo adſueſcere potuerint, non amplius afficiantur. Id, quod dein, licet inſufficientiam huius explicationis ipſe vel inuitus agnoſcere cogatur, vario modo probabile reddere
p. 36. ſtudet, et ſic quoque *ſecundae ſupra propoſitae quaeſtioni ſatisfactum eſſe autumat.* Ex quo *tertio* intelligi quoque poſſe arbitratur, *cur foetus interdum intacta matre, variolas nempe iam ante perpeſſa, hoc morbo* foedati *in lucem prodierint.*

Quodſi autem *quarto mulieres tempore grauiditatis in variolas incidant, infante nihilo minus ab iis in utero primum, et dein etiam poſt partum ſatis diu libero manente, correptoque iis tantum poſt ſpatium aliquot annorum elapſum*, cuius exemplum habeatur in Tranſ. Phil. Angl. Vol. 46. p. 237. hoc ipſi ex actione mi-
p. 37. aſmatis in fluida explicatu impoſſibile, ſecundum ſuam vero hypotheſin ideo fieri perhibet, quod ſtimuli, ob ſolidorum habitum, vario tempore varium, modo actiui ſint, modo ſummam monſtrent inertiam, id, quod tam ex ſupra adductis, quam aliis obſeruationibus et idioſyncraſiae exemplis probabile reddere, et ex hoc principio etiam explicare annititur, quod
p. 38. duo, tres, quatuor ſaepe infantes, in eadem domo degentes, variolis infeſtentur, quinto nihilo minus libero manente, qui eodem morbo non niſi poſt plures demum annos corripiatur. Qualis vero ſit conditio modificatae iſtius ſolidorum diſpoſitionis, receptiui-

ceptiuitatisque ad tempus deficientis ratio phyſica Cl. Auctorem penitus latet, nec eam determinare in ſe ſuſcipit. Et ſi *quinto grauidae aliquot ante partum diebus variolis correptae, excluſerint foetum absque ulla morbi impreſſionis nota, in quo tamen breui, ſecundo, tertio, vel alio ante octauum a partu die prodierint variolae*, hoc praeſertim eo in caſu, ubi mater confluentibus, foetus vero diſcretis, et vice verſa, variolis laborauit, ex actione miaſmatis varioloſi in fluida nequaquam, ex ſua vero hypotheſi ita explicari poſſe arbitratur, ut tantum aſſumere debeamus, ſolidorum irritabilium conditionem in matre aliam, quam in foetu exſtitiſſe, id, quod ex eo quoque probari poſſe putat, quod in inſitione aeque bono ſucceſſu pus ex diſcretis et ex confluentibus deſumatur, et ſecundum Cl. MEAD plus referat, in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur virus. p. 39.

Quod ad tertiam vero ſupra propoſitam quaeſtionem, de mira miaſmatis varioloſi multiplicatione, pertinet, reiecta immediata actione in humores, illius cauſam in motibus ſolidorum, per actionem miaſmatis deprauatis, quaerendam eſſe cenſet. Febri vero per varioloſum miaſma accenſae eius multiplicationem ideo non tribuendam eſſe putat, quia praeter alias plurimas rationes, facta inſitione dies ſeptem plerumque vel octo excurrant, antea quam febris ulla ſeſe manifeſtet, et hinc probabile videatur, miaſmatis multiplicationem ante natam febrem, maximam ſaltem partem, factam iam fuiſſe, copiamque ideo huius non febris effectum, ſed potius cauſam haberi poſſe. Cl. Auctor ideo exiſtimat: *miaſmatis actione ſingulares quosdam in capillaribus vaſculis deprauari motus oſcillatorios, hisque ipſis humores, qui per ea fluunt, non tantum in genere prauam nanciſci qualitatem, ſed et iis ſimul ipſum materiae morboſae, primae turbarum cauſae, imprimi characterem.* Statuit enim in minimis vaſculis corporis humani motus quosdam p. 40. p. 41.

 natura-

naturales, in diuerſis partibus diuerſimode modificatos, quos oſcillatorios appellat, quorum effectus in ſanitate ſit, ut liquidis certae quaedam concilientur qualitates, ad uſus deſtinatos neceſſariae, perque actiones vaſorum maiorum, et cauſas mutantes in corpore animali alias, non acquirendae. Hos vero motus oſcillatorios naturales a variis cauſis peruerti, et hinc humoribus vitia ſeu cacochymias induci poſſe; et cum ſtimulus quicunque peculiare ſibi producat motus vitium, et proin ſine dubio quoque in oſcillationibus ſuis modificationes ſibi prorſus peculiares; in quibus poſterioribus ſcilicet proprie contineatur ratio, cur materia, ex humoribus per cauſas memoratas producta praua, iisdem penitus qualitatibus, tam in hoc, quam in aliis pluribus morbis, praedita ſit, quas poſſidet materia, prima motuum vitiatorum cauſa. Et his admiſſis intelligi poſſe arbitratur, difficillimum alias ſolutu in variolarum morbo phaenomenon, ſi non perfecte, aliquo tamen modo. Dari vero eiusmodi oſcillationes naturales ex
p. 42. ſecretionum opere patere aſſerit; praeternaturales vero partim ex variis affectibus morboſis v. g. ex nutricis lacte per iram ita peruerſo, ut vix ab infante ſuctum tormina et conuulſiones excitet, partim ex
p. 43. effectibus medicamentorum quorumdam v. g. mercurii, item infuſi belladonnae in curatione ſcirrhoſarum
p. 44. glandularum probari. Sententiam ſuam ex hoc quoque egregie confirmari autumat, quod, ſi quis variolas iam ſemel paſſus, contagium de nouo ſuſcipiat, in eundem morbum quidem rurſus non incidat, inde tamen aliquando exanthemata et affectus cutaneos alius formae, bubones variaque ulcera patiatur. Horum enim rationem intelligi poſſe, aſſeuerando, ſolidorum receptiuitatem per primum morbum adeo mutatam eſſe, ut ad priſtinas oſcillationes reproducendas efficax ſatis non amplius exſtiterit venenum, ſenſilitatem tamen ad illius ſtimulum nondum adeo exſtin-

exſtinctam fuiſſe, quin adhuc oſcillationes excitare potuerit aliter modificatas, vitiorum in humoribus ſui generis cauſas. Denique addit, principium ſuum, unde multiplicationem veneni varioloſi deduxerit, adeo foecundum eſſe, ut ſimili obſcurae contagioſi miaſmatis multiplicationi in morbis pluribus aliis lucem affundat; quin imo ipſam miaſmatum primam geneſin illuſtret.

In ſexto tandem capite ad examen cauſarum progreditur, a quibus proficiſcuntur ſymptomata atque accidentia quaedam variolarum notabiliora, quae ipſi, in genere conſiderata, duplicia ſunt. 1) Talia nempe, quae a *febre variolas concomitante*, *tanquam primo ſymptomate*, a veneno copia aucto, neruos omnesque in genere ſenſiles et irritabiles partes ſolidas ſtimulante et irritante, producta, ſola ut cauſa dependent, ideoque merito ſimpliciter febrilia audiunt; de quibus ipſi hic quaeſtio non eſt. 2) Talia, quae ſeſe prioribus adiungunt quidem, proprie tamen non a febre, verum a ſpasmis particularibus, ſingulares partes occupantibus, certaque ratione ſe habentibus, dependent, cum febre tamen ita connectuntur, ut, ſi corpus varioloſum eretiſmo febrili affectum non eſſet, in eo forte nunquam excitarentur, adeo, ut generandis iis febris tantum occaſionem praebeat. Haec poſteriora vero ipſi oriri videntur vel a) unice ab eretiſmo uniuerſali ſolidorum, a febre nato, id eſt, ſua fere ſponte, qualia ſunt, v. g. alui conſtipationes, diarrhoeae, urinae excretiones profuſiores, eiusdemque ſuppreſſiones, hoemorrhagiae etc. vel b) ab aliis ſtimulis in corpore, variolis prehenſo, ſimul praeſentibus, huicque vel illi parti ſingulari applicatis, v. g. a faecibus primarum viarum, a plethora, ab obſtructionibus viſcerum, a congeſtionibus, ab ipſa etiam peruerſa medicatione etc. vel denique c) a miaſmate varioloſo, praeter ſpasmos uniuerſales febriles, partes adhuc ſingulares peculiari

p. 45.

p. 46.

proſſus ratione afficiente, et idcirco ſingularia quaedam ſymptomata febrilibus ſe adiungentia, excitante,
p. 47. v. g. inſignes capitis, ceruicis et lumborum dolores, ſaliuationes, nauſeas atque vomitus. Quomodo autem haec producantur, ſe ignorare non diffitetur.

Eruptionem ceu ſecundum ſymptoma per criſeos imperfectae ſpeciem ita abſolui credit, ut febrilibus tandem ſpasmis ſua ſponte remittentibus, vel penitus intermittere incipientibus, ſyſtema ſolidorum ad tranquillitatem deductum, nouos quosdam, et quidem ſalutares ſuſcipiat motus ſecretorios, ad quos per ipſos praegreſſos ſpasmos febriles ipſi diſponi videtur; atque motibus hiſce materiam varioloſam a ſanis humoribus ſeparet, ſeparatam per relaxata et a ſpasmis iam libera capillaria vaſcula critice ad cutem deponat. Quare vero criticae materiae determinatio in hoc morbo eodem modo, ut in morbiliis, purpura etc. ſemper ad cutim fiat, ſe latere ingenue fatetur.
p. 48. Secundum ſuam igitur ſententiam variolarum eruptio non ideo fit, 1) quia materies ſubacta et praeparata, ſeu ut vulgo dicitur, cocta eſt; nec facit proin etiam cruda eadem ſola, ut criſis non ſequatur, febrisque continuet; verum debetur criſeos retardatio aut perturbatio utplurimum potius perdurantibus ſpasmis. 2) Eruptio macularum non cauſa eſt ſolutionis ſeu remiſſionis morbi atque ſymptomatum, verum potius morbi iam remiſſi, vel ſaltem remittere incipientis effectus. 3) Vrina hypoſtatica, aliaque in excrementis excretionibusque laudari ſolita, dum teſtantur criſin vel inſtare vel fieri, faciunt id teſtando tantum de reſolutione ſpasmorum inchoata, conditione ad
p. 49. criſin neceſſaria. Quae omnia ulterius explicare, obſeruationibusque celeberrimorum auctorum confir-
p. 52. mare, et medicos, in prognoſi de cita variolarum eruptione diſſentientes, conciliare nequaquam oblitus eſt.

Exan-

Exanthemata vero ipſa, per eruptionem produ- p. 53.
ɛta, *tertio loco examinat.* Et cum cauſae formalis exanthematum in genere, ſecundum eius opinionem, haec fuerit quam plurimis medicis idea, ſcilicet, formari ea a materie quadam morboſa, a reliquis ſanis humoribus ſecreta, per vim circulationis tandem delata ad cutim, ibidemque ſolo ſui ipſius vitio vel per errorem loci, minima vaſcula capillaria obſtruente; ſit interim nata illa materies ex liquidis viſcidis lentisue heterogeneis, ſiue ex humoribus quamcunque ob cauſam coagulatis, mole auctis, nimis cohaerentibus, aut lenteſcentibus inquilinis: Cl. Auctor huic opinioni adſtipulari nequit. Licet enim in omni exanthemate obſtructio adſit, ipſi tamen non ideo ſequi videtur, materiem haerere ob auctam molem, cum aeque haerere poſſit vitio vaſculorum. Quod poſterius in affectibus exanthematicis, ſi non ſemper, utplurimum tamen obtinere credit, et quidem ita, ut exiſtimet, cauſam vaſculis vitium inducentem, eaque praeternaturaliter arctantem, eſſe ſpasmum. Id quod ex puſtulis et maculis eryſipelatoſis, quae interdum ex applicatione gummatoſorum ſtimulantium emplaſtrorum, nec non ex iis, quae a morſu, ictu, p. 54.
et punctura variorum inſectorum aliorumque animalium, ab attactu urticarum etc. ut et ex iis, quae in ſupra allatis idioſyncraſiae exemplis, in cute oriuntur, illuſtrare, et a dubio, quod contra ſententiam p. 55.
ſuam moueri poſſet, hac nimirum ratione exanthemata quoad formam externam et indolem omni prorſus dote inter ſe conuenire debere, liberare tentat. Quo facto tandem exanthemata varioloſa gene- p. 56.
rari aſſerit, dum materia varioloſa, critice ad habitum corporis externum depoſita, ſtimulo ſuo vaſcula capillaria cutanea irritet; haec vero, ſpasmodice inde affecta, contentos humores intercipiant, liberumque iis, propter criſpaturam, tranſitum negent. Maculis autem hac ratione natis, quae ſequuntur

omnia,

omnia, partim a ſtimuli continuata actione eiusque natura ſingulari, partim ab eretiſmo, vaſculis a cauſis aliis ſuperinducto, et tandem a productis ab hisce utrisque oſcillationibus ſingularibus pendere perhibet.

Haemorrhagias, quas *quarto loco* examine dignas iudicauit, itidem a congeſtionibus et ſpasmis deriuat.
p. 57. Et licet concedat ſanguinem in maculis purpureis ac nigris, quae variolarum haemorrhagiis ſeſe ſaepiſſime adiungunt, quasque reuera pro gangraenoſis non habet, ut et ſanguinem ipſas papulas peſſimo omine intrantem, in putrilaginem diſſolui poſſe; negat tamen, hanc diſſolutionem putridam effluxus cauſam eſſe, ſed eundem potius ab eretiſmo aucto in vaſa minima ſanguinem, alias non vehentia propelli. Auctores denique circa prognoſin haemorrhagiarum in variolis contingentium diſſentientes egregie conciliat.

p. 59. In *ſeptimo* denique ultimoque capite monita quaedam, variolarum curationem reſpicientia, continentur, in quibus vero, ut de ſe ipſo modeſte monuit
p. 63. Cl. Auctor, tanquam inexpertus iuuenis breuitati ſtuduit, et de reliquo veniam pro laude petiit. Licet vero Cl. Auctoris argumenta, quibus aliorum praecipue opiniones refellere conatus eſt, non ubique omni exceptione maiora, nec eius hypotheſin ad omnia variolarum phaenomena explicanda ſufficientem iudicemus, attamen diffiteri non poſſumus, eundem in eleganti doctaque hac diſſertatione obſeruationes, quae ad ſtabiliendam illuſtrandamque hypotheſin ſuam quocunque modo aliquid conferre potuerunt, magna diligentia conquiſiuiſſe.

XI.

XI.

Vlterior expoſitio nouae methodi *Kaempfianae* curandi morbos chronicos inueteratos, praecipue malum hypochondriacum. Diſſert. Praeſide GOTTL. BENIAM. FABER, Med. Doct. et Prof. Extr. Reſpondente *Auguſto Theodoro Brotbeck.* Tubingae, 1755. 4. pl. 4½.

Quum fama illius nouae ſic dictae methodi inter multos huc uſque percrebuerit*, facere non poſſumus, quin aliquam eius notitiam exhibeamus noſtris lectoribus. Auctor eius fuiſſe traditur IOANNES KAEMPF, Medicinae Doctor ultimisque vitae ſuae annis Haſſo-Homburgenſis Archiater, nunc vero iam ante biennium demortuus, qui, quum intel- p. 3.
ligeret, proximam plurium chronicorum morborum cauſam in infarctibus vaſorum ſanguiferorum imi ventris, venoſorum in primis, ſeu eorum ab aliqua materiae ſpiſſa praeter naturam vel copia vel craſſitie aucta, obſtructione facta, ἔμφραξιν dixere veteres, ſaepius haerere, optime illis ſe poſſe mederi exiſtimauit lotionibus emollientibus crebro perque ſingulos dies in aluum iniiciendis, ſine oleo vel ſale additis, niſi vehementiores ſpaſmi eorum uſum poſtularent. Du- p. 10.
plices autem clyſteres ſemper curauit parandos: unum,

* Praecipua illius iam inueniri legimus in ſequentibus diſſertationibus: IOH. KAEMPF, filii, *de infarctibus vaſorum ventriculi; Baſileae;* 1751. DAN. EMIL. KOCH, *de infarctibus vaſorum in infimo ventre; Argentorati*, 1752. IOH. GEORG. SCHMID, *de concrementis uteri*, *Baſileae*, 1753. IOH. FRID. ELVERT, ſub praeſidio GEORG FRID. SIGWART, *de infarctibus venarum abdominalium internarum eorumque reſolutione per enemata potiſſimum inſtituenda. Tubingae.* 1754.

unum, ut aluus redderetur lubrica, ex herbis emollientibus atque furfuribus coctum; alterum magis reſoluentem, ex herbis reſoluentibus iterumque furfuribus nunc uſtulatis, confectum; utrumque tepidum iniiciendum tamque diu, ac ab aegro fieri poſſet, retinendum. Alia tamen ſimul ore aſſumere iuſſit aegrum remedia, eius temperamento morbique indoli ac ſtatui conuenientia, corrigentia nimirum, reſoluentia, laxantia, roborantia, ſub infuſi potiſſimum vinoſi forma propinanda; hacque methodo quam plurimos aegros, praeſertim hypochondriacos confirmatos, feliciter curaſſe fertur. Similes quoque lotiones in ipſum uterum tepidae iniici poſſe atque debere legimus, ſi nempe infarctus iam dicti in eius vaſis haereant.

p. 13. In illis tamen caſibus ſingularis vis praecipue tribuitur quotidiano talium clyſmatum uſui, ubi iam infarctus iſti in ſolidiorem aliquam, polypoſam, ſteatomatoſam ſimilemque concretionem abierunt, quippe contra quam omnium aliorum remediorum, praeter clyſteres, non niſi incertus effectus eſſe poſſe aſſeritur. Viae enim, per quas excerni debent iſta concrementa, relaxantur, ut facilius dilatari poſſint; ipſa iis inhaerens materia tenax lubricatur eiusque cum vaſis continentibus nexus ſoluitur, ita ut, praeſertim ſi ea internis medicamentis facta fuerit mobilis, vel ſponte excernatur, vel aliquo adhibito ſtimulo facilius excuti poſſit, quippe cui conſequendo fini ipſa intendit natura, excitatis vehementioribus ſpaſmis atque doloribus. Hi enim, propter inteſtina minus irritata, vel rariores vel mitiores eſſe ſolent, quando obſtruens iſta materies tenerioris molliorisque conſiſtentiae, vaſa vero debilia viaeque excretoriae valde ſolent eſſe anguſtae. Tum vero illa clyſmata ſola non ſufficiunt, ſed, praeter interna remedia, extus quoque ſub balneorum, unguentorum, ſimiliumue forma, in uſum vocari debent talia, quae vaſis maius

ius robur conciliant, ut contentos infarctus expellant eo facilius; quam ob cauſam etiam conuenientia laxantia, adiecto ſtimulo, interponi debent.

Diiudicat hancce *Kaempfianam* dictam methodum Cl. Auctor, eamque ex principiis theoreticis aeque confirmat, ac inſigni obſeruationum, quas affert, numero, ex variis collectionibus depromtarum, ex quibus apparet, tales infarctus duros inteſtinorum in primis craſſorum tunicis adhaerentes a multis medicis ſaepius deprehenſos; ſimilesque in aegris eodem modo laborantibus cum leuamine excretos fuiſſe; ipſos inſuper morbos, illis tantum reſolutis atque reiectis, prorſus demum ceſſiſſe nec amplius regreſſos, ſi roborantia per aliquod tempus adhuc fuerint adhibita. Medicorum interim attentione haud indignam eſſe remur hanc medendi methodum, quum certum ſit, quo propius applicari queant laeſae parti, eo ſaepe tutius eoque citius iuuare poſſe atque ſolere medicamenta. p. 15.

XII.

Continuatio epitomes quarundam obſeruationum phyſico-medicarum, in *promtuario* anglico *viris ingenuis dicato* *, reperiundarum.

Eum, quem olim, diarium hoc prima vice recenſentes**, nobis ſemper praefixum manere finem diximus, ut ea tantum phyſico-medica, quae vel noua, vel nouiter nuperque emendata nobisque utilia viſa, enarremus, huc uſque, niſi fallimur, non ſolum obſeruauimus, ſed eum in poſterum quoque ante

* *The Gentleman's Magazine and Hiſtorical Chronicle. Vol. XXV. For the Year MDCCLV. By* SYLVANVS VRBAN. *London,* 8. *mai. c. f.*

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 334.

ante oculos perpetuo habebimus. Quam ob cauſam plures omnino negligere iam cogimur articulos, quos ex aliis libris, publicis potiſſimum unius alteriusque academiarum collectionibus, depromtos eſſe deprehendimus; licet fontes hos ipſos, quibus uſus fuerit, diarii huius Auctor rariſſime indigitet. Quem in finem id ab eo fiat, forte ut quae narrat, eo maiorem habeant nouitatis ſpeciem, nos certe ignoramus. Talia interim, ſi nobis obuenerint, ut iam cognita ſatis habenda, ſilentio praetermittentes, ea potius vel quoque pauca breuibus indicare pergemus, quae nondum alibi reperiunda, aliquam mereri videntur attentionem.

p. 6. Itaque notatu prorſus non indigna eſſe videtur relatio de tribus quibusdam viris per vallem a S. *Ioanne* dictum, altis montibus contentum, proficiſcentibus, quum nubes fulguribus grauidae inter montium iuga imminentes adeo deſcenderint, ut ex illis peregrinatoribus duo de ſumma pectoris oppreſſione conqueſti, ſubito conciderent momento ſuffocati; tertius autem difficillime iam iam trahens ſpiritum, vicinam tamen aliquam domum petere valens ad ſe rediit. Illi autem arte nulla nulloque modo ad vitam reuocari potuerunt.

p. 12. Caſus quidam chirurgicus, *de carie oſſis tibiae feliciter curata*, legitur paulo infra ab Auctore, I. READY nominato, enarratus. Puellae cuiusdam octo annorum anterior ſiniſtri cruris pars, ante tres dies ictu calcis affecta, a genu fere ad pedem uſque extremum inflammatione corripitur eryſipelatoſae tantum indolis viſa, cum doloribus tamen ac febre violentis. Poſt octo dies inflammata pars, pus continens, inciditur ad quatuor pollicum longitudinem, ſuper anteriorem oſſis tibiae angulum. Pure emiſſo, et ſuperior et inferior, et lateralis et poſtica oſſis pars

perioſteo

perioſteo ſuo denudata apparet, indicio ſatis certo, ipſum perioſteum ab initio morbi fuiſſe inflammatum. Viribus vitae in puella alias ſana, atque tenerae adhuc aetatis, plurimum confidens Cl. Auctor, partemque igitur ferro nolens praecidere, ipſi naturae princeps permittit curationis negotium, contra febrim per aliquod tempus perdurantem, tincturam corticis Peruuiani cum elixirio vitrioli adhibens, diarrhoeam vero ſuperuenientem compeſcens, ipſumque vulnus linteis tantum, ſpirituoſis liquoribus imbutis obligans. Poſt tres ſeptimanas aegra febre liberata, ſatis bene ſe habere viresque amiſſas recuperare incipit. Poſt undecim menſes fruſtum iſtud affecti oſſis carioſum mobilius, aliisque duobus elapſis, prorſus liberum fit, poſtque viginti tantum dies integrum, quinque pollices longum, absque multa adhibita vi tollitur, ſubſequens vero a laeſis vaſis haemorrhagia, ope tincturae myrrhae linteis, uti decet, applicatae, facile ſupprimitur, reliquo deinde vulnere paulo poſt prorſus ſanato, ita, ut intra ſedecim menſium interuallum omnis curatio feliciſſime abſoluta fuerit, puellaque pedibus et inſiſtere et incedere nunc valeat per quatuor iam annos; quod nimirum temporis ſpatium effluxerat, quum hancce Cl. Auctor conſcriberet relationem.

De plantis venenatis, in Anglia creſcentibus, p. 29. agitur ſic, ut ſingulo menſe aliqua huius tractationis particula contineatur, Quamuis autem noua aliqua hic non inuenerimus, ſed ex induſtria Auctoris compilatum ſit corpus, noluimus tamen intactam diſquiſitionem praeterire, quum ſua non deſtituatur haec cognitio utilitate. In ea ſic verſatus eſt Auctor, ut nomine ſynonymisque celebrium ſcriptorum botanicorum adnotatis, ad quasnam claſſes a diuerſis methodicis fuerint relatae, doceat, deſcriptionem porro, plerumque ex Cl. HILLIO deſumtam, addat, locum

 natalem

natalem deſignet, et obſeruationes, nociuas qualitates earum illuſtrantes, ſubiungat. Per totum quidem annum diſperſae ſunt ſectiones huius perueſtigationis, liceat tamen nomina deſcriptarum plantarum hic collecta proponere: *Menſe Ianuario* recenſetur *Cicuta*, *maior* vulgo dicta, *Februario Cicuta minor* ſiue *Ethuſa*, *Martio Oenanthe cicutae facie*, *Aprili Cicuta aquatica* GESNERI, *Maio Solanum vulgare ſiue hortenſe*, *Iunio Solanum lethale* ſiue *Belladonna*, cuius tamen effectus contra cancrum, recentiorum obſeruationibus ſtabilitos, atque a nobis adductos alibi, latuiſſe Auctorem videntur: *Iulio*, *Hyoſcyamus vulgaris niger*, *Auguſto*, *Cynocrambe*, *Septembri*, *Colchicum commune*, *Octobri*, *Taxus*, *Nouembri*, variae plantae, quae medico alias uſui inſeruiunt, male applicatae vero pernicioſos effectus edunt, ut *Ranunculi* radix, *Hyacinthorum* bulbi etc. *Decembri* tandem atque *ſupplemento* huius voluminis fungi omnes adducuntur, quorum poſt uſum venenati quidam in corpore ſubſequuntur effectus.

p. 31. Pariter alius anonymus Auctor naturalem tradit hiſtoriam conchyliorum, cuius continuationes ſequentibus habentur menſibus, omnia vero ſimul cum iconibus deſumta ſunt ex Cl. D'ARGENVILLE conchyliologia *.

p. 152. Illi medici, qui remediorum, quae leniter aluum ducunt, uſum in febribus exanthematicis ſemper nimiumque reformidant, mirabuntur ſine dubio legentes, menſe aprili febres tales, praeter petechiales veras, in primis etiam purpuram albam, vehementer graſſatas fuiſſe Londini ſuperiore anno, inſignem inter aegros ſtragem efficientes, contra quas leniora laxantia, rhabarbarum, manna, cremor tartari et ſimilia, octauo aut decimo morbi die prudenter data, omnium

* vid. Commentar. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 693. in not

omnium optime profuiſſe dicuntur. Fortiora diaphoretica in petechiali morbo oblata, vix non ſemper nociua, leniora vero cardiaca, acido nitri temperata largusque decocti hordei potus, ſalutaria fuerunt. Inſomnia, ſudores debilitantes atque deliria, purpuram potiſſimum comitata fuerunt. In genere notamus; id, quod in illis, quae omnium menſium diarii huius faſciculis inſeri ſolent, obſeruationibus de aeris morborumque epidemicorum ratione annotatis, ſaepius huc uſque legere meminimus, contra deliria crebro adhiberi a medicis anglis veſicatoria, quae tamen fere numquam exoptatum effectum attulerunt; unde eorum probari credimus ſententiam, ea non niſi in affectu ſoporoſo aut in genere, ubi excitandi ſunt motus vitales, adhiberi debere.

Ad lectores noſtros nuperrime retulimus * de experimentis quibusdam in Anglia captis: Num peſtifera nimirum iſta lues, quae inter armenta bouesque in primis per Europam huc uſque magnam ſtragem fecit, eadem inſitionis ratione praeuerti vel certe imminui poſſit, qua de variolis per confirmatam iam conſtitit experientiam. Idem deinde in Hollandia factum fuiſſe nunc legimus tentamen. Primum in boue iuuenco felicem habuit ſucceſſum. Poſt vero, illud in ſeptendecim armentis diuerſae aetatis repetitum fuit in oppido *Beverwyk* dicto, prope *Harlemum* ſito. Praeparationem atque regimen non mutarunt quidem viri experturi, ipſam vero inſitionis methodum in ſingulis pecoribus aliquantum variam eſſe voluerunt, ut intelligerent, num effectus quoque varii ſubſecuturi eſſent; quanam autem in re mutatio iſthaec conſtiterit, hic non legimus. Euentus autem fefellit ſpem. Tria enim tantum ex illis ſeptendecim feliciter ſuperarunt morbum, reliquis eius vi extinctis. Eorum quoque numero interfuit unum, p. 160.

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 452.

quod iam antea morbum per contagium nactum paſſumque fuerat, nunc eundem et eadem quoque violentia per modum artis expertum. Infauſti huius euentus eam fuiſſe cauſam ſuſpicati ſunt non nulli, quod pecora a ſe inuicem haud ſegregata, ſed in una eademque domo aſſeruata fuerint.

Spe igitur nondum ideo deiecti idem experiri voluerunt alii, feliciorem ſortem quoque nacti, uti ex epiſtola Cl. SCHWENCKE, Anatomiae et Chirurgiae Hagae Comitum conſtituti Profeſſoris apparet.
p. 464. Faſciculo menſis octobris ea quidem inſerta legitur, quam vero, propter argumenti affinitatem vel continuationem potius, hic loci commemorare iamque enarratae relationi ſubiungere volumus. Ab initio illius intelligimus, eundem Virum Cl. fuiſſe ex illis, qui iam iam dicta tum temporis fecerint experimenta, et eadem quoque deinde repetiiſſe, donec inuenerit methodum ex voto ſuccedentem, qua nimirum praegreſſi anni tempore aeſtiuo ſex pecoribus iuuencis, inter primum atque ſecundum aetatis annum conſtitutis, morbum per ſic dictae inoculationis viam communicauit, quem iſta inde etiam mitem habuerunt feliciterque ſuperarunt. Stabulo nimirum animalia non incluſit Cl. Auctor, ſed in prata educi ea paſſus fuit. Inciſionem fecit in clunum uno pusque ibi applicuit ex oculis, vel naribus, vel ore alius naturali contagioſaque via aegrotantis animalis, quod iam ſanum fieri inceperat, profluens. Tertio poſt inciſionem die morbus ſe prodere coepit excrementis aluinis ſiccioribus eiectis; quare tres illico unciae ſalis Epſonienſis datae fuerunt ſingulis animalibus, cuius ope aluus aperta manſit per totum morbum. Sexto die ab inſtituta operatione hic ipſe cum omnibus ſuis ſymptomatis inuaſit, viceſimo tandem ſuperatus, adeo ut animalia nunc iterum eſſent ſana robuſta. Vulnus inflictum, durante aegritudine, non ſanatum, ea vero praetergreſſa, ſiccum quoque factum fuit: Ne-

que

que prius iſti parti inſiderunt muſcae. Notari inſuper meretur, aliud pecus eiusdem generis contagione olim infectum iamque ſanatum, ſtatim omnem cum reliquis fugiſſe coniunctionem congregationemque, ſimul ac haecce aegrotare coeperunt.

Indi ſeu *indigo* culturam in faſciculo, menſis Maii p. 201. deſcribit C. W. Varias plantae, quae a botanicis Anil vel Indigofera dicitur, ſpecies eſſe adſerit Cl. Auctor, quas vero ex loco tantum natali et uſus ratione diſtinguit, quasque nos non niſi varietates eſſe arbitramur. Tres earum recenſet, nempe 1. gallicam, 2. ſpuriam, Guatimala, proprie ſylueſtrem Balamenſem, 3. natiuam carolinenſem, ſpuriam. Prima paruitate differt, ramorumque maiori denſitate, foliolorum breuitate. texturae teneritate. In ſolo pinguiori felicius creſcit, annuam vitam habens, legumen longum, incuruum, nouem decemque ſeminibus foetum. Altera lautius creſcit, durior euadit, altiorque, viciſſitudines aeris melius perfert, lignoſior redditur et in terra macriori nutritur bene. Legumen breue multum inflexum, quinque vel ſex recondens ſemina. Radix ſi hyeme contegatur, per tres annos durat, denuoque propullulat. Tertia adhuc magis ſurgit, ramos autem non adeo denſos format. Inſtruitur foliolis anguſtioribus, caulibus tenerioribus, et optimi uſus eſt. Cauliculorum color eſt purpureus, legumen breue anguſtum nec falcatum, duo tantum habens ſemina. Sponte in inſulis et ora maris creſcit. Reliqua ad ſerendi plantationisque modum pertinent, in loco natali obſeruanda, ad bonam autem coloratam maſſam producendam tempeſtatis, ſolis et ventorum aliquam efficaciam eſſe adfirmat. Cl. Auctor.

Liquorum ſpirituoſorum abuſus inter nautas mi- p. 347 lites alioſque nimis iuſto frequentior inter omnes conſtat. Hinc anonymus quidam Auctor, ad fune-

 ſtos

ſtos iſtos praeuertendos effectus, illud dat conſilium, ut, praeter aquam, aceti aliqua etiam copia adiiciatur, priſcorum in primis Romanorum exemplo adductus, quippe qui aquam cum aceto remixtam potus ordinarii loco ſuis praebebant militibus. Totius inde corporis atque ventriculi potiſſimum fibras magis corroboratum iri, optimumque fore illum potum in regionibus calidis contra ſcorbutum in mari in primis obuium, et ad auertendas putridas malignasque febres. Sequentem igitur eorum potus generum commendat miſcelam atque proportionem, uti guſtui gratam, ſic et refrigerantem, et ventriculo, quin et ei per ſpirituoſos liquores iam debilitato, aſſumtaque retinere vix non amplius valenti, conuenientem: Aceti nempe unam et quatuor partes ſpiritus vini vel frumenti cum triplo maiore quantitate aquae purae remixtas. Conſilium hoc Auctoris, niſi fallimur, et attentione et experimento non indignum eſſe opinamur.

p. 395. In faſciculo menſis ſeptembris adducitur epiſtola, ab Abb. MAZEA ſcripta, qua virtus ſucci Toxicodendri diſquiritur, linteamina tingendi colore atro. Primam huius rei inuentionem fecerat Cl. SAVVAGES; in ea tantum ſpecie, quae Carolinenſis dicitur, in reliquis itaque eadem tentaturus Cl. MAZEA ſingularum ſpecierum folia, cum plus non ſuppeteret ad inueſtigandum, adſumſit, Americanarum itaque ſpecierum unam, foliis hirſutis inſtructam, lacteo ſucco turgidis, inueſtigans, lintei particulam tingens, intra dimidiae horae ſpatium nigram fecit maculam. Altera foliis inſtructa latis, glabris, ſuccum pariter lacteum continentibus, breui interiecto ſpatio maculam fecit eleganter et ſplendide nigram. Varia unius lintei loca ad meliorem differentiam dignoſcendam, tinxerat Cl. Auctor, immittebat itaque decocto ſaponis, ſed absque omni mutatione, et poſtmodum lixiuio cinerum clauellatorum, ſed cum eodem euentu.

Varia

Varia terrae et miranda ſtrata, diluuii vel inundationum teſtes eſſe multorum eſt ſententia, quam exemplo ſoli Modenenſis ab anonymo auctore comprobatam inuenimus. Cl. RAMAZZINI obſeruationibus ſuffultus, qui in omni ciuitatis loco fontem poſſe aliquem effodi dicit, horum fontium autem ea eſt indoles, ut pluuiis non increſcant, neque ſiccitate decreſcant. Ad quatuor vero pedum profunditatem rudera antiqua urbis occurrunt, poſt haec ſolum naturale, compactum et ſolidum reperitur, dein nigrum et paludoſum. Vidit Auctor ad viginti quatuor pedes ſtratum ſtraminis hordeacei integri, in alio ramum coryli, nucibus incorruptis refertum. Porro ad ſex pedum profunditatem varium ſolum album et nigrum, cui intererant rami foliaque diuerſarum arborum, nec non ſtratum calcareum et margaceum, viginti octo pedum. In his ſtratis per omnem ciuitatem eadem eſt ſucceſſio, ipſa vero ſtrata diuerſae ſunt craſſitiei, aliis conchylia inſunt, aliis vero rami foliaque arborum. Ex his autem concludit Auctor, mare adriaticum ante inundationem forte Mutinam uſque fuiſſe extenſam atque Mediolanum verſus, ſolum vero poſtmodum delapſu aquarum ex montibus fuiſſe adauctum. p. 396.

Proponitur problema, quomodo poſſint plantae, in hortis vagantes, eradicari atque tolli. Arbores, ſemina pappoſa habentes, caedi poſſunt, ſed minores herbae papposae, gramina, bulbi non aeque. Conuenientem itaque has auferendi plantas methodum deſiderat Auctor. p. 407.

Alii anonymi in Cl. ALSTONII diſſertationem de ſexu plantarum animaduerſiones exhibent *. Alter mirum ſibi videri aſſerit, quare ex una planta ad

* Vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 58.

aliam non poſſit adduci puluis fertilis vento, comprobatque tum rhamni cuiusdam exemplo, tum illo plantarum hybridarum ſexum ſtabiliri. Alter vero eadem affirmans, aliarum plantarum puluere quoque vicinas impraegnari poſſe ſtatuit, ſiquidem experientia doceat, cucumeres, melonesque prope amarum cucurbitam, forte colocynthidem, aut elaterium, creſcentes, amarum etiam recipere ſuccum.

p. 408. Alius deſcribit raram inter naturalis hiſtoriae ſcriptores partem, ſcilicet palatum piſcium petrefactum, quod integrum eſt et in iconibus additis ſiſtitur.

p. 439. Ex obſeruationibus meteorologicis menſis ſeptembris notamus adhuc; morbillos per illud tempus Londini fuiſſe frequentiſſimos benignioris quidem indolis, quas tamen paucis diebus poſt ſuperatum morbum ſaepius exceperint febres continuae vehementiores cum ſtupore, tuſſi ſpirandique difficultate. Moderata venae ſectio, remedia diaphoretica, veſicatoria et talia, quae aluum tantum leniter ſeruarunt apertam, prae reliquis profuere. Cauſam earum febrium ſuſpicatur Auctor fuiſſe nimis praematurum catharticorum uſum; quippe quae, niſi ſaltem ad purgandas primas vias ea porrigendi adfuerit aliqua neceſſitas, in morbillis aeque ac variolis eo minus conuenire poſſe exiſtimat, quo magis in iis morbis alienam materiem per cutem excernere ſoleat natura.

p. 502. Singularem aeris temperiem uni alteriue morborum generi producendo vel auertendo inſigniter fauere, ſequens haud indigna viſa confirmare videtur obſeruatio, quod in inſula a S. *Helena* dicta numquam obſeruentur variolae, eoque etiam ab exteris apportatus earum morbus contagium ſui haud amplius propagauerit. Veſtimenta quoque nautarum in mari

variolis

variolis afflictorum, in iam dicta inſula deinde lauata, nullum attulerunt periculum, uti contrarium olim in promontorio *bonae ſpei* appellato obſeruatum et a b. MEAD quoque annotatum fuit. Incolae autem illius inſulae indigenae, in Angliam translati, morbo iſti obnoxii fuere. Nauis etiam, in qua graſſabantur variolae, ab iſta inſula ad aliam *Bencoolen* nominatam vecta, huc attulit contagium, ibi vero nullum eius reliquit veſtigium.

Menſe decembri deſcribit Auctor anonymus, qui p. 540.
ſub *Pyrophili* nomine latere voluit, cobaltum variasque de eo obſeruationes proponit. Illa, quae vitrum coeruleo tingit colore, materies pro terra habita, a Cl. BRANDIO demonſtrata eſt metallicae eſſe originis: huius maior in anglicis, quam Saxonicis eſt copia: in his facillime in calcem abit, in illis e contrario in metallicam formam, quam primum maſſa fluere incipit, ſubſidet. Regulus cobalti, albidi coloris, duriuſculus fragilisque eſt, funditur magna flamma, dein calcinatur in nigrum dehiſcens puluerem. Per ſe ſummo etiam cum igne non vitreſcit, ſed ſi cum vitro excolore funditur, quo facto facile funditur, egregium coeruleum contrahens colorem. Cum omnibus metallis, excepto biſmutho, funditur iisque malleabilitatem demit, ſed ferro fuſo eandem communicat. Omnibus acidis ſoluitur et ſoluta metalla ex iis praecipitat; ſolutiones autem et inde natae cryſtalli, ſi in menſtruo ſit acidum marinum, roſeum reddunt frigidae colorem, calidae profunde viridem. Cum aqua porro regia facta ſolutio, ſi cum ea litterae aut figurae in chartam coniiciuntur, diſparent, redeunt ex viridi coeruleo colore, dum incaleſcit. Ex cobalto ſaxonico crudo nondum ignem paſſo, aqua regia ſoluto, colorem mutans eius modi liquor producitur, ex anglico non aeque, interim tamen ſmaltum dat. Simul hoc magnam alius

 metalli

metalli portionem admixtam habet, quod ab eſſentiali metallo cobalti differt: Siquidem difficilius calcinetur atque vitreſcat, nec calces nigras, ſed virides exhibeat: vitrum etiam viridiuſculum redditur, aeque ac ſolutio, ab acido vitriolico non arroditur, cum biſmutho iungitur, minime vero cum argento vel zinco.

XIII.

Diſſertation ſur les parties irritables et ſenſibles des Animaux par Mr. DE HALLER, Preſident de la Societé Royale des ſciences de Goettingue, Membre de l'Academie Royale des ſciences de Paris: de l'Academie Royale de Chirurgie: des Academies Royales de Londres, de Berlin, de Stockholm, et d'Vpſal; de celle des Curieux de la Nature, de Bologne et de Florence; traduit du Latin par Mr. TISSOT, D. M. a Lauſanne chez Marc-Michel Bousquet et Comp. 1755. 8. pl. $9\frac{1}{2}$. cum praefatione.

et

Memoires ſur la nature ſenſible et irritable des parties du corps animal par Mr. ALB. DE HALLER, Preſident de la Societé Royale des Sciences de Goettingue, etc. Tome premier, contenant une ſeconde édition corrigée de la diſſertation ſur l'Irritabilité, ſuivie de l'Expoſé ſynthetique des Faits, tiré d'un grand nombre d'Experiences faites par l'Auteur. à l'Lauſanne chez Marc-Mich. Bouſquet et Comp. 1756. 12. pl. 20. cum praefatione.

i. e.

Diſſertatio de partibus irritabilibus et ſenſibilibus animalium, auctore DE HALLER, ex latino ſermone in gallicum translata a Cl. TISSOT M. D.

et

Commentarii de irritabilitate et ſenſibilitate partium corporis animalis, auctore ALB. DE HALLER. Tomus I ſiſtens editionem diſſertationis praecedentis alteram, ab ipſo Auctore reuiſam alteraque parte auctam.

Commentationis, quam iam indicamus, duplex quidem eſt editio, unum tamen idemque argumentum, cuius duplicem etiam propter ea exhibuimus inſcriptionem, ut, quid ſit inter utramque diſcriminis, primo ſtatim appareat intuitu. Poſſent igitur forte haec dicta ſufficere, atque reliqua abunde ex inſcriptione intelligi, in primis quum eiusdem iam alio tempore facta ſit a nobis mentio. Enimuero occurrunt non nulla in prima huius diſſertationis editione, quae deſiderantur in altera, atque in hac ipſa acceſſere plura noua, quae indicari merentur: digna hinc omnino nobis viſa eſt eadem, cuius in utraque editione contentorum breuem ſubnectamus expoſitionem.

Complectitur vero utraque haec editio verſionem gallicam experimentorum de partibus corporis ſenſibilibus et irritabilibus, quae Ill. DE HALLER expoſuit in Comment. Societ. Reg. Gotting. Tomo II. ad annum 1752. pag. 114 ſeqq. et quorum ipſi quoque fuſam dedimus recenſionem *. Verſio ipſa debetur Cl. TISSOTO; qui etiam in praefatione praemiſſa, Ill. DE HALLER irritabilitatis inuentae gloriam vindicat,

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 695 ſeqq.

dicat, ipſius vero irritabilitatis in pathologia et therapia clinica et chirurgica uſum variis demonſtrat exemplis, eamque a quibusdam defendit obiectionibus. Supplementi vero loco addidit hisce experimentis ipſe Ill. Auctor breuem ad Cl. LE CAT obiectiones * reſponſionem; ob argumenti adfinitatem ſubiunxit hic Cl. TISSOT commentarium de motu cordis a ſtimulo nato, quem Ill. DE HALLER inſeruerat Comment. Societ. Reg. Gotting. Tomo I. ad annum 1751. pag. 263, et de quo nos etiam ad lectores noſtros retulimus **. Haec ſunt, quae habet prima commentationis huius editio: ad alteram ſi iam reſpexeris, multum eam ſe diſtinguere a prima, ipſa loquitur inſcriptio, atque propius eamdem perluſtrantibus multa ſeſe obtulerunt noua. Primum, quod adnotamus, eſt, ſiſtere eam collectionis ſcriptorum, quae prodiere aliquot abhinc annis, irritabilitatem illuſtrantia, tomum primum, qui Ill. DE HALLER labores comprehendat, proximeque proditurum quoque eſſe ſecundum tomum, atque experimenta Cll. BASSANI, POZZII, ZINNII, RVNGII, EMETTI et MÜHLMANNI, quae illuſtrent confirmentque adſerta Ill. DE HALLER, complexurum. Tomus hicce primus, quem iam exhibemus, in duas ſeſe diſtinguit partes: in prima, quae appellatur *Memoire analytique*, eadem continentur, quae habet prior editio, excepta tractatione de motu cordis a ſtimulo nato, quae hic omiſſa fuit. Ill. Auctor ipſe ſedulo reuidit commentarium, pauca ſubinde emendauit, notulasque adiecit, quas tamen, quum ſparſim tantum interſertae ſint, nunc non tangimus.

Ad

* *Dans ſa diſſertation qui a remporte le Prix propoſé par l' Academie Royale des Sciences et belles lettres de Pruſſe ſur le principe de l' action des muſcles cet. à Berlin* 1754. 4. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 403 ſeqq.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 19 ſeq.

Ad alteram partem, quae dicitur *Memoire ſynthetique*, quum nos conuertamus, eamdem nouam eſſe atque, ut Comment. Societ. Reg. Gotting. Tomo V. proxime prodituro inſeratur, ad ſocietatem illam menſe nouembri anni ſuperioris, ſupra milleſimum, ſeptingenteſimum quinquageſimi quinti transmiſſam fuiſſe, ex addito praefamine ipſius Auctoris intelleximus. Exhibet autem Noſter in hocce commentario ipſum diarium omnium experimentorum ſuorum, quotquot, aliquot abhinc annis, irritabilitatis confirmandae gratia, in viuis animalibus inſtituit, vel etiam in hominibus ipſis tentauit, eum potiſſimum in finem, ut illud fundamenta, quibus ſolis ſuperſtructa nitatur illa de irritabilitate doctrina, offerat firmiſſima: in priori enim commentario tantum concluſiones ex experimentis elicitas, in hoc poſteriore vero ipſam experimentorum tradit Noſter adeo fidelem enarrationem, ut etiam quae ſucceſſu exſpectato deſtituta fuerint, ſubnectere haud erubuerit. Vndeuiginti ſectiones habet ipſum hoc diarium, atque ſingulae ſectiones ea comprehendunt experimenta, quae circa partes ſingulares corporis animalis facta ſunt, praeter duas ultimas, in quibus occurrunt tentamina euentui optato haud reſpondentia, vel prorſus nihil demonſtrantia; cuilibet ſectioni deinde adduntur corollaria, ex enarratis ante tentaminibus educta. Ipſa experimenta numeris praefixis, numeramus eorum quingenta et ſexaginta ſeptem, ideo inſignita occurrunt, ut commodius citari potuerint in corollariis. Praeter ea etiam animal, in quo factum fuit experimentum, atque dies et annus, quando peractum eſt, ſingulis experimentis praefigitur, atque in ipſa ſubnexa hiſtoria omnia, quae ſeſe obſeruatori obtulerunt, candide enarrantur phaenomena. Quae quidem copioſe hic referre haud licet, in primis quum alio tempore eorum ſummam expoſuerimus, ſufficiant pauca tantum adducere, quae in hominibus

bus duobus circa tendinum inſenſibilitatem nuperri-
p. 132. me obſeruare contigit, phaenomena, Cl. ZIMMERMANN, ſollertiſſimus tentaminum plurimorum, quae fecit Ill. DE HALLER, comes, cuius etiam nos laudaſſe reminiſcimur ſollertiam*, anni ſuperioris menſe iunio, in femina vulnerata tendinem extenſoris indicis nudum apprehendit, irritauit, diuiſitque, dolorem prorſus non inde ſentiente femina, quem tamen excitauerat irritata cutis. Eodem anno, menſe octobri, Cl. FARION, medicus noſocomii Monspelienſis, nudos in vulnere viri cuiusdam tendines peronei medii et parui, itemque extenſoris longi digitorum, repetitis vicibus, forfice, acu, oleo vitrioli, lapide infernali, ſine ullo inde excitato dolore alioue incommodo, irritauit, ut etiam tendinum exfoliatio ipſiusque vulneris coalitio feliciter ſucceſſerit. Haec igitur dicta ſunto de commentariis illis, irritabilitatis doctrinam nouam confirmantibus; ad alios adhuc attendiſſe iuuabit, nuperrime etiam Lauſonii editos, motum ſanguinis venaeque ſectionis effectus illuſtrantes. Titulus ſequens eſt:

* In recenſione Diſſertationis Eiusdem de irritabilitate. Gotting. 1754. habitae, quam dedimus in Comment. noſtr. Vol. II. Part. II. p. 303 ſeqq.

XIV.

XIV.

Deux Memoires ſur le mouvement du ſang, et ſur les effets de la ſaignée, fondés ſur des experiences, faites ſur des animaux, par Mr. ALB. DE HALLER, Preſident de la Societé Royale des Sciences de Göttingue, etc. à Lauſanne chez Marc - Mich. Bouſquet et Comp. 1756. 12. pl. 22½. cum praefat.

i. e.

Commentarii duo de motu ſanguinis et de effectibus venae ſectionis, experimentis in animalibus confirmati, auctore ALB. DE HALLER.

Qua in praecedentibus commentariis uſus fuit, eamdem in hisce, quos iam proponimus, ſequitur Ill. Auctor methodum. Prior enim commentarius ſiue *Memoire analytique*, capitibus ſex comprehendit adſerta multa, eaque noua de motu ſanguinis, tamquam concluſiones ex experimentorum inſigni copia elicitas; transmiſſum eumdem anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum quinquageſimo quarto, octauo die menſis octobris ad Societatem Regiam Scientiarum Gottingenſem, atque nuperrime demum Commentariorum huius Societatis Tomo IV. inſertum, quum huiusce facta fuerit a nobis mentio, ipſi etiam fuſe ſatis recenſuimus *, ut iam opus haud ſit de eodem plura exponere. Vnicum eſt, quod adhuc notamus, nimirum ſupplementi loco, huic commentario priori a Cl. TISSOT, cui verſionem gallicam debemus, iterum additum fuiſſe breuem de motu cordis a ſtimulo nato commentarium, qui continetur in priori editione diſſertationis de irritabilitate, quique omiſſus fuit in poſteriore, ut ſupra monuimus.

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 622.

mus *. Commentarium vero alterum ſiue poſterio-
rem, ſeu *Memoire ſynthétique*, eidem Societati Re-
giae Scientiarum, die vigeſimo ſexto menſis martii,
anno, quem adhuc viuimus, tradendum curauit Ill.
Auctor, quo poſſit prodire in publicum cum ſexto
commentariorum Societatis laudatae Tomo. Exhi-
bet Noſter in eodem ſimili, ut in praecedentibus de
irritabilitate commentariis, ratione ipſum experi-
mentorum diarium, veluti firmiſſimum adſertorum
ſuorum fundamentum. Quum iam ſummam eorum
copioſe tradiderimus, quid adhuc inde transferamus,
non habemus, illud unicum addentes, experimenta
de motu ſanguinis venoſi et de motu cordis deſide-
rari in hocce diario, quoniam iam exhibita fuerunt
inter experimenta, quae complectitur commentarius
poſterior de partium corporis animalis irritabilitate
et ſenſibilitate. Quod reſtat, commemorare adhuc
illud conuenit, Ill. Auctorem ſpem feciſſe certiſſi-
mam, fore, ut etiam, quae ipſe inſtituiſſet pluribus
abhinc annis, et adhuc inſtituat in viuis animalibus,
circa reſpirationem, itemque circa generationis ne-
gotium, experimenta proxime orbi eruditorum, ſi-
mili obſeruata methodo, exponat, quae quidem aui-
de exſpectantes nos iam pia pro ſalute Ill. Auctoris,
quo poſſit fidem promiſſorum exſoluere, nuncupa-
mus vota.

* loc. cit. pag. 631 ſeqq.

XV.

Tirocinium botanicum Edinburgenſe. Conſcriptum a CAROLO ALSTON. Edinburgi, typis W. Sands, A. Murray et I. Cochran. 1753. 8. 30 pl. dimid.

Ante duodecim iam annos officinalium, quae dicuntur, plantarum indicem ediderat Cl. Auctor, hunc emendatum auctumque denuo in lucem emiſſurus, doctrinae botanicae addiſcendae cauſa aliquam de re herbaria diſſertationem addidit, deinde Cl. LINNAEI fundamenta botanica recudi curauit, eam in primis ob rationem, *ut melius iudicium ferre valeant diſcentes, quo iure a praeclariſſimis huius aeui botanicis diſſentire audeat in arte tyro:* tandem propoſuit indicem plantarum, medicinalium praecipue, quarum demonſtrationem ſolet ſtudioſis exhibere. Cl. LINNAEI ſcriptum ita cognitum eſt, ut de eo plura iam dicere neceſſe non ſit, index vero plantarum ad methodum TOVRNEFORTII nomina primo eius, deinde aliorum ſynonyma, et anglicam denominationem continet.

Supereſt itaque, ut de noua tantum diſſertatione paullo plenius referamus. Non autem omnem doctrinae plantarum theoriam hic expoſuit Cl. Auctor, ſed aliqua tantum decerpſit capita, multus eſt in exponenda ſua mente circa ſexum plantarum, et contra Cl. LINNAEVM ſaepe acriter diſputat. Refutatis mox ab initio variorum auctorum definitionibus, *vegetabile* eſſe dicit *corpus organicum, quod per poros aut vaſa in ſuperficie ſua externa poſita, haurit materiam nutrimenti ac incrementi ſui.* Neque tamen et hanc definitionem omni exceptione maiorem eſſe, quum eadem de animalibus quodam modo valeant, ex accurata patet obſeruatione. Sunt autem in plantis partes aliae, quae nutritioni, aliae, quae generationi p. 3.

inſeruiunt, in quarum deſcriptione TOVRNEFORTII et MALPIGHII aſſerta retinet Cl. Auctor. Minus recte autem Cl. LINNAEVM diuiſionem in herbas et arbores reiicere putat, forte non rite perpenſa illius diuidendi ratione, quod natura inter has corticibus limites poſuerit. Corticem etenim in herbis deſiderari credit, ſola praeſente cuticula, verum vaſa denſius, rariusque poſita non videntur genuinum diſtinctionis fundamentum eſſe. In ſucci nutritii natura definienda varia quoque eſt ſcriptorum diſcrepantia, eam multis argumentis reliquis praeferri debere autumat Noſter, quae aerem et aquam huic officio praeficit. Siquidem ſalia varii generis cum terra mixta, incrementum non retinuerunt tantum, ſed plantam perire fecerunt, terra vero macra, per varias vegetationes quaſi exhauſta, cribrata aeque feliciter plantas nutriuit ac pinguiſſima, eadem cum calce viua mixta, longe deterior euaſit; aqua calcis bulbos non nutriuit: nec laetius creſcentes frutices et herbas reddidit. Interim ex phyſicis doctrinis conſtare arbitramur, eadem non omnem terram fertilem efficere poſſe, ſed ad mixtionem debere attendi. Refutatur porro opinio KÜLBELII et anonymi auctoris, hiſtoriae phyſicae.

p. 9. p. 12.

p. 21. Quod ad alterum, nouas procreandi plantas, vegetabilium officium pertinet, ea potiſſimum contra ſexum plantarum, iisdemque argumentis propoſita inuenimus, quae alibi iam Cl. Auctor fuſius pertractauit *. Sed, quoniam nec ea ita comparata eſſe cenſuerimus, ut omnem rem exhauriant, alia iam hic non monemus. Pergit deinde Noſter in contemplando Cl. LINNAEI ſyſtemate non nulla de nominum mutatione, ſpecierumque formatione adducere, ſpecimina itaque profert, ex quibus antiqua etiam nomina male adhibita fuiſſe pateat, nomina uſitatiſſima ſine ratione expuncta, ſesqui pedalia damna-

p. 43.

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 58 ſeqq.

damnata, et ſimilia recepta, in uniuerſum integrum rei herbariae innouationem fuiſſe inſtitutam. Nec vagis quidem vocabulis eius modi definitiones additas fuiſſe contendit, ex quibus certior euadat ſignificatio. Optandum utique magis, quam expectandum, ut perpetuum hoc de re diſcrimen componatur, quod alias doctrinae difficultas continuo ſit incrementum captura. Nihilo tamen ſecius laudibus etiam afficien- p. 51. dam eſſe Cl. LINNAEI induſtriam iudicat, quod plantarum ſpecies et varietates optime diſtinxerit, earundemque diſtinctiones ab eſſentialibus deſumſerit notis, licet iure quodam ſimul adnotet, fieri haud aegre poſſe, ut ſpecies pro varietate adſumatur: Hinc paucas aliquas ad generum conſtitutionem et diſpoſitionem regulas adiungit Noſter, CONRADVM GESNERVM, in eo primo loco elaboraſſe docens, et, ut eius opera in lucem prodeant publicam exoptans, quod poſt ea Cl. TREWII et SCHMIEDELII * opera factum fuiſſe laetamur, MORISONI praeter ea merita multis extollit, et contra Cl. HEI- p. 62. STERVM vindicat. Tandem veros plantarum uſus perpendit, de medico vero uſu ita arbitratur, ut methodum quandam, quae hic utilis eſſe poſſit, inuentam fuiſſe neget; nec adeo laudatae methodi naturalis uſum aliquem futurum eſſe adſerit; *eos enim,* p. 65. *qui de methodo plantarum naturali inueſtigando ſudant, de lapide philoſophico deſudare videri, cum natura de ſpeciebus tantum ſit ſollicita.* Quodſi vero non de tyrone artis et qui obiter doctrinae capita percurrere velit, ſermo ſit, de phyſico, penetralia corporum rimante, et in ſummi etiam numinis gloriam affinitatem corporum naturalium indagante, non leuem ſed magnam ſane ex ſimili diſquiſitione gloriam extituram eſſe confidimus.

Yy 2 Poſt

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P III. p. 385 ſqq.

Poſt hanc diſſertationem nunc ſequitur methodus TOVRNEFORTII, ſingulis claſſibus adſcriptis nominibus generum, tum dicti Cl. botanici, tum etiam Cl. LINNAEI.

XVI.

CAROLI ALLIONII Phil. et Med. Doct. Taurinenſis e ſocietate phyſico-botanica Florentina rariorum Pedemontii ſtirpium Specimen primum. Auguſtae Taurinorum. Excudebant Zappata et Auondus. MDCCLV. 4. mai. pl. 7. tab. aen. 12.

Quanta in rite diſtinguendis, rarioribus diſcernendis, et cum aliorum deſcriptionibus conferendis plantis adhibenda ſit ſollicitudo, illi demum iudicabunt, qui ipſi eius modi operae manum admoueṙunt, ut ea propter facile Cl. Auctorem veniam eſſe impetraturum confidamus, ſi in edendo hoc paruo libello multum temporis ſe conſumſiſſe et paucarum tantum plantarum, quarum numerus ad triginta accedit, deſcriptionem ſe exhibuiſſe confitetur. Expoſuit autem rariores aliquas, in alpibus lectas, eas praecipue, quae vel ab aliis praetermiſſae fuerunt, vel non ſatis accurate delineatae: eaque earum nomina, quae a veteribus vel a recentioribus nouiter detectis impoſita ſunt, retinuit, aut quantum fieri poterat, noua, conditionibus diſtinctis in plantis reſpondentia, effinxit. Plantae plerumque integrae floribus fructibusque inſtructae proponuntur, vel earum etiam partes ſigillatim denotantur. Nos autem ut lectores intelligant, quae praeſtiterit Noſter, ſpecies ab eo deſcriptas, hic adducemus, ſimul cum praecipuis diſtinctionem efficientibus, momentis: Occurrunt itaque:

1) *Alyſ-*

1) *Alyſſon pyrenaicum, perenne, minimum, foliis* p. 1. *trifidis.* TOVRN. Cauli ramoſo adhaerent folia, in roſulam congeſta, ſicca ſplendentia, profunde inciſa, trifida, pedunculus nudus, floribus umbellatis ornatus, fructus ex oblongo acuminatus, bilocularis, ſemina utrinque duo, uno tantum maturante. Inuenimus deſcriptae plantae ſynonymon a Cl. LINNAEO illi ſpeciei *Drabae*, quam *caule nudo, foliis pinnatis ternatisque* vocat in Spec. p. 642. no. 3. addi, quo iure neſcimus.

2) *Abſinthium alpinum ſpicatum, foliis petiolatis* p, 3. *bis trifidis, caulinis pinnatis.* Caules vix tomentoſos eſſe Cl. Auctor dicit, LINNAEVS in fl. Suec. n. 733. edit. 1755. nitido villo adſperſos deſcribit, Noſter folia radicalia a caulinis diuerſa eſſe docet, LINNAEVS receptaculum pappoſum, Noſter nudum declarat. Hinc diuerſam eſſe ſpeciem recte monet.

3) *Abſinthium alpinum, candidum, humile.* C. B. p. 5. Foliola pinnarum ſunt quadrifida, quinquifidaque, caulina rariora, pinnis paucioribus, caules incani. Forte ad priorem LINNAEI ſpeciem referri debet. Nondum delineata extat.

4) *Abſinthium foliis radicalibus multoties pinnatis,* p. 6. *caulinis pinnatis, longe petiolatis: floribus paruis, raris, ſeſſilibus.* A primo abſinthio floribus capitalis longe minoribus differt, ſericeum totum, nullibi deſcriptum.

5) *Viola alpina minima, nummulariae folio* BOCC. p. 7. Folia ſunt cordato-acuminata integerrima, petiolata, ſtipulae tridentatae, cauleſcens habitus.

6) *Achillea foliis pinnatis, lanugine totis obductis,* p. 9. *floribus albis umbellatis.* HALL. Noua additur deſcriptio et delineatio. Cauliculi ex radice plures folia omnia pinnata foliola trifida, flores octo caulem terminant.

7) *Achillea foliis integris, odoratis, cuneiformi* p. 12. *bus, in apice dentatis.* Rara eſt, folia radicalia plura,

 craſſa,

craſſa, ſucculenta, ſeſſilia, cuneiformia, apice demum dentata. Flores caulem terminant ſeptem, aut pauciores, albi. Thalamus paleaceus.

p. 14. 8) *Viola foliis oualibus, integerrimis, uniformibus, pedunculis caulinis.* Radix repens, folia oualia, petiolata, integra, flos magnus obſcure coeruleus.

p. 15. 9) *Sedum erectum, ramoſum, foliis planis, floribus albis longe pedunculatis.* Noua plane et elegans ſpecies, unica tantum vice occurrit. Caulis tenuis, folia alterna, tenera, venoſa, nitentia, cryſtallis quaſi conſperſa, ouato - acuminata. Corolla pentapetala, decaſtemon, vaginae quinque.

p. 17. 10) *Saxifraga foliis palmatis, caule denſe folioſo et florigero.* Planta viſcoſa, folia radicalia, profunde quinquifida, pedunculi ex alis ſimplices aut ramoſi folia floralia integerrima.

p. 19. 11) *Veronica caule ſimplici, floribus congeſtis terminato, foliis ouato - acutis, dentatis.* Folia oppoſita ſeſſilia, ſuperius glabra, ſubtus rugoſa, flores ſpicati, capſula cordato - ouata eſt. Noua, variat foliorum magnitudine.

p. 21. 12) *Veronica repens, ex alis ſpicata, foliis rotundis, firmis, glabris, denticulatis.* Flos coeruleo - violaceus, fructus cordatus, polyſpermus.

p. 22. 13) An *Aretia glabra, obtuſifolia, umbellifera* HALL. Folia lingulata, elliptica, ſcapi nudi praelongi, pedunculi plerumque umbellati, ad quorum exortum foliola quinque acuta adſtant. Fructus unilocularis, quinqueualuis. Ad hoc genus Cl. Auctor refert *Vitalianam* SESLERI.

p. 27. 14) *Lepidium caule repente, foliis ouatis, amplexicaulibus.* HALL. Folia radicalia petiolata, caulina ſeſſilia, fructus ſiliculoſus, incuruus, in ſummo loco ſpinuloſus, a perſiſtente ſtylo. Color corollae coeruleſcens.

p. 29. 15) *Lychnis floribus umbellatis, ochroleucis, petalis ouatis, filamentis nigris.* Corollae petala oblongo ouata,

ouata, integerrima, denticulis ad limbum duobus inſtructa; calyx tubuloſus, fructus unilocularis, ſtyli duo aut tres, ſtamina decem, habitus plantae glaber. Folia radicalia multa, caulina oppoſita, amplexicaulia.

16) *Lychnis alpina repens ſaxatilis*, *quae behen album vulgo*, *folio latiuſculo et breuiori*. Differt a *behen albo* caule repente, foliis ſubrotundis, ciliatis, flore unico, caulem terminante. p. 33.

17) *Campanula plerumque multicaulis*, *uniflora*, *foliis ouatis*, *ſeſſilibus*, *integerrimis*. Folia alterna, flos magnus profunde inciſus; patens, calyx quinquifidus, hirſutus, planta glabra. p. 35.

18) *Campanula foliis hiſpidis, caule unifloro.* HALL. p. 36. Folia radici circumfuſa linguaeformia, acuta, caulis ſemper unum florem gerit coeruleum, albus rarior. Habitus piloſus eſt, icon eius nondum extat.

19) *Campanula hirſuta*, *foliis elliptico lanceolatis*, *raro denticulatis*, *caule unifloro*, ſtatura, foliorum forma, per gradus minorum, a priori diſcrepat. p. 39.

20) *Alyſſum foliis pinnatis*, *multiformibus*, *floribus racemoſis*, *luteis*: folia radicalia atque caulina pinnata ſunt, pinnis nunc integris nunc laciniatis, flores in racemo, calyx caducus, coloratus. p. 40.

21) *Perſicaria alpina*, *folio nigricante*, *floribus albis* BOCC. Caules cubitales, flexuoſi, folia ſeſſilia ſunt, integerrima, ſubtus incana, flores in magnis racemis, ampli, albi, ſtaminum ſtylorumque numerus variat, quare Cl. Auctor minus recte ab horum numero differentias deſumi iudicat. p. 41.

22) An *Helianthemum alpinum*, *myrthifolium*, *hirſutum* HALL. Huius tantum nominis mentionem iniecerat Ill. HALLERVS, Noſter ſubiungit deſcriptionem. Radix ei datur repens, folia oblonga, elliptica, dura, ſubtus incana, ſupra hirſuta. Flores ad ſummum caulem quinque, ſex. p. 43.

 23) *Leu-*

p. 45. 23) *Leucoium anguſtiſolium, alpinum, flore ſulphureo.* H. R. Par. Siliqua quadrangula fere cum heſperide conuenit, folia ſunt linearia, radicalia petiolata, caulina ſeſſilia. Varietates duae delineantur.

p. 46. 24) *Abrotanum pumilum, floribus magnis ſeſſilibus, raris, longe ſpicatis.* Folia pinnata, pinnis acutis, dentatis, inferioribus amplioribus, ſuperioribus anguſtioribus, cauli aſſident florum glomeruli odorati.

p. 47. 25) *Anonis inermis glabra, vaginis lanceolatis criſtatis, petiolis longis, unifloris.* Ab aliis ſtipulis crenatis, et longitudine pedunculorum diſcrepat.

p. 49. 26) *Alſine uniflora et grandiflora, foliis acuminatis, petalis integris.* Folia ad radicem copioſa, lineari acuminata in rigidam ſpinulam abeuntia, cauliculi pene nudi, flores magni.

p. 50. 27) *Pedicularis foliis bis pinnatis, calyce non criſtato, floribus ochroleucis, in ſpicam nudam congeſtis.* Folia obſcuri coloris, ſubtus non pallent, et ſpica nuda eſt, ut ea propter a *Pediculari foliis alternis, pinnis pinnatis, foliis ex ſpica florifera longe eminentibus* HALL. multum differat.

p. 51. 28) *Pedicularis foliis alternis, pinnis ſemipinnatis, floribus roſtratis, ochroleucis, denſe ſpicatis.* Radix bulboſa, folia radicalia petiolata, caulina ſeſſilia, florum galea roſtrata, roſtro acuto inſtructa, forte varietatem tantum conſtituit, *pedicularis alpinae, foliis alternis, pinnatis, floribus ex atro rubentibus, in ſpicam denſam congeſtis.* HALL.

p. 52. 29) *Pedicularis pinnis foliorum acute pinnatis, floribus obtuſis, purpureis, ſpicatis.* Folia radicalia longe petiolata huic ſpeciei data ſunt, caulis pene nudus, ſpica florum folioſa, corollae obtuſae.

p. 54. 30) *Pedicularis foliis alternis, pinnis ſemipinnatis, floribus laxe et longiſſime ſpicatis.* Nondum ſatis deſcripta haec ſpecies, multum tamen cum ante adducta HALLERI ſpecie conuenit, niſi quod galea corollae roſtrata ſit et ſpica florum laxa.

Patebit

Patebit itaque in deſcribendis et delineandis, plantis praeſtitiſſe Cl. Auctorem, quae ab induſtrio naturae indagatore poterunt expectari; hinc reliqua, quorum primum hoc eſt, plantarum ſpecimina eo auidius deſideramus, quo maior ex ſolertioribus diſquiſitionibus in botanicas doctrinas redundat certitudo.

XVII.

La Phyſique de l'Ame humaine, par Mr. GODART, Docteur en Médecine. à Berlin aux depens de la Compagnie. MDCCLV.

h. e.

Phyſica animae humanae, Auctore GODARTO, M. D. 8. 1 alph. 2 pl.

Cum omnium eruditorum hominum conſenſu phyſicae attributa ſint corpora, circa quae haec diſciplina verſetur: fieri vix poteſt, quin titulus huius libri plerisque lectoribus παραδοξος videatur, atque Auctorem apud eos in ſuſpicionem materialiſmi adducat. Quam ſuſpicionem Cl. Auctor ipſo in limine huius operis a ſe amoliri ſtudet, admonens lectorem, ſe, cum phyſicam animae dicat, nil intelligere aliud niſi doctrinam de natura animae; et hanc vim ac poteſtatem huic vocabulo, ſalua etymologia, ſubiici poſſe exiſtimat, praeſertim in hoc libro, in quo ſibi propoſitum ſit, non animae humanae theoriam pneumatologicam neque moralem tradere, ſed de ea tantum eatenus exponere, quatenus relationem phyſicam habeat ad corpus cum ipſa coniunctum. Nempe iam anno 1745 Cl. GODARTVS in Academia Rhemenſi publice propoſuerat Thema inaugurale ſub titulo: *Specimen animaſticae medicae;* et nunc ea, quae in illa ſcriptione breuius diſputauerat, hoc in libro fuſius perſequi, atque enodatius exponere, cepit conſilium.

Diuiſit hunc librum in duas partes. In prima
parte in naturam et ſedem animae inquirere, in alte-
ra functiones animae explicare conſtituit.

p. 3. Partis prioris quatuor fecit capita. In primo ca-
pite animam humanam eſſe ſubſtantiam ſimplicem,
atque immaterialem, ex eo, quod quisque ſui con-
p. 10. ſcius ſit, demonſtrat, et contra *Lockium*, dubitan-
tem, annon Deus materiae facultatem cogitandi lar-
giri poſſit, diſputat.

In ſecundo capite quaeſtionem tractat hanc, num
anima corpori ſuo realiter praeſens ſit? Et quia hanc
quaeſtionem eo ipſo deciſam eſſe putat, ubi oſtenſum
fuerit, animam corpori ſuo phyſice iunctam eſſe: de
animae et corporis coniunctione fuſius agit. In quo
p. 25. difficillimo argumento tractando ſic verſatur, ut pri-
mo rationes, ob quas plerique hodie philoſophi phy-
ſicum influxum animae in corpus ſuum, et corporis
in animam, concedere verentur, refutare ſuſcipiat
(ubi tamen diſſimulare nou poſſumus, pauciſſimas
easque omnium leuiſſimas rationes attuliſſe Cl. Au-
ctorem), deinde demonſtrare allaboret, animam et
corpus in ſe mutuo agere phyſice. Demonſtrationis
p. 29. huius omnis neruus in hoc conſiſtit argumento: Cum
vis motrix agat in corpora, et ſimul ea penetret, cur
non aeque in animam agere poteſt, quippe quae
etiam penetrabilis eſt corpori? Cui argumento quae
ſit vis, diiudicandum philoſophis relinquimus. Vt-
p. 30. cunque ſit, hoc ſolo argumento niſus Auctor, nunc
putat euictum eſſe animae et corporis mutuum influ-
xum phyſicum, et pro certo habet, eandem vim,
quae in corporibus reſidens motrix dicatur, ad ſen-
ſationes et cogitationes in anima producendas coope-
rari, et in animae corporisque mutuis actionibus
p. 31. fieri contactum, haud ſuperficiarium, ut in corpori-
bus, quorum unum alteri motum conciliet, ſed inti-
mum,

mum, ſubſtantia altera in alteram penetrante, et ſic impreſſionem in ea efficiente.

Tertium caput, de Sede animae inſcriptum, quaeſtioni impenditur, utrum anima ſit in ſingulis corporis partibus, an in quibusdam ſolis, et quaenam illae ſint? Ad ſoluendam hancce quaeſtionem, Cl. Auctor tres alias quaeſtiones ponit, 1. utrum ſenſationes in ipſis organis fiant, an ad ea tantum referantur ab anima? 2. num omnibus actionibus, quas corpus noſtrum naturaliter edit, producendis ſufficiat mechaniſmus? 3. num, ſi mechaniſmus inſufficiens deprehendatur, aliae animae, praeter rationalem, in auxilium vocandae ſint? Quod ad primum attinet, reſpondet Auctor, ſenſationes non fieri in organis ſenſoriis, ſed ab anima referri ad organa illa, vel potius ad extremitates neruorum in organis ſenſuum; idque inde euidens eſſe, quod homo manus habens paralyticas, aut cui oculi ſint euulſi, in ſomnio tamen ſibi videatur ſenſu tactus aut viſus in ipſis illis organis frui. Ad ſecundam quaeſtionem Auctor negando reſpondet, et prouocat, quod miramur, ad iudicium unius cuiusque, qui, nullo dum opinionis praeiudicio occupatur, attente conſiderauerit cordis e rana viua euulſi motus tum ſpontaneos, tum irritando ſuſcitatos; quippe neminem fore confidit, qui non confiteri cogatur, cor illud ſenſu adhuc et vita praeditum eſſe, *atque ergo* admirabiles hosce eius motus ab animae cuiusdem actione proficiſci. In tertia quaeſtione ſoluenda Cl. Auctor STAHLIO accedit, et ab una eademque anima rationali omnes omnino corporis humani motus internos, externos, effici affirmat, hocce argumento uſus: „ actiones naturales et vitales hominis nunquam fiunt, niſi praeſente anima rationali, quae illarum cauſa idonea haberi debet (cum enim guſtare, videre, olfacere, cogitare, iudicare, ratiocinari, tot muſculos in motibus voluntariis mouere poſſit anima rationalis, cur

p. 33. p. 55. p. 57. p. 61.

prin-

p. 59. principium tot diuerſarum actionum non aeque ſufficere credamus motibus uniformibus cordis, et fibrarum ſenſibilitati efficiendis?) praeterea actiones illae naturales et vitales non videntur alii cauſae cognitae poſſe attribui, ergo ab anima rationali easdem proficiſci maxime veriſimile eſt.“ Sed hic Auctorem multum moratur aduerſariorum argumentum, inde, quod actiones illae vitales nec conſcia anima fiant, neque imperio eius arbitrioue ſubiectae ſint, petitum. Non placent Cl. GODARTO, quae huic argumento repoſuit Cl. PORTERFIELD *; neque ſatis ipſi fecit nouiſſimus ſcriptor **, qui, cur anima neſciat illas ſuas actiones, hanc rationem, addit, quod ſibi non conſcia eſſe poſſit anima niſi earum actionum, quae ſimul organum quoddam ſenſorium afficiant. His ſententiis refutatis, argumentum illud ipſe ſic ſoluere conatur, ut dicat, non poſſe ſibi animam conſciam eſſe ſuae actionis, deficiente reflexione,
p. 62. hanc autem deficere in actionibus vitalibus, cum hae non exerceantur in eis corporis partibus ſeu organis, in quibus anima cogitet; animam enim noſtram in organis motuum vitalium et naturalium non agere, ut animam rationalem, ſed tantum modo ut animam vegetatiuam et ſenſitiuam; ſcilicet animam, quoad rationalis ſit, in ſolo cerebro eſſe, quoad autem eadem ſit vegetatiua et ſenſitiua, totam eſſe in toto corpore, et totam in ſingulis eius partibus viuis. Quo in loco Vir doctiſſimus oblitus eſſe videtur demonſtrationis, qua ipſe, initio libri, animae humanae ſimplicitatem aſſeruerat.

Quartum caput eſt Cl. DE LA PEYRONIE diſſertatio de ſede animae in corpore calloſo cerebri, quam Cl. GODARTUS e Commentariis Ac. Sc. Pariſ. ad annum 1741. huc totam ad verbum tranſtulit.

Pars

* vid. med. Eſſays. Edinburg. Vol. IV. 124 ſeqq. 1738.

** Auctor libri: *Eſſai de Pſychologie* etc. *Londres* 1755.

Pars poſterior, quae duas fere tertias huius voluminis occupat, explicandis functionibus animae deſtinata eſt. Functionum duas tantum ſpecies Auctor conſtituit, vitales, et animales ſeu *intellectuales*, quod nomen iis actionibus tribuit, quarum ſibi anima conſcia eſt. Hinc partem hanc poſteriorem libri in duas *ſectiones* partitus eſt, quarum altera ad functiones vitales, altera ad animales pertinet.

Cum vitam conſiſtere opinetur in generatione et nutritione: prioris ſectionis duo fecit capita. In primo capite nutritionem, quam etſi in plantis forſitan ſine anima quadam fieri concedat, tamen in animalibus, ob ſenſibilitatem fibrarum, ab anima perfici ſibi perſuaſum habet, in ſecundo capite generationem conſiderat. Oppido breuis eſt Cl. Auctor in his argumentis tractandis, propterea quod ea ad phyſicam corporis fere tota ſpectare putat. Nil aliud hic tenendum eſſe ait, niſi hoc, animam ſe habere ad diuerſas partes corporis organici, in quibus reſideat, ſicuti manus ad maſſam cupri, quacum manus noſtrae varias actiones et operationes perficere poſſunt, pro variis figuris, quas maſſae illi impertiuerimus; nempe, ut nutritio in corpore ſuccedat, non requiri, a parte animae, niſi ut haec per ſenſibilitatem mobiles reddat partes organicas corporis, nutritionis negotio aptas et deſtinatas.

p. 128.
p. 130.
p. 133.

Prolixior tamen eſt in tractandis, occaſione generationis, quaeſtionibus, cur liberi plerumque parentibus ſint ſimiles, et unde animae oriantur. Ad hanc quaeſtionem optime reſpondet, ex praeexiſtente materia non produci poſſe animas, cum ſint ſubſtantiae ſimplices, ſed omnes creari a Deo; utrum autem ab initio mundi, an in principio exiſtentiae foetus, creatae ſint, in dubio relinquit. Similitudinem inter parentes et infantes veriſimiliter explicari poſſe confidit, poſito, animalculo ſpermatico et in ſemine maris, et in liquore teſticulorum femineorum

(in quo BVFFONO apparuerunt) exiſtentia entium
p. 135. viuorum claſſi accenſenda eſſe. Et quanquam ipſe valde dubitat, iſtam hypotheſin veram eſſe: tamen
p. 137. temperare ſibi non potuit, quin ſuam coniecturam pro quaeſtionis tam intricatae ſolutione hic exhiberet, a qua tamen enarranda nos abſtinemas, veriti, ut vel Auctor hanc rem ſerio agere voluerit, vel nos mentem Auctoris recte perſpexerimus.

Sectionem ſecundam, quae ad functiones animales ſpectat, Auctor in nouem capita diuiſit. Caput I. inſcriptum eſt de ſenſu exiſtentiae propriae, II. de perceptione, III. de imaginatione, IV. de iudicio, V. de affectibus, VI. de memoria, VII. de ſomno, VIII. de ſomniis, IX. de metamorphoſi hominis, h. e. de tranſitu ex hac vita in vitam aeternam.

Quae ſingula argumenta dum tractat Vir doctiſſimus, et multae lectionis, et acris ingenii ſpecimina ubique exhibet, affertque haud paucas obſeruationes, quibus philoſophi ad perficiendam Pſychologiam uti poſſe videntur. Verum quotiescunque, pro inſtituti ratione, docere conatur, quales quantaeque, in praedictarum functionum animalium exercitio, contingant mutationes fibrarum corporis calloſi, et quomodo anima interea in iſtas fibras agat, nimium indulgere phantaſiae ſuae, et coniecturas proponere videtur nimis precariis rationibus ſuperſtructas. Quae cum ita ſint, non lubet eis coniecturis hic referendis immorari, neque id, ſi luberet, ferre putamus inſtitutum noſtrum, propterea quod tota illa de functionibus animae rationalis tractatio proprie ne ad phyſicam quidem, ſed ad pſychologiam duntaxat, metaphyſicae partem, pertinere videtur, a medicina certe, iudice Ill. HALLERO*, eſt remotior.

* Praelect. BOERHAAV. in nota ad §. 566.

XVIII.

D. IOHANN CHRISTIAN TILLINGS *Nachricht vom Carlsbade. Leipzig, gedruckt bey Iohann Ehrenfried Walther.* 1756. 8. *Bogen* 10. *Kupfertafeln* 2.

i. e.

D. IOHANNIS CHRISTIANI TILLINGII de thermis carolinis diſſertatio.

Inter eos, qui ſcriptis ſuis thermas carolinas illuſtrarunt, ſuam ſibi quoque vindicat laudem, eamque non exiguam, Cl. TILLING, qui non tantum ſalutarem earundem uſum obſeruationibus, quas edidit alio tempore *, confirmauit, ſed ipſarum nunc etiam hocce libello deſcriptionem tradidit hiſtorico-geographicam. Quae igitur et medicis et aegris, qui iſtarum uſum cupiunt, utilis futura viſa, a nobis ſileri non poteſt, breuis licet, tractatio, ſed noſtris omnino indicari meretur lectoribus. Non nulla nimirum de ſcriptoribus, qui de thermis carolinis expoſuerunt, aliisque huc ſpectantibus praefatus Cl. Auctor momentis, ipſam adgreditur tractationem, ſequenti obſeruato capitum ordine, ut primum caput recenſeat p. 1.
vias, easque publicas, vel alias, quibus ad thermas carolinas peruenire licet e variis Germaniae urbibus principibus, alterum vero curſus publici rationem exponat, et acceſſus abitusue eiusdem tempus determinet. Quibus praemiſſis tertium caput propius ac- p. 21.
cedit ad ipſas thermas laudatas, earumque in primis inuentionem perluſtrat et incrementum. Variis autem variorum auctorum de hac origine adductis ſenten-

* Obſeruationes medicae ſingulares circa verum uſum Thermarum Carolinarum. Lipſiae, 1751. 8. mai. et breui ante prodiit *Fortgeſetzte Nachricht vom Carlsbade. St. Annaberg,* 1749. 8.

tentiis, fontem earum locumque iam cognitum fuiſſe
ante CAROLI quarti Imperatoris tempora, contra
vulgarem opinionem, multis argumentis affirmatur.
p. 41. Quartum porro caput thermas ipſas delineat, ſitum,
plateas oppidi adiacentis, aedificia publica et priuata,
p. 88. aliaque loca notatu digniora viſa. Quintum caput
totius agri huius delineationem geographicam exhi-
bet addita mappa, et in primis fontium binorum,
quorum alter *molaris*, alter *nouus* appellatur, deſcri-
ptione non nullisque cum utroque fonte tentamini-
bus ſubiunctis. Ex quibus notamus aquam eius ad
fontem iam etiam potari cum ſucceſſu, calorem fo-
uere thermis ipſis mitiorem, diuerſosque etiam pro
differentia caloris ſui exhibuiſſe in tentaminibus effe-
ctus, quorum vero fuſiorem adhuc expoſitionem
alio tempore editurum ſe pollicetur Cl. Auctor. Il-
p. 114. lud quoque monendum eſt, Noſtrum in praefamine
aeque ac hisce in tentaminibus ſpeciatim adnotaſſe
gradum verum caloris thermarum et fontium, qui
in uſu ſunt, vario tempore variisque ſub aeris muta-
tionibus exploratum; ſulphuris quoque in thermis
praeſentiam, concremando ligna thermarum vapori-
bus imbuta docuiſſe; verum tandem pyritem ſulphu-
reum purum nudum ad originem fontis furioſi ob-
p. 118. ſeruaſſe. Sextum denique caput montes, qui ther-
mas circum cingunt, perluſtrat, addita ſimul aliarum
adiacentium rupium ſilicearum, lapidum calcareo-
rum, petrificatorumque ibidem occurrentium hiſto-
ria. Ex qua adduxiſſe ſufficiant: Obſeruatum fuiſſe
aliquoties et adhuc obſeruari multis locis, circumia-
centis circa thermas agri fumum veramque flammam
cum foetore ſulphureo, omnem vero montem a vi-
cina rupe *Fichtelberg* ad Toeplicenſes thermas pyrita-
rum lithantracumque turgeſcere copia, haud ita pro-
cul a fodinis lithantracum effodi etiam calcareum lapi-
dem, duritie ac colore ſilici albo ſimilem, aliumque
griſeum et nigrum, unde copioſa paratur calx viua;
ex

ex his vero patere, utrum ad calorem thermarum carolinarum multum conferant in primis lapides illi calcarei, acidumque aliquod ex iisdem et pyritis copioſis attrahant, variis multisque rationibus affirmare viſus eſt Noſter, curatiori tamen ſimul arbitratus indigere hanc rem inueſtigatione. Subnexa eſt montis pyritacei, *der Altſattler* dicti, deſcriptio, ex quo in quinque cuniculis, praeter varii coloris argillam, globi pyritacei, et ſub his profundius adhuc terra aluminoſa effodiuntur; pyritae multum ſulphuris et vitrioli exhibent. De petrificatis in agro thermarum carolinarum reperiundis, praeter tophum iis veluti proprium, variae plantarum partes, et in primis folia et lignum arboris incertae notari merentur. p. 132.

XIX.

Clariſſimi Viri, GERARDI VAN SWIETEN, S. Imperialis et Regiae Maieſtatis Archiatri epiſtolae binae *.

Clariſſimo Viro
IOSEPHO BENVENVTO
Lucenſi
S. P. D.
GERARDVS L. B. VAN SWIETEN.

Opuſculum tuum accepi, libenter legi, et gratias debitas tibi ago.

Mercu-

* Amplificandorum artis noſtrae limitum cupidiſſimi honeſta iam ſaepius uſi fuimus libertate, qua Virorum probatae fidei atque meritorum laudibus conſpicuorum experimenta aliaque inuenta noua commentariis noſtris inſereremus. Ab Ill. itaque harum epiſtolarum Auctore veniam impetraturos nos eſſe ſummo iure confidimus, quod et iis inter noſtros labores aſſignemus locum ideoque plures adhuc utilitatis illius, quae

Mercurii uſum magnifacio, ſed multa hic opus prudentia eſt, imprimis dum crudus datur, vel affricatur cuti. Non omnibus bene ceſſiſſe haec tentamina ſcio. Si Mercurius ſublimatus corroſiuus ſoluatur in ſpiritu frumenti rectificato hac lege, ut in ſingulis unciis ſpiritus haereat medium granum, et deinde huius detur mane, ac Veſperi cochlear adultis, vel ad ſummum duo cochlearia, potando ſimul largam copiam decocti hordei, vel alterius cuiuscumque emollientis, mira efficacia obſeruatur in lue venerea, et aliis morbis difficillimis.

Trecentos lue laborantes in Noſocomium collegi praeterito anno, et absque ſaliuatione omnes exiuerunt ſani, hoc ſolo remedio uſi. Parum Argenti viui, ſed efficaciſſimi redditi, et multa liquidi copia diluti, vidi profuiſſe quam maxime. Vale, et me ama.

Vindobonae 8 Martii 1755.

Celeberrimo Viro

IOSEPHO BENVENVTO

S. P. D.

GERARDVS L. B. VAN SWIETEN.

Vſus illius remedii tamdiu protrahitur, quamdiu aliquid de luis ſymptomatibus ſupereſt: tuto ſumitur etiam diu. Cancroſum in lingua ulcus curatum vidi, dum per nouem menſes hoc remedio uteretur puella, et absque noxa ulla.

A pin-

quae in faciendam medicinam redundare poterit, participes facere audeamus. Interim absque ulla in illis ipſis literis facta mutatione iisue addita obſeruatione, ad exemplum aliquod *Lucae* editum, nobisque ex Italia miſſum, hic loci ipſas reperiri lectores noſtri ſciant, quas ipſius Cl. BENVENVTI, ad quem datae fuerunt, Viri paulo ſupra a nobis laudati, iuſſu atque cura editas eſſe opinamur.

A pinguibus, ſale, vel fumo induratis, lardo imprimis abſtinendum iubeo; iuſcula, olera mollia, carnes paucas concedo facile. Ptiſanam hordei cum quarta parte lactis copioſam do, vel aliud quodcumque decoctum emolliens. In Noſocomiis cubiculi ambitu continentur: plures curaui, qui quotidie per Vrbem vagabantur, imprimis verno, et aeſtiuo tempore.

Praeterito menſe ducenti e Noſocomio exiuerunt curati hac methodo: poſt paucos dies trecenti alii ingredientur. Credo et apud Vos ſimilem ſucceſſum ſperari poſſe, cum in Hiſpania per decem annos inueteratam luem ſic curauerit Archiater Reginae Viduae, cui indicaueram hoc remedium.

Stephanus Mack etc.

Vindobonae 12 Aprilis 1755.

Lucae
Ex Typographia Ioſephi Salani.

XX.
Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes in Vniuerſitate *Gieſſenſi*:

Vir Cl. GERARDVS ANDREAS MÜLLER, Med. D. Conſil. Aul. Haſſiacus, Profeſſor Medicinae Primarius, Acad. Caeſar. Natur. Curioſ. ut et Electoral. Moguntinae Erford. Scientiar. Vtilium Sodalis.

Vir Cl. IOANNES CAROLVS VOIGT, Med. D. Anatom. Botan. et Chirurg. Profeſſor, Satrapiae Gieſſenſis et adiacentium aliquot Praefecturarum Phyſicus.

His ex Philoſophorum Ordine adiungendus eſt:

Vir Cl. IOANNES LVDOVICVS ALEFELD, Profeſſor Phyſices Ordinarius, Academiae Senior et Stipendiatorum Principalium Ephorus.

Solemnem concionem celebrauit nuperrime, die decimo tertio menſis nouembris, Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis*. Tempus ab ea olim conſtitutum iam aderat, quo de commentariis, ſuper vera ouuli feminini natura in ſpem conſequendi praemii conſcriptis, decernere voluerat. Quum vero plura adhuc, atque ſi fieri poſſet, in grandioribus animalibus capta, ac Cl. KVHLEMANNVS iam inſtituerat*, experimenta Ill. Societas expectaſſet **; nullae autem ex admiſſis commentationibus huicce ipſius voluntati ſatis facerent: nemini quoque promiſſum illud praemium duplicatum adiudicare ea potuit. Si tamen, quae noſtra eſt de illa grauis argumenti quaeſtione ſuſcipiendaque ſolutione, dicere nobis liceat ſententiam: ideo Ill. Societatis expectationem explere forte non potuerunt viri docti in explicanda illa re occupati, quoniam ſumtus eiusmodi tentaminibus impendendi facultates hominum priuatorum facile ſuperare, vel hos certe a faciendis tentaminibus deterrere poſſunt.

Alterius vero claſſis quaeſtio, artem oeconomicam ſpectans, Rubiam tinctorum Seelandicam concernebat, quo nimirum ea modo in locis mari vicinis coli queat cum fructu inde percipiendo ***. Praemium illius ſolutioni dicatum reportauit illius commentarii auctor, qui ſymboli loco uſus fuit verbis: *Felices agricolae, ſi ſua bona norint*, ſchedulae inſcriptis, cuius diſciſſae alteram tantum partem ad Ill. Societatem

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 628.

** l. c. Vol. IV. P. I. p. 167.

*** l. c. Vol. III. P. IV. p. 733.

tem miſit. Vt igitur, altera ſchedae particula nunc transmittenda, probare ſua iura ſuumque declarare velit nomen, publice rogatur.

Nouas porro in eodem publico conſeſſu Ill. Societas propoſuit quaeſtiones, ex quibus illae primi ordinis dicendae, quarum commentationibus nimirum latino ſermone exarandis viginti quinque aureorum praemium decernitur, mathematici iam ſtricte ſic dicti atque hiſtorici argumenti, ad noſtri inſtituti fines hac vice propius attinere non videntur; hae vero alterius ordinis ad rem oeconomicam pertinentes, germanica lingua explicandae duodecimque aureorum praemio cohoneſtandae, pluribus ſubſecuturis annis eum in finem ab Ill. Societate praefixae iam enarrantur, ut Viri, qui in iis explicandis laborare velint, earum rerum periti, tempus experimentis ideo inſtituendis ſufficiens ſibi habeant relictum. Vtilia enim in primis atque vera tantum poſcit Societas tentamina; nec inanes merisque hypotheſibus innitentes, neque longas nimis ſubtiliterque diſputatas opiniones, licet caeteroquin eruditionem auctorum probare forte poſſint, ſed ſimplices veritates vera caſtaque experientia ſuffultas atque comprobatas. In genere autem de omnibus commentariis ad Ill. Societatem mittendis ea adhuc perpetua valere debet lex, ut illi ante primum certe illius menſis diem, qui proxime illum menſem excipit, in quo publica celebrari concio decernique ſolent praemia, Societatis Secretario tradantur. Quum enim Ill. Praeſidem iam abeſſe, eiusque iudicium aeque ac praeſentium membrorum iure ſuo poſtulari conſtet, voluntatem hanc Ill. Societatis, ſaepius iam declaratam admodum eſſe aequam patet.

En ipſae illae quaeſtiones, quarum optimae diſcuſſiones annotato tempore inueſtigabuntur:

Anno nimirum 1757, primo die ſaturni menſis iulii:

Quanam in re conſiſtat praerogatiua ferri Suecici? Quidnam vitii habeat noſtrum Germanicum? Et qua ratione hoc poſſit corrigi?

Eodem anno, die decimo menſis nouembris:

Quanam ratione ex iſatide confici queat color ab illo caeruleo, Indigo dicto, propior?

Anno 1758, primo die ſaturni menſis iulii:

Numne panis corpori noſtro nutriendo conueniens perque plures ſeptimanas bonitatem ſuam conſeruans coqui poſſit ex radicibus ſolani eſculenti? Numque farina inde praeparari queat in corruptionem haud facile prona?

Eodem anno, die decimo nouembris:

Num frumenti foecunditas augeri poſſit immerſione eius vel maceratione potius dicenda, antea facta in certis quibusdam liquoribus? Numque ideo ſtercorationis fieri queat parcior uſus?

Anno 1759, primo die ſaturni menſis iulii:

Nonne vilius detur aliquod remedium funiculos funesque maiores nauticos ex uſitata materie conficiendi, qui fortiores ſint diutiusque durent iis, quos communi ratione contorquere ſolent reſtiones?

Eodem anno, die decimo nouembris:

Num artificioſum aliquod uſuque comprobatum detegi poſſit adminiculum, quo lana noſtra Germanica ita parari queat, ut ad illius Hiſpanicae vel certe Anglicae bonitatem, ſubtilitatem atque mollitiem, accedat?

Anno 1760, primo die ſaturni menſis iulii:

Quanam in re vera rubiginis, frumentum corrumpentis, conſiſtat natura atque medela?

Eodem anno, die decimo nouembris:

Quanam ratione tigna certis quibusdam liquoribus conſpergi atque illiniri queant, ut igne minus facile comprehendantur flammaeque reſiſtant?

Et

Et quo modo illitus hicce non facile deciduus parari poſſit viliori pretio, utque per plures annos duret, vel certe facile minoribusque impenſis reſtitui queat?

Anno 1761, primo die ſaturni menſis iulii:

Num varium agros colendi tempus obſeruare, agricolarum rei familiari conducat? (ita enim ſenſum verborum Ill. Societatis intelligimus: *ob die Eintheilung des Ackerbaues in gewiſſe Felder der Landwirthſchaft zuträglich ſey?* In multis enim Germaniae prouinciis inter homines ruſticanos propter ſocietatis, in qua viuunt, leges, paſcuorumque communionem, conſuetudinis non ſolum, ſed et ſaepius legis, factum fuit, ut ſinguli agri vel vernali, vel auctumnali tempore, vel interdum plane non per integrum annum, diuerſis frugibus conſerantur.) An vero, Anglorum more, cuilibet liberum eſſe queat, pro voluntate ſua fructusque percipiendi concepta ſpe, agros ſuos colere, quin et pro lubitu ſuo eos inſuper aliqua ſepe cingere?

Eodem anno, die decimo nouembris:

Num ligna arborum, vernali vel auctumnali tempore decorticatarum, per ſubſequens tamen aeſtatis tempus nondum caedendarum, meliora firmioraque ſint, ſi totius arboris trunci cortex omnis, vel inferior eius tantum pars, ad aliquot pedum altitudinem, deglubatur; vel aliqua ipſius corticis portio, ſerpentis in modum diſſecta, relinquatur?

Regia Scientiarum Academia *Pariſina* iis, quibuscum habere ſolet literarum commercium, *Correſpondentium* titulo publice utendi tribuit nuper poteſtatem.

Imperialis Scientiarum Academiae *Petropolitanae* applauſum meruiſſe Cl. IO. GEORG. ROEDERER, Med. Doct. et Profeſſorem Gottingenſem, docta quadam ipſi exhibita commentatione nuper iam commemorauimus *. Vt ſuam igitur in eum propenſam voluntatem declararet, in ſuorum ideo ſodalium numerum honorifice eum recepiſſe illam legimus atque laetamur.

Medicorum Profeſſorum Ordo in Vniuerſitate *Argentoratenſi* ** inſignem expertus eſt ante paucos menſes mutationem. Praxeos enim ſic dictae atque therapiae noua fundata eſt cathedra, quam Ill. Scholarcharum Collegium ita nominatum demandauit Viro Cl. IOANNI IACOBO SACHS, Med. D. et Profeſſori, huncque illam ſtudioſos medicinae docere iuſſit in publico Germanorum noſodochio coram ipſis aegrotantibus. Pathologiae autem docendae munus, quo is huc usque functus fuerat, tradidit illud Collegium Viro Cl. GEORGIO HENRICO EISENMANN, Med. D. et Prof. Anatomiae contra et Chirurgiae Profeſſionem, cui hic praefuerat, detulit in Virum Cl. PHILIPPVM HENRICVM BOECLER, Med. D. et Prof. Extraordinarium, Logices autem hactenus Ordinarium.

Inſuper Ill. eiusdem Senatus publica auctoritate Cl. PFEFFINGER, Med. D. adiunctus fuit Cl. IACOBI Med. D. publiceque in theatro illius Academiae anatomico huc uſque conſtituto ſic dicto Profectori, ut uterque nunc viros iuuenes artis addiſcendae anatomicae cupidos ipſisque diſſecandis cadaueribus manum applicaturos adiuuent, eosque artem ſecandi demonſtrando doceant.

Supre-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. III. p. 545.
** l. c. Vol. I. P. II. p. 334.

Supremus Ordinum regni *Sueciae* Senatus in publico, quem habuit per hunc annum, conuentu nouum condidit munus medicum, quo in poſterum prima vice fungi vult Cl. Virum, NICOLAVM ROSEN *, Med. D. et Profeſſorem in Academia Vpſalienſi, ut nimirum omnium medicorum totius regni ſit Antiſtes vel quaſi Praeſes, rerumque artem medicam attinentium ſummam habeat curam, *imperii archiatri* titulo atque honoribus ideo exornatus.

In Academia *Tubingenſi* anno iam ſuperiore, 1755, die viceſimo ſeptimo menſis octobris Profeſſoris Medicinae Extraordinarii demandatum ſibi munus auſpicatum fuiſſe Virum Cl. GOTTL. BENIAM. FABER, ſilentio praeterire nolumus. Quem in finem is publice tum temporis defenderat diſſertationem, paulo ſupra in hoc ipſo commentariorum faſciculo a nobis commemoratam, qua methodum Kaempfianam dictam morbos chronicos inueteratos curandi expoſuit atque diudicauit.

Edimburgi iam ante aliquot menſes, die nimirum decimo ſexto menſis aprilis, obiit ANDREAS PLVMMER, Med. D. atque Profeſſor, variis laboribus doctis clarus factus, quos in *Tentaminibus Edimburgenſibus* reperire licet.

Vpſaliae porro die menſis iunii viceſimo quarto viuere deſiit Vir, dum viueret, inſignium de philologicis aeque ac theologicis literis meritorum laude conſpicuus, OLAVS CELSIVS, pater, annum aetatis agens octogeſimum ſextum. Cur inter noſtrates eum quoque referamus, optimo a nobis iure fieri debere credimus propter egregium illud opus viris doctis notiſſimum, quod *hierobotanicon* inſcribitur, ad quod pertinentia reliquiſſe dicitur et additamenta

 et

* l. c. Vol. I. P. I. p. 147.

et emendationes, quae ut publicum in uſum edantur, cum omnibus bonis eruditisque viris optamus.

Florentiae nuper vitam depoſuit Vir clare doctus inque arte ſua dexterrimus, ANTONIVS BENEVOLI, chirurgus ex illis paucis, qui artem ſuam haud faciunt opificium, ſed ſuis ſuperſtructam principiis prudenter, tuto, utiliter cumque laude exercent. Non nulla quoque eius ſcripta in doctorum virorum manibus extant.

Aliud inſuper detrimentum cepit die ſexto menſis nouembris doctorum virorum ſocietas aeque ac ciuitas *Neomagenſis* in Hollandica Geldria, obitu Viri de re medica ſuisque ciuibus vere valdeque meriti, IO. HARTMANNI DEGNERI, Med. D. Caeſar. Acad. Nat. Curioſ. Sodalis, ciuitatis Neomagenſis medici publice conſtituti ordinarii ſeu ſic dicti phyſici, eiusdemque per ultimos vitae annos Conſulis Grauiſſimi. Praeter commentationes, Academiae Nat. Curioſ. Actis inſertas famam laudemque inter eruditos in primis conſecutus eſt libro iſto utiliſſimo, quo *dyſenteriam bilioſo - contagioſam* 1736 *Neomagi epidemice graſſantem* deſcripſit, cuius ultima vice editi rationem lectoribus noſtris ſuo tempore reddidimus *.

Berolinenſis quoque Scientiarum Academia cum uniuerſo eruditorum orbe magnam fecit nuperrime iacturam die decimo ſeptimo menſis, quem iam agimus, decembris, praematura ſatis morte Viri miras laudes ſingularemque inter ciues ſuos famam conſecuti, vel quod maius longe eſt, quoque meriti, IOANNES NATHANIELIS LIEBERKÜHN, Med. D. iam dictae Acadamiae Membri ordinarii, Imperialis Acad. Nat. Curioſ. et Reg. Scient. Societatis Londinenſis Socii. Pleuroperipneumoniae morbus vitam

* loc. cit. Vol. IV. P. II. pag. 267.

vitam ipſi eripuit, quadraginta ſex annorum aetatem nondum adepto; de cuius vita meritisque circa artem potiſſimum anatomicam mechanicamque alio tempore fuſius ad lectores noſtros relaturi ſumus.

Quantum interſit hiſtoriae naturalis ſtudium, medicorum et phyſicorum, immo in uniuerſum omnium fere hominum, nemo neſcit, qui ex aequo rem diiudicare didicit, nos autem per varia iam exempla diuerſis occaſionibus demonſtrare potuimus. Hinc cum aliqua voluptate indicamus nouum, quod molitur Cl. IOANNES GOTTHILF MÜLLER, Gymnaſii, quod Berolini floret, Conrector, botanicum opus, quodque omnibus iis, qui vegetabilium tenentur amore, perutile eſt futurum, iis etiam, quibus latinae linguae non adeo magna eſt cognitio: Siquidem Cl. Auctor lingua germanica deſcriptiones plantarum, quae naturae conueniant, eſt daturus. Inſcribitur opus, *Geſchichte der Pflantzengattungen*, id eſt, Hiſtoria ſpecierum plantarum, in qua eaedem ſtudioſe diſquiruntur, ad viuum delineantur, ſecundum determinatas vocum ſignificationes denominantur deſcribunturque, additis obſeruationibus de earundem ſtructura, uſu et reliquis notatu dignis momentis. Per partes prodibit, et ſpecimen ſingulum comprehendet tabulas decem, in forma maiori, quam *in folio* dicunt. Plantis dabitur magnitudo naturalis, flores diſſecti proponentur, ad viuum delineati, quo ſingulis poſſint plantarum ſyſtematibus adaptari. Vnicuique plantae, deſcriptio dimidiae plagulae addetur. Pretium tamen, eius modi operi conſtituendum, pauca tantum exempla, trecenta circiter, ut imprimantur, exigit, ſimulque ut facta argenti, praenumerando ſoluti, copia editionem facilitet, neceſſe eſt: hinc ſingula decuria pro ratione chartae, cui imprimetur, diuerſo veniet pretio, ab uno ſcilicet imperiali et octo groſſis, ad unum imperialem et viginti

ginti groſſos uſque, cuius rei noſcendae cauſa, notitiam, typis exſcriptam, exhibuit Cl. Auctor. Decuriae vero plantarum ſine viuis coloribus expreſſarum octodecim groſſorum pretium aſſignatum eſt. In eo ſe elaboraturum eſſe promittit Auctor, ut pro humanae ſortis ratione nunquam deſit, qui in continuando opere utiliter verſetur. In delineatione atque ſculptura nihil deſiderari poſſe, ea, quae iam vidimus, ſpecimina probant.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Tractatio chirurgico-medica proponens quaeſtionem: An variolas in noſtris regionibus inoculare ſit conſulendum? Authore IOSEPHO RENATO MARIA IOACHIM. Argentorati, 8.

Obſervations d'hiſtoire naturelle faites avec le microſcope ſur un grand nombre d'inſectes et ſur les animalcules qui ſe trouvent dans les liqueurs préparées, et dans celles qui ne le ſont pas; etc. avec la deſcription et les uſages des differens microſcopes; etc. partie déja publiées par feu. Mr. IOBLOT; partie redigées ſur ſes obſervations poſtérieures; avec un grand nombre de figures. Tom. II. à Paris, 4. mai.

IOAN. IONSTONII hiſtoriae naturalis Tomus I. continens theatrum uniuerſale omnium animalium, quidemque primo quadrupedum 80 tabulis a MATTH. MERIANO ſculptis ornatum. Heilbronae, fol. c. f.

HERMANN PAVL IVCH, diſſ. inaug. Monita practica circa puncturam; Reſp. *Carol. Muſaeus.* Erfordiae, 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de ſpasmo in genere. ibid. 4.

Diſſer-

Diſſertatio medica de variolis atque actione miasmatis varioloſi. Auctore CHRISTIANO HENRICO VAN IVCHEM. Lugd. Bat. 4. mai.

IO. IVNCKER, diſſ. inaug. de commodis ambiguis ex matrimonio hyſtericarum; Reſp. *Henr. Paul Oppermann.* Halae Magdeb. 4.

Eiusd. diſſ. inaug, de regulis generalioribus circa venae ſectionem obſeruandis; Reſp. *Iac. Frid. Sander.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de doloribus eorumque cauſis generatim; Reſp. *Frid. Chriſtian Stoeller.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de motuum antipraxia in febribus malignis materia maligna ſaepius maligniore; Reſp. *Georg. Michael Hummel.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de noxa pharmacophilias: *von dem Schaden des vielen und beſtändigen Medicinirens;* Reſp. *Carol. Sigism. Iaeniſch.* ibid. 4.

FRID. CHRIST. IVNCKER, diſſ. de chymificatione per confermentationem aſſimilatoriam explicata; Reſp. *Arnold Chriſtoph Frid. Schüler.* ibid. 4.

IOHANN HEINRICH GOTTLOB VON IVSTI, *Abhandlung von den Mitteln, die Erkenntniß in oeconomiſchen und Cameral-Wiſſenſchaften dem gemeinen Weſen recht nützlich zu machen. Göttingen,* 4.

Eiusd. *Göttingiſche Policey-Amts Nachrichten.* ibid. 4.

Eiusd. *Neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen. Erſtes und zweytes Stück des andern Bandes. Leipzig,* 8.

PEHR KALM, diſſ. enfaldige tanckar om Caffé och de inhemska wärter ſom pläga bancker, i des ſtälle; Reſp. *Lucas Grenroth.* Abo.

Eiusd. diſſ. hiſtorisk och oeconomisk beſkrifning öfwer Cronoby ſorte; Reſp. *Erich Caianus.* ibid.

CAROL. FRID. KALTSCHMID, diſſ. inaug. de vermibus et praecipue de ſpecie illa vermium inteſtinalium, quam taeniam vocamus; Reſp. *Io. Henr. Iaeniſch.* Ienae, 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMID, progr. de uno rene in cadauere inuento. Ienae, 4.

Eiusd. progr. de raro ſpinae ventoſae caſu. ibid. 4. c. f.

GOTTLOB. HENR. KANNEGIESSER de aetatibus diſquiſitio; Reſp. *Io. Henr. Lange.* Kilonii, 4.

Eiusd. diſſ. de ſaliuae efficacitate; Reſpond. eodem. ibid. 4.

Remarks on the obſervations, of Mr. GATAKER on venereal complaints. By GEORGE KEY. London, 8.

IAC. TH. KLEINII Tentamen Herpetologiae cum perpetuo commentario. Acceſſit I. A. VNZERI obſeruatio de Taeniis latine reddita cum dubiis circa eandem. Leidae, 4. c. f.

D. L. W. V. KNÖR, *das mit Gewürz, Früchten, Pflanzen, Kräutern, Blumen, Saamen und Obſt-Bäu-angefüllte Magazin, worinnen nicht nur ihre Eigenſchaften, Nutz und Gebrauch, ſondern auch die beſte Methode, iede Art Saamen zu ſäen, ſtecken und pflanzen* etc. *dergleichen die Kunſt gebrannte Waſſer aus Blumen und Kräutern zu ziehen. Leipzig,* 8.

IOH. CHRIST. GERH. KNOLLS *zweyte Fortſetzung der Gedancken über einige Materien aus der Arzney-Wiſſenſchaft. Quedlinburg,* 8.

Regnum florae: *das Reich der Blumen mit allen ſeinen Schönheiten nach der Natur und ihren Farben vorgeſtellt; bis* 252*tes Blat in Kupfer geſtochen und* illuminirt *von* GEORG WOLFGANG KNORR. *Nürnberg,* fol.

Lapides ex celeberrimorum virorum ſententia diluuii uniuerſalis teſtes etc. ſ. *Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur und der Alterthümer des Erdbodens, zum Beweiß einer allgemeinen Sündfluth, aus dem Reiche der Steine bewieſen; in Kupfer geſtochen, und mit Farben ausgedruckt von Ebendemſelben bis* 5*tes Blat des* 2*ten Bandes.* ibid. fol.

Deliciae naturae ſelectae; *oder auserleſenes Naturalien-Cabinet, welches aus den drey Reichen der Natur zeiget, was behalten und geſammlet zu werden verdienet, bis 22tes Blat in Kupfer geſtochen und illuminirt von* GEORG WOLFGANG KNORR. *Nürnberg,* ibid. fol.

IOH. GEORG HEINR. KRAMERS Medicina caſtrenſis; *oder bewährte Arzney wieder die unter Soldaten graſſirende Krankheiten. 2 Theile. Vermehrte Auflage. Wien,* 8.

Prüfung der Preisſchrift des Herrn LE CAT *von der Muſcelbewegung. Leipzig,* 4. (*Auct. Cl.* CAROL. CHRISTIAN KRAVSE.)

IOH. GOTTLOB KRÜGERS *Gedanken von dem Helmſtädtiſchen Geſundbrunnen, deſſen Beſtandtheilen, Kräfften und vortreflichen Würkungen. Helmſtädt,* 4.

Eiusd. *Naturlehre, dritter Theil, welcher die allgemeine und beſondere Pathologie in ſich faſſet; 2 Theile, Zweyte vermehrte Auflage. Halle,* 8.

AVGVST. MEINRAD LACHAVSSE, diſſ. inaug. de ſuperfoetatione vera in utero ſimplici. Argentorati, 4.

Noua electricitatis theoria, quam IO. BAPTIST. LANDRIANI publice propugnabat. Mediolani, 4.

GEORG. AVG. LANGGVTH, progr. non nulla de MATTHAEO RATZENBERGERO, medico ſeculi decimi ſexti, continens. Wittenbergae. 4.

Traité des Alimens; par Mr. LEMERY, nouvelle edition augmentée et corrigée par Mr. BRVHIER. 2 Tomes; à Paris, 12.

IOH. GEORG LEOPOLDS *Einleitung zu der Landwirthſchaft. 5 Theile. Glogau,* 4. *m. K.*

La nouvelle Maiſon Ruſtique, ou oeconomie générale de tous les biens de la Campagne, la maniére de les entretenir, et de les multiplier, donnée ci-devant

devant au Public par le Sieur LIGER. Septiéme édition, augmentée conſidérablement, et miſe en meilleur ordre: avec la vertu des ſimples, l'Apoticairerie et les déciſions du Droit François ſur les matiéres rurales et enrichie de figures en taille-douce; 2 Voll. à Paris, 4.

CHRIST. EVERH. DE LILLE, Tractatus de palpitatione cordis, quem praecedit praeciſa cordis hiſtoria phyſiologica; cuique pro coronide addita ſunt Monita quaedam generalia de arteriarum pulſus intermiſſione. Zwollae, 8. mai.

Traité du Scorbut, diviſé en trois parties, contenant des recherches ſur la nature, les cauſes et la curation de cette maladie; avec un Tableau Chronologique et Critique de tout ce qui a paru ſur ce ſujet, traduit de l'Anglois de M. LIND, auquel on a joint la traduction du Traité du Scorbut de BOERHAAVE commenté par M. VAN SWIETEN. 2 Voll. à Paris, 12.

ANDR. LINDEMANN, diſſ. inaug. de partu praeternaturali, quem ſine matris aut foetus ſectione abſoluere non licet operatori. Gottingae, 4.

A Treatiſe on the Medicinal Mineral Water at Landrindod, in Radnorſhire, South Wales. With ſome remarks: on mineral and foſſil mixtures, in their native veins and beds, at leaſt as far as reſpects their influence on water. By DIEDERICK WESSEL LINDEN. London, 8.

CAROL. LINNAEI diſſ. ſiſtens Centuriam I. plantarum; Reſp. *Abrah. D. Iuſtenius.* Vpſaliae, 4.

Eiusd. diſſ. metamorphoſes plantarum ſiſtens; Reſp. *Nicol. E. Dahlberg.* Holmiae, 4.

IOH. CONRAD LÖHE, *Gedanken von der Federkrafft des menſchlichen Cörpers. Altdorf*, 4.

IOH. LVDWIG LEBERECHT LÖSEKE, *Abhandlung der auserleſenſten Arzeneymittel, nach derſelben Urſprung, Güte, Beſtandtheilen, Maaſſe und*

Art

Art zu würken; ingleichen wie dieſelben aus der Apotheke zu verſchreiben ſind; zum Nutzen ſeiner Zuhörer abgefaßt. Berlin, 8.

RICHARD LOWERS, FRIEDR. HOFFMANNS *und andern Doctoren vollſtändige Haber-Beſchreibung, oder deutlicher Unterricht von der Zubereitung, Nutzen und Gebrauch des Habertranks. Beuthen*, 8.

HIERONYM. LVDOLF, diſſ. inaug. de febribus inflammatoriis; Reſp. *Chriſtian Gottlob Tihlborn.* Erfordiae, 4.

CARL GÜNTHER LVDOVICI, *Eröfnete Academie der Kaufleute, oder vollſtändiges Kaufmanns-Lexicon. Vierter Theil. Leipzig*, 8. mai.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, diſſ. inaug. de criſibus variolarum acceſſoriis; Reſp. *Chriſt. Amand. Gebhardt.* Lipſiae, 4.

Eiusd. progr. de collo femoris eiusque fractura. ibid. 4. c. f.

Eiusd. progr. de phyſiologia per phaenomena pathologico therapeutica illuſtranda. ibid. 4.

Eiusd. progr. de natura fibrae animalis elaſticae, per eiusdem geneſin in morbis declaranda. ibid. 4.

Eiusd. progr. de ſitu viſcerum in infimo ventre non nulla proponens. ibid. 4.

IOH. LVLOFS *Einleitung zu der mathematiſchen und phyſicaliſchen Kenntniß der Erdkugel, aus dem Holländiſchen überſetzt von* ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *Göttingen und Leipzig*, 4 mai. *m. K.*

HENR. IAC. MACQVART, quaeſtio med. An a multis concurrentibus digeſtio? Reſp. *Io. Bapt. Franc. de la Riviere.* Paris, 4. mai.

Chymie medicinale par M. MALOVIN, contenant la maniéré de préparer les remédes les plus uſités et la méthode de les employer pour la guériſon des maladies. Nouvelle edition, 2 Voll. à Paris, 12.

GEORG. MARTINII in BARTHOLOM. EVSTACHII tabulas anatomicas commentaria. Edinburgi, 8. (*Opus hoc poſthumum edidit Cl.* ALEXANDER MONRO, *Senior.*)

GEORG. MATTHIAE progr. de laude Dei ex HIPPOCRATE. Gottingae, 4.

Medica ſacra; or a Commentary on the moſt remarkable Diſeaſes mentioned in the holy ſcriptures. By RICHARD MEAD. Translated from the latin under the author's Inſpection by THOMAS STACK. To which are praefixed Memoirs of the life and writings of the learned Author. London, 8. mai.

IOH. FRIEDR. MECKELS *phyſiologiſche und anatomiſche Abhandlungen, von einer ungewöhnlichen Erweiterung des Herzens, und von den Geſichts-Nerven. Berlin*, 4. mai. *m. K.*

CHRIST. MESSERSCHMIDT, commentatio de geſtatione. Ienae, 4.

IOH. DANIEL MEYER, *Vorſtellung allerhand kriechender, fliegender und ſchwimmender Thiere; ſo wohl nach ihrer eigentlichen Beſchaffenheit, als auch nach der Structur ihrer Scelette; bis* 200 *Blat. Nürnberg*, fol. mai.

CHRISTIAN. LVDOV. MOEGLINGII tentamina ſemioticae, Part. IV. Tubingae.

ALEXANDR. MONROO, diſſ. inaug. de teſtibus et de ſemine in variis animalibus. Edimburgi, 8.

An Eſſay on dropſy and its different ſpecies by DONALD MONRO. London, 8.

Della cura praeſervatiua della rabbia canina oſſervazioni medico-pratiche di MORANDO. Anconae, 8 mai.

ANTON LAZARO MORO, *Neue Unterſuchungen der Veränderung des Erdbodens. Neue Auflage. Leipzig*, 8. mai. *m. K.*

Der

Der oeconomiſche Tauſendkünſtler in unzähligen, ſympathetiſchen, antipathetiſchen, und andern beſonders wunderbaren Wein- und Haußhaltungs - Geheimniſſen bewieſen und zur Beförderung der Oeconomie herausgegeben, von IOH. MYLAD. *Leipzig,* 8.

Zwölf Kupferplatten, welche die meiſten kleinern und zarten Mäuslein an dem menſchlichen Körper vorſtellen, herausgegeben von GOTTFRIED WILLHELM MÜLLER. *Franckfurt am Mayn.*

GERHARD ANDREAS MÜLLER'S *Gieſiſche Nebenſtunden, die Arzneykunſt, Naturlehre und Litteratur betreffend. Erſte Sammlung. Frankfurt uud Leipzig,* 8.

Obſervations theoriques et practiques ſur l'amolliſſement des os en general et ſur celui qui a été obſervé dans la femme SVPIOT, dont l'hiſtoire a été communiquée à la Faculté de Médecine de Paris en 1752. par M. NAVIER. à Paris, 12.

Vermiſchte Anmerkungen über einige auserleſene Materien zur Beförderung nützlicher Wiſſenſchaften entworffen durch CARL LVDWIG NEUENHAHN; *Zweyter Theil; Leipzig,* 8. (continet ſequentes commentationes: *von dem Nutzen des Queckſilbers in der Arzney, und beſonders in der höhern Chymie: Von der Verſchiedenheit der menſchlichen Gemüthsbildung: Ob eine Mutter ihr eigen Kind zu ſäugen verbunden ſey: Wie der Mauerkalk dauerhaft zubereitet werden könne: Von der Unfruchtbarkeit des erſten Menſchen im Stande der Unſchuld: Vom vorſichtigen Gebrauche der Haußmittel in Krankheiten: Von der Gemeinſchaft der Seelen untereinander*).

Eiusdem libri *dritter Theil.* ibid. 8. (continet ſequentes commentationes: *Von dem Zinnober der Metallen: Ob andern, die keine Aerzte ſind, die Einſicht in die Artzneykunſt nützlich ſey? Von einer beſondern Auflöſung des Bernſteins: Von der Fruchtbarkeit des Donners im Reiche der Pflanzen: Vom*

Steinwachſe: Von der Verſetzung der Pocken: Vom Lichte des Phosphorus.)

CASPAR NEVMANNS Chymiae medicae dogmatico-experimentalis, *oder gründlich und mit Experimenten erwieſene mediciniſche Chymie, 4ten Bandes Zweyter und Schluß-Theil. Züllichau*, 4. mai.

Eiusdem libri *Erſter Band; zweyte Auflage*, ibid. 4.

ADAM NIETZKI, diſſ. de morbi ſalutaris notione rite applicanda; Reſp. *Carol. Chriſt. Wagner.* Halae ad Salam, 4.

Leçons de Phyſique expérimentale par M. l'Abbé NOLLET, Tome cinquiéme; à Paris, 12. c. f.

IOH. ANTON NOLLETS *Rede von der nöthigen Geſchicklichkeit zur Erforſchung der Natur. Erfurt*, 8.

ANDR. NVNN, progr. de ſcepticiſmo phyſico. Erfordiae, 4.

Extract *der mediciniſchen Fama, wie die Schwindſucht, Scorbut, Podagra, und befleckte* Venus, *auch andere langwierige Krankheiten zu heilen ſeyn, abgefaßt von* IOH. AVG. OEHMEN. *Wittenberg*, 8.

The ligature preferable to Agaric in ſecuring the Blood-Veſſels after amputations: in which the dangerous and fatal conſequences, that may attend a dependance upon the latter are offered to the conſiderations of Surgeons; and the experiments made at Paris by M. FAGET and at London by M. WARNER, proved to be inſufficient to authorize ſuch a practice; By HENR. PARKER. London, 8. mai.

Ragionamento apologetico, in cui ſi eſpone in vero methodo di medicare le fratture complicate, confutando alcune dottrine erronee, eſpoſte da un certo medico d'Vrbino; di FRANCESCO PASSERI. In Rimino, 8.

Lettre de M. IOVRDAN DE PELERIN à l'occaſion d'une critique inſérée dans le Journal Oeconomique, Novembre et Decembre 1754. contre ſa methode

thode de conſerver l'eau douce qu'on embarque ſur les vaiſſeaux et de la preſerver de toute corruption; à Paris.

A mechanical account and explication of the Hyſteric Paſſion, and of all other neruous Diſeaſes; with an appendix on Cancers. By CHARLES PERRY. London, 8.

Plantarum Americanarum faſciculus primus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS, Botanicorum princeps, detexit, eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS. Amſtelodami et Lugduni Batau. fol. c. f.

The Natural Hiſtory of Norway etc. in two parts. Translated from the Daniſch Original of ERICH PONTOPPIDAN. Illuſtrated with copperplates and a general map of Norway. London, fol.

Obſervations ſur les maladies des armées dans les camps et dans les garniſons, avec un traité ſur les ſubſtances ſeptiques et antiſeptiques, lû à la Société Royale. Par M. PRINGLE. Ouvrage traduit de l'Anglois ſur la ſeconde edition. 2 Voll. à Paris, 12.

SAMVEL THEODOR QVELMALTZ, Progr. quo frigoris acrioris in C. H. effectus expendit. Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. Vtrum arſenicum ſit primum principium metallorum. ibid. 4.

Flora Orientalis, ſ. recenſio plantarum, quas botanicorum coryphaeus, LEMANDVS RAVWOLFIVS, Medicus Auguſtanus, an. 1573. 1574. 1575. in Syria, Arabia, Meſopotamia, Babylonia, Aſſyria, Armenia et Iudaea collegit. Lugd. Batau. 8. mai.

I. H. RAVESTEIN, *Sammlung ſeltener Begebenheiten in der Natur, nebſt vielen zur Verbeſſerung des Acker- und Gartenbaues angeſtellten Verſuchen, bey Gelegenheit eines problematiſchen Aufſatzes von Luftſaltze und deſſen Würkungen in die Reiche der Natur. Nebſt einer Vorrede Herrn* ALB. VON HALLERS. *Zweybrücken und Strasburg*, 8.

GEORG. GOTTOFR. REICHARD, diſſ. inaug. de haemorrhagia uteri partum inſequente. Argentorati, 4.

CHRISTIAN REICHARDS *Land- und Garten-Schatzes ſechſter Theil; worinnen vom Hopfenbaue, wie auch von den vornehmſten Blumengewächſen, desgleichen von Vertilgung der ſchädlichen Thiere und Ungeziefer, auf den Aeckern und in den Gärten gehandelt worden. Erfurt*, 8.

GEORG. GOTTLOB RICHTER, diſſ. inaug. de doctorum lucubrationum noxis; Reſp. *Io. Barthold Ieniſch.* Gottingae, 4.

An Eſſay on the Gout and all gouty affections incident to affect mankind, etc. By NICHOLAS ROBINSON. London, 8.

IO. GEORG. ROEDERER, diſſ. inaug. de uteri ſcirrho; Reſp. *Io. Georg. Chriſtian. Hirſchfeld.* Gottingae, 4.

Eiusd. diſſ. inaug. non nulla motus muſcularis momenta perluſtrans; Reſp. *Io. Frid. Kühn.* Gottingae, 4.

A. I. ROESELII, Hiſtoria naturalis ranarum: ſ. *Natürliche Hiſtorie der Fröſche, bis 20tes Blat; illuminirt. Nürnberg*, fol.

Eiusd. *Inſectenbeluſtigungen bis 4tes Blat des 4ten Bandes; gemahlet.* ibid. 4.

IVLIVS BERNHARD VON ROHR, *Haushaltungs-Bibliothek, dritte und viel vermehrte Auflage. Leipzig*, 8.

IO. NICOL. ROSSEL, diſſ. inaug. de ouo, ſeu paſſione galeata, cephaleae ſpecie. Argentorati, 4.

Nuovo preſervativo dell avvenenza, che poliſce perfettamente e decora la faccia e le mani. Propoſto dalla Signora CECILIA RVMIERI, Conciliateſte. Venezia, 8.

GEORGII EVERHARDI RVMPHII Herbarii Amboinenſis Auctarium, reliquas complectens Arbores, Frutices ac Plantas, quae in Amboina et adiacentibus demum repertae ſunt inſulis, omnes accuratiſſime deſcriptae et delineatae iuxta earum formas, cum diuerſis Indicis denominationibus, cultura, uſu ac viribus; nunc primum in lucem editum et in latinum ſermonem verſum cura et ſtudio IOANNIS BVRMANNI, qui varia adiecit ſynonyma ſuasque obſeruationes. Amſtelodami. — Het Auctarium, ofte Vermeerdering op het Amboinſch Kruyd-Boek etc. door GEORGIVS EVERHARDVS RVMPHIVS, nu voort eerſt uitgegeven, en in het Latyn overgezet door IOANNES BVRMANNVS; etc. te Amſterdam, fol. c. f.

Oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum. Auctore R. RVSSELL. London, 8. mai.

VLRICH CHRISTOPH SALCHOW *unterſuchet die Rindviehſeuche aus Gründen der Naturlehre, Arzeneylehre, Chymie und Erfahrungen, nach allen ihren Umſtänden, Urſachen und Verhältniſſen, und eröfnet ſolchergeſtalt derſelben gründliche Cur und übrige Verwahrungsmittel. Berlin,* 8.

The univerſal Dictionary of Trade and Commerce, translated from the French of the celebrated Mr. SAVARY; with large additions and improvements, incorporated throughhout the whole work, which more particularly accommodate the ſame to the trade and navigation of theſe Kingdoms, and the laws, cuſtoms and uſages to which all traders are

Aaa 4 ſub-

ſubject; By MALACHY POSTLETHWAYT. Vol. I. London, fol.

BOISSIER D. S. (DE SAVVAGES) Diſſertatio de medicamentis, quae certas quasdam corporis partes prae aliis afficiunt, atque de cauſa huius effectus; quae praemium reportauit ab Acad. Reg. Litt. Lib. Scient. et Art. Burdegalenſi. Ex gallico in latinum ſermonem translata Lipſiae. 4.

Phyſiologiae elementa; auctore FRANCISCO DE SAVVAGES. Auenione, 12. mai.

SAM. SCHAARSCHMIDS *Diätetik, oder Lehre vôn der Lebens-Ordnung für Geſunde und Kranke zur Erhaltung und Wiederherſtellung der Geſundheit. Berlin,* 8.

Eiusd. Therapia generalis; *oder Abhandlung von den üblichen Arzeneyen. Zweyte vermehrte Auflage.* ibid. 8.

Die grünen Armpolypen; Die geſchwänzten und ungeſchwänzten zackigen Waſſerflöhe; und *eine beſondere Art kleiner Waſſer-Aale; beſchrieben von* IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Nebſt drey Kupfertafeln mit Figuren in Farben. Regensburg,* 4.

Eiusd. *Der Afterholzbock, vormals in einem lateiniſchen Sendſchreiben an den Herrn* VON REAVMVR, *ietzo in deutſcher Sprache beſchrieben; Und mit einer Nachricht von der Frühlings-Fliege mit kurtzen Oberflügeln begleitet. Nebſt einer Kupfertafel mit Figuren in Farben.* ibid. 4.

Eiusd. *Die Blumenpolypen der ſüſſen Waſſer, mit den Blumenpolypen der ſalzigen Waſſer verglichen. Nebſt drey Kupertafeln mit Figuren in Farben.* ibid. 4.

CHRISTIAN LVDOV. SCHAEL, diſſ. inaug. de funiculi umbilicalis deligatione non abſolute neceſſaria. Gottingae, 4.

IO. PHILIP. SCHERER, diſſ. inaug. qua aqua intercus nouis quibusdam circa curationem eius obſeruationibus additis exponitur. Marburgi, 4.

D. E.

D. E. C. SCHMIEDEL, *Ertzſtuffen und Bergarten mit Farben abgebildet, nebſt Beſchreibung; bis* 10*tes Blat. Leipzig*, 4.

CASIMIR CHRISTOPH SCHMIEDEL, diſſ. inaug. de tumoribus a grauiditate; Reſp. *Georg Chriſtoph. Joerdens.* Erlangae, 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de alui obſtructione; Reſp. *Io. Frid. Erh. Schnizzer.* ibid. 4.

AQVILIN. IODOC. SCHMITT, diſſ. inaug. de coctione pathologica. Gottingae, 4.

CLAVD. VRS. SCHONING, Tractatus oeconomico-phyſicus de habitu Norwegiae ad agri culturam. Hafniae, 4.

HERMANN. HENRIC. CHRISTIAN. SCHRADER, diſſ. inaug. de digeſtione animalium carniuororum. Gottingae, 4.

DANIEL GOTTFR. SCHREBER, *Sammlungen verſchiedener Schrifften, welche in die Oeconomiſchen, Policey und Cameral, auch andere Wiſſenſchafften, einſchlagen; Erſter Theil. Halle*, 8. mai. *m. K.*

FRIED. AVG. SCHVLTZE, *Beurtheilung von den unvermutheten und wiedernatürlichen Würkungen der Brunnen-Curen, vor dem gemeinen Waſſer; oder daß die mineraliſchen vor dem gemeinen nichts, oder gar wenig, zum voraus haben, und mehr Schaden als Nutzen verurſachen können. Hannover*, 8.

Kurtze Betrachtungen der Kräuter Abdrücke im Steinreiche, mit beygefügten Kupffertafeln von CHRIST. FRIED. SCHVLZEN. *Dreßden*, 4.

Einige Verſuche, welche mit verſchiedenen Sächſiſchen Erdarten in einem Höeſiſchen paroboliſchen Brennſpiegel angeſtellt von CHRIST. FRIED. SCHVLTZEN. *Dresden und Leipzig*, 4.

GOTTWALD SCHVSTER, Obſeruationes therapeuticae, in quibus ſingulariter hypochondriorum et primarum viarum reſpectus habetur, calidiorum guttularum abuſus euitatur, et curationes tran-

tranquilla placidaque methodo abſoluuntur. Lipſiae, 4.

Sammlung verſchiedener ausländiſchen und ſeltener Vögel, worinnen ein jeder derſelben nicht nur auf das genaueſte beſchrieben; ſondern auch in einer richtigen und ſauber illuminirten Abbildung vorgeſtellt wird von IOH. MICHAEL SEELIGMANN; *bis* 168*tes Blat illuminirt. Nürnberg*, fol.

IO. ANDR. SEGNER, progr. ſiſtens theoriam turbinum. Halae Magdeb. 4.

The practice of Phyſic founded on principles in Phyſiology and pathology, hitherto unapplied in phyſical enquiries, by IOHN. SCHEBBEARE; 2 Voll. London, 8.

IO. MICHAEL. SIEFFERT, diſſ. inaug. de ſalibus alkalinis. Gottingae, 4.

GEORG. FRIDERIC. SIGWART, diſſ. inaug. Cor humanum, veri nominis antlia, hydraulica, preſſoria, methodo analytica - ſyſtematica ſummatim delineatum; Reſp. *Dauid Mauchard.* Tubingae, 4. c. f.

Eiusd. diſſ. inaug. Antagonismus fibrarum cordis humani muſculoſarum controuerſioſus; Reſp. *Io. Henr. Sulzer.* ibid. 4. c. f.

Eiusd. diſſ. inaug. Tripes Heitersbacenſis; Reſp. *Chriſtoph. Frid. Lieſching.* ibid. 4. c. f.

Eiusd. diſſ. inaug. Tripedis Heitersbacenſis conſiderationem ſecundam exhibens; Reſp. *Iohannes Dannenberger.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. de inſectis coleopteris, nec non de plantis quibusdam rarioribus; Reſp. *Ioſeph. Gottlieb Koelreuter.* Tubingae, 4.

W. SMELLIE *theoretiſche und practiſche Abhandlung von der Hebammenkunſt; aus dem Engliſchen überſetzt von* IOHANN ERNST ZEIHER. *Altenburg*, 8.

Idem liber germanice redditus. Roſtock und Wismar, 8.

HVGO

HVGO SMITH, diſſ. de ſanguinis miſſione. Edimburgi.

Vollſtändiger Lehrbegriff der Optik, nach dem Engliſchen des Herrn ROBERTS SMITHS; *mit Anmerkungen und Zuſätzen ausgearbeitet von* ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *Altenburg*, 4. *m. K.*

De aqua marina commentarius; auctore I. SPEED. Oxonii, 4.

Philoſophiae recentioris a BENEDICTO STAY verſibus traditae libri X. ad SYLVIVM VALENTIVM, cum adnotationibus et ſupplementis P. ROGERII IOSEPHI BOSCOVICH. Tom. I. Romae, 8.

The method and plain ſucceſs for making potash equal, if not ſuperior, to the beſt foreign potash, in conſequence of the late encouragement granted by parliament for that purpoſe; by THOM. STEPHENS. London, 4.

Abuſus praeſeruatoriae venaeſectionis et aluinarum purgationum duplici diſſertatione expoſitus a NICOLAO STERZINGER. Oeniponti, 4.

IO. CHRISTIAN STOCK, diſſ. inaug. de ſtatu meſenterii naturali et praeternaturali; Reſp. *Georg. Sigismund Elhardt.* Ienae, 4.

Eiusd. diſſ. de angina epidemica; Reſp. *Paul. Laur. Elsner.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de ſtatu ſaliualium humorum naturali et praeternaturali; Reſp. *Io. Dauid. Mair.* ibid 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de actione neruorum; Reſp. *German. Frid. Seiz.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de abuſu diureticorum ſudoriferorum et bezoardicorum; Reſp. *Io. Chriſtoph. Adam. Krauſſe.* ibid. 4.

Eiusd. diſſ. inaug. de adfectu hypochondriaco; Reſp. *Io. Tob. Rauch.* ibid. 4.

IO. IOACH. GOTTHARD STVRM, Commentatio de eo, quod iuſtum eſt circa anatomiam. Roſtochii, 4.

Elemens de Chirurgie par M. SVE. à Londres (*Paris*) 12. mai.

GERARDI VAN SWIETEN, ad IOSEPH BENVENVTVM Epiſtolae binae. Lucae, 8.

GERH. VAN SWIETEN, *Erläuterungen der Boerhaaviſchen Lehrſätze von Erkenntniß und Heilung der Krankheiten. Wien,* 4.

Kurtze und bequeme Methode, die italieniſchen Brocoli, die ſpaniſchen Cardoon, Celeriac, Finochi und andere fremde Küchenkräuter hervorzubringen; nebſt einer Nachricht von der Lucerne, St. Foin, Klee und andern Grasſaamen; wie auch der Methode, Leimen zur Verbeſſerung des Landes zu brennen, welcher eine Beſchreibung des Cythiſus der Alten beygefügt iſt; einer Pflantze, die mit glücklichem Erfolge zur Verbeſſerung des dürreſten und unfruchtbarſten Landes gebraucht werden kan; ingleichen auch eine Nachricht von dem groſſen Profite, der von Säung der Lucerne und von Leimenbrennen entſtehet; von STEPHEN SWITZER, *Verfaſſern des practiſchen Obſt- und Küchengaertners. Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipzig,* 8. mai. *m. K.*

IO. TACK, Specimen obſtetricium de partu difficili capite infantis praeuio. Lugd Bat. 4. mai.

Diſſertation ſur la cauſe, qui corrompt et noircit les grains de bled dans les epis, et ſur les moyens de prévenir ſes accidens; qui a remporté le prix au jugement de l'Academie Royale des Belles-Lettres, Sciences et Arts de Bourdeaux par Mr. TILLET; à Bordeaux, 4.

Suite des experiences et reflexions ſur la cauſe qui corrompt et noircit les grains de bléd dans les epis, relatives à la Diſſertation, qui a remporté le prix au jugement de l'Acad. Roy. des Belles-lettres, Scien-

Sciences et Arts de Bourdeaux; Par M. TILLET; à Paris, 4.

Parus minimus, Polonorum Remiz, Bononienſium Pendulinus, deſcriptus a IO. DANIELE TITIO. Lipſiae, 4. c. f.

IOSEPH TORRVBIA, Apparato para la Hiſtoria Natural Eſpanola. Tomo primero. Madrid, fol.

FRANC. TORTI, Therapeutice ſpecialis ad febres periodicas pernicioſas, cui ſubnectuntur reſponſiones iatro-apologeticae ad RAMAZZINVM atque alia eiusdem opuſcula. Venetiis, 4.

VRBANO TOSETTI, Lettere ſull inſenſibilita di alcuni parti degli animali. Roma, fol.

CHRISTOPH. GOTTLIEB TRAVTMANN, diſſ. inaug. de neceſſitate accelerandi partum. Lipſiae, 4.

Hortus nitidiſſimus omnem per annum ſuperbiens floribus: ſiue amoeniſſimorum florum imagines, quas magnis ſumtibus collegit CHR. IAC. TREW; in aes inciſas viuisque coloribus pictas edidit IO. MICHAEL SEELIGMANN; *oder Abbildung der lieblichſten Blumen*; *bis* 34*tes Blat*, *illuminirt. Nürnberg*, fol.

Examen chimique d'une Eeau minérale nouvellement découverte à Paſſy, dans la maiſon de M. DE CALSABIGI, exécuté en conſéquence de l'ordonnance de M. le premier Médecin du 2 Avril 1755. qui commet à cet effet les Sieurs VENEL et BAYEN, propoſés par le Roi à l'Analyſe des Eaux Minérales du Royaume. à Paris, 8.

IO. MELCH. VERDRIES, Phyſica, ſ. in naturae ſcientiam introductio. Editio tertia aucta. Marburgi, 4.

Expériences et réflexions ſur la ſtructure et l'uſage des viſcéres, ſuivie d'une explication phyſico-méchanique de la plupart des maladies; par RAIMOND VIEVSSENS. à Paris, 12. mai.

RVDOLPH.

RVDOLPH. AVGVSTIN. VOGEL, Inſtitutiones chemiae ad lectiones academicas accommodatae. Gottingae, 8. mai.

Eiusd. *neue mediciniſche Bibliothek. Zweyter Band. Göttingen*, 8.

IO. GOTTSCH. WALLERII diſſ. de monte argen- genteo occidentali vulgo dicto *Weſtra Silfberget;* Reſp. *Iac. Reinh. Lundh.* Holmiae, 4. c. f.

LAVRENT. WALTER, diſſ. inaug. de colica inflammatoria. Altdorfii Noricor. 4.

Reflections on ſlow and painful labours and other ſubiects in midwifery; together with obſervations on ſeveral diſorders incident to pregnant Women, interſperſed with remarks on Dr. BVRTON's Letter to Dr. SMELLIE; by GILES WATTS. London, 8. mai.

A Letter to Dr. FREWEN, in which the doctrine of bleeding near the part affected, recommended in a late diſſertation on the ſubiect of revulſion and derivation is further inſiſted on; by GILES WATTS. London, 8.

Tentamen de inoculanda peſte. Auctore STEPHANO WESPREMI Pannonio. ibid. 8.

An Eſſay on the Virtues of Lime-Water in the cure of the ſtone. The ſecond edition corrected, with additions, by ROBERT WHYTT. Edinburgh. 12. mai.

Eiusd. Phyſiological Eſſays, containing I) an Enquiry into the cauſes which promotes the circulation of the very ſmall veſſels of Animals; II) Obſervations on the ſenſibility and irritability of the parts of men and other animals; occaſioned by Dr. HALLER's late Treatiſes on theſe ſubjects. ibid. 8.

CHRISTIAN FERDINAND WIDEMANN, diſſ. inaug. de indicatione mixta. Lipſiae, 4.

Remarques de M. WINSLOW ſur le Memoire de M. FERREIN, touchant le mouvement de la machoire inferieure. à Paris, 12.

Ord-

Ordnung über die militariſchen Hoſpitäler und Krankenhäuſser, und die Koſt und Verpflegung der Kranken, nebſt dem Apotheker-Tax; etc. *verfaſſet von* I. A. *Edeln* VON WOLTTER. *Augſpurg*, fol.

Eiusd. *gründlicher Unterricht von dem Diezbacher Heilbrunnen in der Graſchaft Wieſenſteeg, und deſſen Gehalt, Würkung und Kraft, auch wie derſelbe ſo wohl allein, als mit Milch vermiſcht, bey verſchiedenen Krankheiten mit Nutzen zu gebrauchen. Deppingen*, 8.

IOH. LVC. WOLTERSDORF, Mineral-Syſtem, *worinnen alle zum Mineralreich gehörige Körper nach ihren Claſſen, Ordnungen, Geſchlechten und Arten vorgetragen werden; anietzo mit neuen Obſervationen herausgegeben von* EBERH. FR. STADEL. *Ulm*, 4. mai.

Idem liber auctus Berolini prodiit.

Diſſertazione del Dottor GASPARO DEODATO ZAMPONI di Cartoceto, Intorno il naſcimento de' Vermi ordinari del Corpo Vmano, ſcritta e dedicata all Sig. GIOVANNI BIANCHI.

Del flato a Favore degl' Ipochondriaci, libri due del D. GIOVANNI VERARDO ZEVIANO. Verona, 4.

IOH. CHR. ZIMMERMANNS *allgemeine Grundſätze der theoretiſch-practiſchen Chymie, nebſt beygefügten mediciniſchen, chirurgiſchen, oeconomiſchen, metallurgiſchen* etc. *Gebrauche und Anwendungen. Erſter Band. Dresden*, 4.

I. GEORG. ZIMMERMANN, *Leben des Herrn* VON HALLER. *Zürich*, 8. mai.

Deſcriptio anatomica oculi humani iconibus illuſtrata. Auctore IOH. GOTTFR. ZINN. Gottingae, 4. c. f.

Conten-

Contenta in hac Parte:

1. Philoſophical Transactions Vol. XLVIII. P. II. p. 575.
2. BATTARRA fungorum agri Ariminenſis hiſtoria p. 596.
3. LEDERMÜLLER *Phyſicaliſche Beobachtung der Saamenthierchen* p. 602.
4. SIGWART Diſſ. de inſectis coleoptris etc. p. 603.
5. BISSET a treatiſe on the ſcurvy p. 610.
6. Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis Tom. IIII. p. 622.
7. WATTS Reflexions on ſlow and painful labours and other ſubjects in Midwifery p. 645.
8. L'hiſtoire naturelle eclaircie dans une de ſes parties principales l'oryctologie etc. p. 652.
9. BENVENVTO Diſſ. de epidemicis febribus in Lucenſis dominii quibusdam pagis graſſantibus p. 666.
10. VAN IVCHEM Diſſ. de variolis atque actione miaſmatis varioloſi p. 671.
11. FABER Diſſ. ſiſtens ulteriorem expoſitionem nouae methodi *Kaempfianae* curandi morbos chronicos inueteratos p. 681.
12. Continuatio epitomes quarundam obſeruationem phyſicarum in promptuario viris ingenuis dicato, *Gentleman's Magazin*, reperiundarum p. 683.
13. DE HALLER Diſſ. ſur les parties irritables et ſenſibles des animaux p. 694.
14. EIVSDEM deux Memoires ſur le mouvement du ſang etc. p. 699.
15. ALSTON Tirocinium botanicum Edinburgenſe p. 701.
16. ALLIONII rariorum Pedemontii ſtirpium Specimen I. p. 704.
17. GODART la Phyſique de l'ame humaine p. 709.
18. TILLING *Nachricht vom Carlsbade* p. 715.
19. VAN SWIETEN epiſtolae binae de uſu mercurii ad Cl. BENVENVTVM p. 717.
20. Noua phyſico - medica p. 719.
21. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico- medicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 728.

INDEX

INDEX.

A.

Abhandlung von dem mineraliſchen Gehalt und mediciniſchen Gebrauch des im Marggrafthum Baaden - Baaden gelegenen warmen Bades, und der Mineralbaeder überhaupt 220
Abo urbis ſitus 26
Abrotani ſpecies 708
Abſinthii ſpecies 705
Acari inſecti deſcriptio 386
Aceti potus nautis ſalutaris 690
Acetoſae virtus antiſcorbutica 447
Achilleae ſpecies 705 ſeq.
Aeris atmoſphaerici et humani commercium 484. vis in morbos 692
Aethiopum cutis et ſubſtantiae medullaris cerebri color 202 ſeq.
Affinitas corporum 501. eius criterium ib.
Agaricus fungorum genus 600. querni uſus in haemorrhagiis ſiſtendis 580 ſeq. 591. vis dubia 127
Agrifolii ſexus 581
Albini, B. S. academicarum annotationum liber ſecundus 209
Alcyoniorum ſpecies 524 ſeq.
Allionii, Carol. rariorum Pedemontii ſtirpium ſpecimen I. 704
Alpina racemoſa alba cannacori foliis 241
Alſines ſpecies 708
Alſton, Carol. tirocinium botanicum Edimburgenſe 701
Aluminis crudi uſus 127
Alyſſi ſpecies 705. 707
Amboinenſis herbarii auctuarium 233
Americanae plantae 238
Amphimerinae catarrhalis lentae et malignae hiſtoria 407. cauſae et curatio 409 ſeq.
Anatomicae obſeruationes 200
Anatomia experimentalis 419. feminae Supiot 137
Aneuryſma carotidis 82
Angina epidemica gangraenoſa 473
Ani prolapſus funeſtus 88
Animae humanae Phyſica 709. mutuus in corpus influxus 710. ſedes 711 ſeq. functiones et ortus 713 ſeq.
Animalcula ſpermatica 602
Animalium et vegetabilium ſimilitudo 465
Anni climacterici 148
Anonae plantae deſcriptio 414 ſeq.
Anonidis ſpecies 708
Anthelmiae radicis anthelmintica vis et doſis 69
Antherarum puluis an ad foecundationem neceſſarius 59. eius uſus 61
Antimoniati vini virtus 594
Antimonii crudi uſus 122. reguli praeparatio et uſus 481. qualitates 592. diaphoretici praeparatio et uſus 481
Aqua in ſubmerſorum ventriculo 95. eius calor in regionibus borealibus 30. aquae marinae partes conſtitutiuae 463. medicata-

rum claſſes 119. Recobarii medicatae 307. harum ſedimenti examen ib. ſeqq. aqua contra cancrum 445
Aquisgranenſis fontis ſulphur 223
Arteriarum fabrica 631. vis contractilis motus ſanguinis cauſa 642. ſub cute cranii deſcriptio 213. obſtructio ex contuſione ib.
Arterioſi canalis ſingularis directio 219
Arteriotomes phaenomena 640
Articulationum ſpecies 40
Arbuti uſus tinctorius 14
Attractio ut cauſa motus ſanguinis 644. eius hiſtoria 630
Auium carniuorarum ſpecies 141

B.

Badenſium thermarum partes conſtitutiuae 220. virtus medica 224
Balanorum congeries et deſcriptio 305
Barometrum montium altitudinem dimetiens 205
Battarra, Io. Ant. fungorum agri Ariminenſis hiſtoria 596
Belemnitorum deſcriptio 590
Benuenuto, Io. Diſſ. qua epidemicae febres in Lucenſis dominii quibusdam pagis graſſantes deſcribuntur, cet. 666
De Bergen, Carol. Aug. Diſſ. ſiſtens anatomiae experimentalis partem priorem et poſteriorem 419
de Berger, Io. Ioſ. Monachii obiit 183
Bertin traité d'oſteologie 38
Bertini, Ioh. Xauer. obitus 363
Besleria ſcandens criſtata fructu nigro 243
Bezoardici lapidis genera 664
Biſſet, Charl. treatiſe on the Scurvy 610
Blattae deſcriptio 607
Boeckmann, Ion. exercitium academicum deiectionem corroborantem et ſimul nexum purgationis aluinae cum ſudore cutisque cum ventriculo et inteſtinis exhibens 167
Boecler, Philipp. Henr. anatom. et chirurgiae Prof. Argentorat. factus 724
Boletus fungorum genus 598
Bombycum generatio 228. alendi modus 132
Bononienſis ſcientiarum et artium inſtituti atque academiae hiſtoria 286. Commentarii Tom. III. ib. inſtituti literarii membra 173
Brookes, R. general diſpenſatory of the pharmacopolias of the colleges of phyſicians of London and Edinburgh, etc. 423
Buddaei, Auguſtin. elogium 208
Burdigalenſis acad. ſcient. theſes et praemia 176
Burſerii, Io. Bapt. de anthelmintica argenti viui facultate epiſtola 416

Calcina-

C.

Calcinationis deſcriptio 505. varia genera 507 ſeq.
Calcis viuae aquae disquiſitio 315. differentiae et vires 67
Calculus praegrandis in equa inuentus 590. felleorum deſcriptio 89. renalium prima ſtamina ib.
Calli oſſium geneſis 532
Calomellis in ophthalmia uſus 442
Callorynchus piſcium genus 432
Campanulae ſpecies 707
Camphorae natura, virtus et abuſus 122. effectus in inſecta 304 ſeq.
Canis rabidi morſus 482. effectus praeuertendi modus ibid.
Cantharis inſectorum genus 607. eius deſcriptio ib.
Carabi deſcriptio 606
Carbones foſſiles 300 ſeq.
Caries tibiae ſanata 684. inſanabilis 406
Carita, Petr. obiit 547
Cartheuſer, Frid. Aug. rudimenta oryctographiae Viadrino - Francofurtanae 170
Carolinenſium thermarum virtus lithontriptica 539. natura 540
Carotidis aneuryſma 82
Cartilagines non deſtituuntur vaſis 43. omnes in oſſeam ſubſtantiam haud conuertuntur 53
Catalogorum defunctorum annuorum uſus 397. 401
Cataracta contra eam remedia 148 ſeq.
Cedrini ligni examen chemicum 199
Celluloſa tela indurata 93
Celſius, Olaus Vpſaliae obiit 725
Cerambycis deſcriptio 606
Cerealium bonitatem disquirens machina 24
Ceriomycetes fungorum genus 600
Chalybs, circa eum experimenta 318. eius et ferri geneſis 319
Charax piſcium genus 430
Chemiae, ſubiectum, obiectum et inſtrumenta 497. diuiſio 498. ortus et incrementum 499. finis 511 ſeq. operationum deſcriptio 502 ſeqq.
Chinae radicis genuinae planta 236. corticis uſus 126. in febre epidemica uſus 669 ſeq.
Chirurgicae obſeruationes 403
Choroidis oculi tunicae deſcriptio 344 ſeqq.
Chryſalidum exuuiae in oſſibus repertae 211
Chryſomelae deſcriptio 606
Cicatricis partium mollium geneſis 531 ſeq.
Cicindelae deſcriptio 607
Ciliaris corporis oculi deſcriptio 364. corona 350. ciliarium proceſſuum deſcriptio 346. arteriarum 354
Clauaria fungorum genus 598
Clitoridis excreſcentia inſignis 395. huius exſtirpatio ib.

Clyſmatum uſus in morbis chronicis 682
Cobalti diſquiſitio 693
Cobbiani pulueris deſcriptio 331
Coccinellae deſcriptio 606
Cochleariae virtus antiſcorbutica 447
Coli inteſtini vulnus 212
Color violaceus ex lichene 391
Combuſtionis modus 508
Contracta membra electricitate ſanata 15
Corallinarum deſcriptio et diuiſio 515 ſeq. vita animalis 582 ſeq. ſpecies 516. 518 ſeqq. corallina tubularia Melitenſis 577
Corallii rubri et albi formatio 525. corallia anglica 523
Coralloides fungornm genus 598
Cordis motus 641. ſyſtoles et diaſtoles cauſae 216. ſeq. nerui 157. induratio lapidoſa 94
Coregoni piſcatura in fluuiis Norrlandicis 22
Coſtarum coalitus 50. aberrationes 215. 217 ſeq.
Cropp, Frid. Ludou. Chriſt. academiae natur. curioſ. ſocius factus 179
Cruentatio cadauerum unde? 644
Cuſtiani microſcopii aquatici deſcriprio 529
Cupri raſura contra hydrophobiam 125. cuprum Nicolai, experimenta cum eo 388. cupreus fons 447
Curculionis deſcriptio 606
Cuticulae natura 200. cum cute cohaeſio 201
Cutis durities huiusque curatio 579 ſeq.
Cyperi ſpecies 271 ſeqq.

D.

Datiſca caule laeui 609
Delii, Henr. Frid. Diſſ. cicatrix et callus idea nutritionis 530
Dentitio prima 46. remedia contra illius dolores ib. ſeq.
Dentium ortus et incrementum 210. mutatio 209. nouorum et deciduorum differentia 211
Dermeſtis deſcriptio 605
Deſcription du Cabinet royal de Dresde touchant l'hiſtoire naturelle 159
Diarrhoea ut criſis variolarum acceſſoria 257. 259
Digeſtio chemica 510. eius diuiſio ib. ſeq.
Digitorum oſſium in pinguedinem colliquatio 404 ſeq.
Dytiſci deſcriptio 607

E.

Eiſenmann, Georg. Henr. pathologiae Prof. Argentoratenſ. factus 724
Elateris inſectorum generis deſcriptio 607
Electricitas coeleſtis 297. medica 312 ſeqq. huius vis 14. electrica obſeruata 57. experimenta 576. 588 ſeq.
Elephantina oſſa inuenta 582

Ellis, Iohn. eſſay towards a natural hiſtory of the corallines 514
Eloy Dictionaire hiſtorique de la Medecine 244
Epidermis vid. Cuticula.
Epilepſia caſu ſanata 323
Eſchara corallinarum genus 523
Eſchenbach, Chriſt. Ehrenfr. Matheſ. Prof. P. Roſtochienſ. 546
Eſſays and obſeruations phyſical and literary Vol. I. 54
Exanthematum faciei ſingularium hiſtoria 393 ſeq.

F.

Faber, Gottl. Beniam. Diſſ. de noua methodo Kaempfiana curandi morbos chronicos inueteratos 681. Prof. extraord. medicinae Tubingae factus 725
Febris electricitate curata 15. epidemicae in agro Lucenſi hiſtoria 666. ſtatus et declinatio 668. curandi methodus 669
Feminarum vita longior et corpus robuſtius ac virorum 143 ſeq.
Femoris amputatio 580 ſeq.
Ferri et chalybis geneſis 319. prioris in cuprum mutatio 447. ferrum natiuum an detur? 492
Figulinorum vaſorum plumbeo encauſto obductorum noxa 443
Filicum ſpecies 271
Filorum goſſypinorum color purpureus, circa illum experimenta 321
de Fiſcher, Io. Bernh. de ſenio eiusque gradibus et morbis, nec non de eiusdem acquiſitione 142
Foetus principium motus 193. in utero vita 467. reſpirationis primae cauſa 440. membranas diſrumpendi methodus 456. inuerſio et extractio 458. 460. mortui ſigna 459. paraſitici deſcriptio 624. ortus 627
Forficulae deſcriptio 608
Fraenkiſche Sammlungen, Erſter Band 478
Friburgenſis academiae Doctores et Profeſſores medicinae 543
Fürſtenau, Io. Herm. obitus 362
Fuliginis vires 122
Fulminis effectus 12. electrica vis 328
Fungorum origo et claſſes 597 ſeq. fungi umbilicati multiplices 599. pileo ſulcato ex volua erumpentes 598. ſingulares annulo inſtructi ib. ſolitarii velum, ſulcos obtegens, pro annulo habentes ibid. exotici 601

G.

Gadd, Petro Adriano exoticarum plantarum in Suecia cura demandata 364

Gangliorum fabrica et uſus 207. ganglion ophthalmicum 353
Gaſteroſtei piſcis uſus oeconomicus 25 ſeq.
Gautier obſeruations ſur l' hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture avec des planches imprimées en couleur année 1753 et 54. 227. tabularum anatomicarum editio noua 182
Genitalium muliebrium morbi 90
Gentleman's magazine for the year 1755. 683
Geographica delineatio agri Carolinenſis 716
Geſner, Io. acad. reg. ſcient. Goettingenſ. ſocius factus 178
Gibbi hiſtoria 83 ſeq.
Gieſſenſis academiae doctores et profeſſores medicinae 719
Ginanni Giuſeppe opere poſtume Tom. I. 109
Ginſeng plantae deſcriptio 132. radicis deſcriptio et uſus 235 ſeq.
Glandularum ſtatus per aetates diuerſus 469 ſeqq. glandulae incentiuae 472
Gleditſch, Io. Gottlieb. Prof. Botan. Ord. Berol. conſtitutus 547
Godart, la phyſique de l' Ame humaine 709
Goettingenſis ſociet. regiar. ſcient. Commentarii Tom. IV. ad annum 1754. 622. theſes et praemia 721 ſeqq.
Grandaeuitatis differentia et cauſae 154
Grauidae, earum hydrops 648. diſſectio 72
Gronouii, Laur. Theodor. muſaeum ichthyologicum 428
Grylli deſcriptio 608
Gymnogaſter piſcium genus 430

H.

de Haller, Alb. opuſcula pathologica 80. diſſ. ſur les parties irritables et ſenſibles des animaux 694. memoires ſur la nature ſenſible et irritable du corps animal Tom. I. 694. deux memoires ſur le mouvement du ſang et ſur les effets de la ſaignée fondes ſur des experiences, faites ſur des animaux 699
Hamberger acad. reg. ſcient. Goettingenſ. ſecretarius factus 362
Hamburgiſches Magazin XV Band 315
Hanows, Mich. Chriſtoph. *Seltenheiten der Natur und Oeconomie. III Band* 283
Hartfellenſis aqua mineralis 63
Hebenſtreit, Io. Chriſtian. hiſtoriae natural. Prof. Petropolitanus factus 180
Heffter, Io. Carol. acad. Natur curioſ. ſocius factus 547
Helleborus officinalis 121
Hennicke, Io. Chriſtophor. ab acad. reg. ſcient. Goetting. praemium accepit 178

Hepatis abſceſſuum falſa diagnoſis 88
Herniarum hiſtoriae 87
Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres, année 1753. 193
Hiſtoire naturelle eclaircie dans une des ſes parties principales l'oryctologie 652
de Hohenthal, Petr. L. B. theſis et praemium 363
Holocentrus piſcium genus 431
Huber, Io. Iac. obſeruationes circa morbos epidemicos 484
Humoris vitrei ſedes 350. aquei 351
Huxham, Io. a ſociet. ſcient. Londinenſ. nummum memorialem accepit 179
Hydraulica machina 137
Hydrophobiae hiſtoria 329. natura et curatio 333 ſeqq. prophylaxis 338. ea laborantes in aquam non ſunt immergendi ib.
Hydrophorus fungorum genus 599
Hydrops grauidarum 648. ſaccatus pleurae 84. hydropis ſanatio 399. 411

I.

Iampert, C. F. Specimen phyſiologiae plantarum I et II. quo dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem proponuntur 274
Iaſpis variegata 494
Ichthyologicum muſaeum 428
Ignis, ut inſtrumentum chemicum 499. exſtinguendi artificia 385
Indigoferae plantae cultura et ſpecies 689
Infantum haemorrhagiae umbilicales 648
Infarctus viſcerum abdominalium morborum chronicorum cauſa 681
Inflammationis natura 92
Iniectionis anatomicae hiſtoria 419. materies illi apta 420
Inoculationis variolarum methodus 263. praeparatio ad eam 262. ſubiecta apta 264. Inoculatio contagii in bobus 452. eius ſucceſſus 687
Inſectorum deſcriptio 603 ſqq.
Inteſtinorum tunica neruea et celluloſa 212. introſuſceptio innoxia 87
Ioachim, Ioſ. Renat. Maria tractat. chirurg. med. an variolas in noſtris regionibus inoculare ſit conſulendum? 266
Ioblot, obſervations d'hiſtoire naturelle Tom. I. II. 113
Ipecacuanhae bonitatis notae 119
Iridis oculi deſcriptio 348 ſeq.
Iuch, Herm. Paul. vita et obitus 548
van Iuchem Diſſ. de variolis et miaſmate varioloſo 671
von Iuſti, Io. Henr. Gottlob. *neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchafftlichen Lebens; erſter Band* 490. acad. reg. ſcient.

ſcient. Goettingenſ. ſocius extraord. factus 178

K.

Kaempfiana noua methodus morbos chronicos inueteratos curandi 681
Kermes minerale noua praeparandi methodus 593
Keratophytorum deſcriptio 520. ſtructura animalis 521
der Königlichen Naturalienkammer zu Dreſden kurtzer Entwurff 159
Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar, foer aor 1753. Vol. XIV. 3. foer aor 1754. Vol. XV. 385
Krauſe, Carol. Chriſtian. ab acad. ſcient. Petropolit. praemium reportauit 545

L.

Lachauſſe, Auguſtin Meinard, Diſſ. de ſuperfoetatione vera in utero ſimplici 107
Lacrymales ductus 356
Lambsma, N. libri de ventris fluxu idea 365
Lapidum geneſis 655. qualitates 656. claſſes 657. metalliferorum ſpecies 662. lapidis pretioſi noua ſpecies 491
Laxantium in febribus exanthematicis uſus 686
Laxitas rachitidis cauſa 471
Lentis cryſtallinae deſcriptio 351. capſula obſcurata 82
Lepidii ſpecies 706
Leucoii ſpecies 708
Lexicon medicum 244
Ligna foſſilia 298. 300. eorum claſſes 299
de Lille, Chriſt. Everh. tractatus de palpitatione cordis etc. 156
Linnaei, Carol. Diſſ. med. botan. exhibens plantas officinales 97. cenſura medicamentorum ſimplicium vegetabilium 99
Lithophyta vide Keratophyta.
Loeſeke, Io. Ludov. Leberecht *Abhandlung der auserleſenſten Artzneymittel* 116. acad. natur. curioſ. ſocius factus 546
Londinenſis ſociet. in emendandis artibus, opificiis atque commercio thesis et praemium 364 ſeq.
Longaeuitatis differentia 146. cauſae 154
Lucii piſcis propagatio 10
Ludolf, Mich. Matthiae obitus 547
Ludwig, Chriſtian Gottlieb, Diſſ. de criſibus variolarum acceſſoriis 256
Lupulum colendi methodus 387
Lychnidis ſpecies 706 ſeq.
Lycoperdon fungorum genus 600
Lymphaticorum vaſorum in meſenterio uſus 140

M.

Machina bonitatem cerealium diſquirens 24

Madriti hortus botanicus exſtructus 174
Malleabilitatis metallorum cauſa 195
Mangold, Chriſtoph. Andr. med. Prof. extraord. Erford. factus 362
Mathematicae methodi uſus in medicina 225
Medicamentorum praeparatio, circa eam regulae 100 ſeq.
Medulla plantarum 278
de Meibom, Henr. Io. nobilis titulum aſſumſit 182
Meloes deſcriptio 608
Memoires de phyſique pure, ſans mathematique, des toutes les academies des ſciences, raſſemblés en un ſeul corps et rangés ſelon l'ordre de leür publication Tom. I. 32
Menſtrua in vetula obſeruata 323
Menſtruum uniuerſale an detur? 62
Mercurii vegetatio 401. uſus 123. in febre epidemica uſus 669. vis anthelmintica 416. vis anthelmintica dubia ib. ſeq. in ſcrophulis uſus 442. ſublimati quantitas ſine noxa in os ingeſta 326. ſublimati corroſiui in ſpiritu frumenti rectificato ſoluti vis antiuenerea 718
Mercurialis medicamenti alterantis effectus 70
Metallorum origo et generatio 193 ſeqq. diuiſio 661. compoſitio 500. transmutatio euicta 317. mineraliſatio 493
Metallicarum venarum origo et directio 194
Meteorologicae obſeruationes 622
Michaelis muneri ſecretarii acad. ſcient Goetting. ſe abdicauit 362
Microſcopii aquatici Cuſtiani deſcriptio 529
Millefolii decocti uſus 126
Mill-Reek morbus 78. eius curatio 80
Mineraliſatio metallorum 493
Mola uteri 461. earum cauſae ib.
Mola piſcis 306
Monomycetes fungorum genus 599
Montium altitudines dimetiendi methodus 205
Monſtrorum ortus 627
Morbi veſicae urinariae 90. epidemici, circa hos obſeruationes 484
Morbillorum ortus 261. hiſtoria 692
Mordellae deſcriptio 607
Mororum ex ſeminibus propagatio 398
Moſchi partes conſtitutiuae 297. virtus et doſis 295. 425
Mucoris geneſis 291. experimenta cum eo ib. ſeq.
Müller, Io. Gotthilf librum germanicum editurus eſt cui titulus: *Geſchichte der Pflanzengattungen* 727 ſeq.
Muſcae cerambycis deſcriptio 534. phryganeae deſcriptio 535
Muſculorum ſtructura 134. motus ibid. oculi deſcriptio

ptio 352. intercoſtalium actio 77. motus, ut cauſa motus ſanguinis 643
Mutus electricitate curatus 16
Myſtus piſcium genus 431

N.

Neruei fluidi circulatio 135
Neruorum inuolucrum 206. oculi deſcriptio 352. octaui paris ligatura et ſectio 301. huius effectus 302. motus ut cauſa motus ſanguinis 643
Nebuloſae tempeſtatis phaenomena 58
Necydalis deſcriptio 608
Nubium fulgure grauidarum effectus 684
Nugent, Chriſtophor. Eſſay on the hydrophobia 329
Nutritionis animalis differentia 533 ſeq. cum geneſi cicatricis et calli analogia 531 ſeq.

O.

Obſervations ſur l' hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture Tom. II. 129
Oculi humani deſcriptio anatomica 342. humani et brutorum differentia 628
Omentum ſcirrhoſum 86
Omphalomicetes fungorum genus 599
Oryctologia 652. eius ſcriptores 654
Oſſium ſubſtantia triplex 43. maxillarium ſuperiorum coniunctio 46. innominatorum diductio confirmata 51. capitis deſcriptio 43 ſeqq. mollities 94. 137. huius cauſae et curatio 138 ſeq. oſſis parietalis tumor et curatio 449 ſeq.
Oſſea fruſtula vomitu reiecta 324
Oſſificationes praeternaturales 93
Oſteologia 39
Otis minor auis 576
Oui petrefacti deſcriptio 327

P.

Palma dactylifera 61
Palpebrarum fabrica 356
Palpitationis cordis differentia et cauſae 158
Pariſienſis acad. reg. chirurg. theſis et praemium 175
Partus difficilis cauſae 646
Parturientis ſitus 456
Pedicularis ſpecies 708
Pediculus pulſatorius 395
Penis inuolucrum neruoſum externum 214. tunica celluloſa ib. erectionis modus 218
Pennae marinae deſcriptio 522
Peripneumonia ex transſudatione ſanguinis 84
Peritonaei ſteatoma 203
Perſicariae ſpecies 707
Peſtem a nautis auertendi modus 451
Petrefactorum origo et cauſae 663 ſeq.
Petrificationis cauſa 493 ſeq.
Petropolitanae academiae ſcientiarum conuentus 544. theſes et praemia 545

Petuntſe lapidis genus 23
Pharmaceutica ut pars chemiae 512
Phaſianus Penſyluaniae 576
Philoſophical transactions Vol. XLVIII. P. II. for the Year 1754. 575
Phryganeae muſcae deſcriptio 535
Phyſapi deſcriptio 608
Phyſicaliſche Batrachtungen der Saamenthierchen 602
Phyſica rariora 283
Picard ſcholae botanicae Rothomagienſis Prof. 546
Pietra de la ſerpente lapidis in vulneribus effectus 391
Pietra fungifera 599
Pilulae Plummeri 70
Pinguedinis abuſus 120. contra morſum ſerpentis crotalophori uſus 22
Piſcium claſſes, genera et ſpecies 429. conſeruatio in aqua calcis viuae 592. piſces caſtrandi methodus 595
Plantarum claſſes 268 ſeqq. marinarum claſſes 111 ſeq. ſexus 58. exoticarum ſpecies 234. phyſiologiae ſpecimen 274. vaſa 275. ſuccifera et lignoſa negantur 276. morſui ſerpentis crotalophori medentium deſcriptio 20 ſeqq. alpinarum in Suecia cultura 397. venenatarum ſpecies 293. 685. plantae definitio 701
Platinae di pinto examen chemicum 583. qualitates 584. ſpirituum acidorum effectus in eam ib. ſeq. admixtio cum aliis metallis et ſemimetallis 586 ſeqq.
Plecoſtomus piſcium genus 431
Plumbi Suecici natura 398
Plumierii, Carol. plantarum americanarum Faſciculus I. et II. 238
Plummer, Andr. Edimburgi obiit 362. ab eo inuentae pilulae 70
Polymicetes fungorum genus 598
Polyporum ſyſtematica diſpoſitio 537. brachio inſtructorum a reliquis differentia 359. motus 360. nutrimentum et generatio ib. Polypi definitio 536. conglomerati marini deſcriptio 526. floriformes 538
Ponderis vis ut cauſa motus ſanguinis 644
Porcellanae Sinenſis materia 23
Potatoes ſolani ſpeciei uſus 391. plantatio 396
Praecipitationes chemicae 62
Promtuarii anglici viris ingenuis dicati continuatio 439
Pruritus ſenilis 476. contra eum remedia ib.
Pugh, Beni. treatiſe of Midwifery, chiefly with regard to the operation 453
Pulmonis fabrica et uſus 139. laeſio 18. conſumtio 85
Purgatio aluina roborans 168
Pulſus arteriarum cauſae 634. numerus ib. intermittentens 159. venarum 637

Rachi-

R.

Rachitidis cauſa praediſponens 470

Ranarum generatio 129

Ranunculi ſpecies 609

Raucitatis vocisque extinctae cauſa 83

Refrigerium pedum electricitate curatum 15 ſeq.

Recueil de memoires ou collection des pieces academiques Tom. I. et II. 36

Reſinae ex abiete praeparatio 392

Reſpiratio, circa eam experimenta 96. eius et motus cordis in ſomno et vigiliis differentia 77. reſpirationis primae in foetu cauſa 440

Reticulare corpus Malpighii 200

Retinae tunicae oculi deſcriptio 349 ſeq. induratio 94

Rhinocerotis auis roſtrum 303

Riedel, Io. Chriſtophor. ab Electore Mogunt. conſiliarius factus 362

Roederer, Io. Georg. academiae ſcientiarum Petropolitanae ſocius factus 724

Romae in archigymnaſio Doct. et profeſſores medicinae 172

Roris maialis examen 34

Roſen, Nicol. idea pharmacopoeae reformatae 100. imperii Suecici archiater factus 725

Rothomagenſis ſcientiar. acad. theſis et praemium 363. ſchola botanica publica fundata 546

Rubeolae exanthematum genus 468

Rüdiger, Anton *ſyſtematiſche Einleitung zur reinen und überhaupt applicirten Chemie* 496

Rumphii, Georg Everhard herbarii amboinenſis auctuarium 233

Ruſſell, R. oeconomia naturae in morbis acutis et chronicis glandularum 463

S.

Sacchari bonitas 128. virtus antiſcorbutica 614 ſeq. ex acere coctio 399

Sachs, Io. Iac. praxeos Prof. argentoratenſ. factus 724

Salium generatio 322. diuiſio 660. neutrorum diſquiſitio 27. ſalis communis contra morſum ſerpentis crotalophori uſus 22. eius acidi diſquiſitio 27. 389. ammoniaci coctura noua 483

Saliuatio ut criſis variolarum acceſſoria 257 ſeq.

Sanguinis natura 632. arterioſi et venoſi differentia 633. arterioſi motus praeternaturales 636. directio et celeritas 638. oſcillatio, retrogreſſio et quies ibid. venoſi motus 673. directio celeritas et vitia 638. circulatio in ranis 479

Sapor putridus piſcium corrigendus 25
Saxifragae ſpecies 706
Saxum ſuillum 171
Scarabaei deſcriptio 605
Schaeffer, Iac. Chriſtian *Affterholtzbok* 534. *Blumenpolypen der ſüſſen Waſſer mit den Blumenpolypen der ſalzigen Waſſer verglichen* 536. *Armpolypen in den ſüſſen Waſſern um Regensburg* 358
Schini ſpecies 609
Scirrhus muſculo maſtoideo inhaerens 82
Sclerotica oculi tunica deſcripta 343
Scorbuti hiſtoria 611 ſeq. progreſſus et genera 613. cauſae externae 614. interna et proxima 615. praeuertendi modus 617. curatio 618. apta diaeta 620
Scriptorum phyſico medicorum anni 1753. indicis ſupplementum 184. anni 1754 ſupplementum 186. index anni 1755. 367. indicis anni 1755 continuatio 561. 728
Schloſſer, Io. Albert. ſocietatis reg. ſcientiar. Londinenſis ſocius factus 178
Sedi ſpecies 706
Seguierii, Io. Franc. plantarum, quae in agro Veronenſi reperiuntur ſupplementum ſeu Volumen III. 267. Nemauſum reditus 180
Seminalium vaſorum deſcriptio 71
Semimetallorum ſpecies 662
Senectutis ſtadia 145
Senum morbi 148 ſeqq. et horum curatio 149
Septi lucidi hydatides 18
Serpentis crotalophori deſcriptio 5. morſus quando lethalis? 9. inimici ib. remedia contra morſum 19 ſeq.
Sigwart, Georg. Frid. tripes Heitersbacenſis Diſſ. I. et II. 488. Diſſ. de inſectis coleopteris nec non de plantis quibusdam rarioribus 603
Similitudinis liberorum et parentum cauſa 713 ſeq.
Smelliani forcipis ad foetum extrahendum uſus 460
Sodae duplex genus 105
Solenoſtomus piſcium genus 430
Solutiones chemicae 62. 503 ſeq.
Specificum febrifugum 392. contra carcinoma 444. eius applicatio 445
Spongiarum deſcriptio 524
Springsfeld, Gottlob Carl. praerogatiua thermarum Carolinenſium in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae 539
Staphylini deſcriptio 608
Steatoma peritonaei 203 ſeq.
Stockholmienſis collegii regii medici membra 361
Strumae 83. illis oppoſita remedia 477
Submerſorum hiſtoriae 95
Succini ſalis acidi volatilis examen 197. qualitates 198. ſuccinum in Suecia effoſſum 495

Sudor

Sudor ut criſis acceſſoria variolarum 257. roborans 169
Suecicae academicae regiae ſcientiarum acta anni 1753. Vol. XIV. 3. anni 1754. Vol. XV. 385
Suffitus contra peſtem 451
Suffocationis cauſae rariores 83
Sulphuris ſpecies 661. combuſtio 509
Superfoetatio ficta 107. eius ſpecies et cauſae ib. ſeq.
Supiot feminae diſſectio anatomica 137
Surditas electricitate curata 14 ſeq.
van Swieten, Gerard. L. B. literae ad Ioſephum Benvenutum 717 ſeq.

T.

Tabaci noua ſpecies 4. uſus contra morſum ſerpentis crotalophori 22
Tabes a glandulis obſtructis 463. contra eam remedium ibid.
Tendinum inſenſibilitas 698. tendinis Achillis diſrupti curatio 77
Tenebrionis deſcriptio 608
Tentamina Edimburgenſia Vol. I. 54
Terrae motuum cauſa 228. in Norrlandia occidentali deſcriptio 10
Terrarum differentia 655. ſtrata diluuii teſtes 691. martialium deſcriptio 406. harum et lapidum martialium genera 407
Teſticulus humanus 215. venereus 326. induratus electricitate curatus 17
Thermae 119
Tibiae caries ſanata 52. 684
Tilling, Io. Chriſtian. *Nachricht vom Carlsbade* 715
Tiſſot, l'inoculation juſtifiée ou diſſertation pratique et apologetique ſur cette methode cet. 261. Diſſ. ſur les parties irritables et ſenſibles des animaux par M. de Haller 694
Titii, Io. Dan. parus minimus Polonorum remiz, Bononienſium pendulinus 433
Toloſanae academiae ſcientiarum theſis et praemium 177
Tombac, cum eo experimenta 317
Tonitru, de eo obſeruationes 57
Topazii diſquiſitio 324
Toxicodendri ſucci virtus tinctoria 690. ſpecies venenatae 294
Trampe, Io. Gottfr. typographiam plantarum Halae inſtituit 366
Transactiones philoſophicae, Vol. XLVIII. Pars II. 575
Tripedis heitersbacenſis deſcriptio 488
Trew, Chriſtophor. Iac. plantae ſelectae, Dec. V. 412
Tuberaſtri huiusque fungorum deſcriptio 599
Tympanitis 87

Vam-

V.

Vampyrae vide cruentatio cadauerum.

Variolarum geneſis et cauſae 671 ſeq. 261. ſymptomata notabiliora 677. eruptio 678 inſitio defenſa 261. criſes acceſſoriae 256. variolae an a loco quodam auertendae? 340

Vaſorum vorticoſorum oculi deſcriptio 355

Vegetabilis corporis definitio 701. cum animali ſimilitudo 465

Venae fabrica 631. cauae coecitas 86. portarum uſus 140. ophthalmicae deſcriptio 355. metallicae origo et directio 194

Venaeſectionis effectus 639. reuulſoriae et deriuatoriae effectus ib.

Venenorum agendi modus 339

Ventriculi mala grauiora 86

Vermiculos frumenti pellendi ratio 19

Veronenſis agri plantae 267

Veronicae ſpecies 706

Veſicatoriorum in hydrophobia uſus ſuſpectus 337

Veſicae urinariae morbi 90

Veſpae, maſon-fly dictae deſcriptio 446. minoris pedibus ſex ad corpus nigris, mox luteis deſcriptio 450

Violae ſpecies 705 ſeq.

Violante, Philippi obitus 550. vitae deſcriptio ibid. ſeqq. ſcripta non nulla 560.

Viperarum morſus 231

Viſci uſus in epilepſia 126

Viſus debilitas electricitate ſanata 17. de eius acie experimenta 623

Vitrorum fracturae 310

Vlcera ſcorbutica et maligna eorumque curatio 620 ſeq.

Vmbilicalis funis ligatio 648. praeciſio 441. umbilicales haemorrhagiae infantum 648

Vnguis humani deſcriptio 215. natura 216

Vocis mutatio tempore pubertatis 265. extinctae cauſa 83

Vomitu reiecta oſſea fruſtula 324

Vranoſcopus piſcium genus 431

Vrethrae morbi 230

Vteri oris exploratio 455 ſeq. muſculares fibrae 91. grauidi mollities 211 ſeq. grauidi diſſectio 72. 74. ruptura 90. haemorrhagia 650. ſitus obliquus partus difficilis cauſa 460

W.

Wallerii, Io. Gottſchalck-cenſurae circa praeparationem medicamentorum chemicorum 104

Walther, Iſrael a ſocietate reg. ſcientiar. Gottingenſi praemium retulit 178

Watts

Watts Giles, reflexions on ſlow and painful labours and other ſubiects on mid-wifery 645

Z.

Zinn, Io. Gottfried deſcriptio anatomica oculi humani 342

Zugnol, Ioſeph. rei herbariae Madritenſis praefectus 174

Emendanda.

Pag. 4 l. 3 Homiae *lege* Holmiae. p. 66 in nota l. 4 dt l. de pag. 441 in nota l. 1 primum l. primam. p. 468 l. ult. ſpamis l. ſpasmis. p. 492 in nota l. 2 datam l. data. p. 546 *lege* 546 loco 746.